Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/periodica-de-re-canonica_1911_5

Brugis, typis Houdmont Fratrum

Periodica de re morali, canonica, liturgica.

ARTHURUS VERMEERSCH e Soc. Iesu

DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, LOVANII IN COLL. MAX. S. I. PROFESSOR

THEOLOGIAE MORALIS ET IURIS CANONICI

DE RELIGIOSIS

ET MISSIONARIIS

SUPPLEMENTA ET MONUMENTA

PERIODICA

TOMUS QUINTUS

(continuans ***De Religiosis Institutis****, etc. t. 2)*

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

BRUGIS

SUMPTIBUS BEYAERT

ROMAE & RATISBONAE
F. PUSTET

LUTETIAE PARISIORUM
P. LETHIELLEUX

1911

1924

V. 5

IMPRIMI POTEST

Aemilius Thibaut, S. I. *Praepositus provinciae belgicae.*

NIHIL OBSTAT

Brugis, 3 iunii 1911.

H. Lahousse, *can. lib. cens.*

IMPRIMATUR

Brugis, 3 iunii 1911.

H. Van den Berghe, *Vic. gen.*

SUPPLEMENTA

SUPPLEMENTUM QUARTUM DECIMUM

DE UNITATE CONFESSARII ORDINARII APUD MONIALES ET SORORES

Occasio et ratio scribendi. — De confessariis Monialium et Sororum plures latae sunt vel leges vel declarationes, quarum aliae disciplinam de uno confessario ordinario mitigare, aliae contra confirmare et inculcare videbantur, ita ut dubitandi et errandi in hac re non una sit occasio et periculum. Quocirca operae pretium duximus in disciplinam istam inquirere quo clarius perspiciatur vera eius vis ac ratio, nec adulterina fiat eius interpretatio vel applicatio.

I. Disciplinae origo

1. Olim, omnes christiani seu fideles in proprio curato confessarium habebant unicum seu per se necessarium, ita ut casus numerarentur in quibus alium adire licebat. Disciplinam istam testatur saec. XIII (1275) *Summa S. Raymundi*, l. 3, t. 34, *De paenitentiis et remissionibus*, ubi de *Confessione ;* testatur etiam, in medio saeculo XV, S. ANTONINUS, in *Summa theologica*, tom. III, tit. 17, *De statu confessorum ;* atque in iure eam reperimus affirmatam, c. Placuit ut deinceps, d. 6. De paenitentia (C. XXXIII, q 3): « Placuit ut deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad paenitentiam suscipere sine eius consensu cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius cui paenitens prius confessus est. Qui vero contra haec statuta facere tentaverit, gradus sui periculo subiacebit. » Idem in C. Lateranensi II, unde c. Omnis, 12, De paenitentiis et remiss. (V, 38.) statuitur : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad

annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno confiteatur proprio sacerdoti.... Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare. » Proprius sacerdos intellegebatur tunc parochus proprius, Episcopus proprius, vel Papa.

Hac tamen lege excipiebantur Episcopi ac Praelati exempti, quibus iuris sanctiones liberam concedebant optionem. C. Ne pro dilatione, ult. De paenitentiis et remission. (V, 38.) « Ne pro dilatione paenitentiae periculum immineat animarum, permittimus episcopis et aliis Superioribus, nec non minoribus praelatis exemptis, ut etiam, praeter sui Superioris licentiam, providum et discretum sibi possint eligere confessorem. »

Disciplinam istam mox temperarunt privilegia mendicantium, quibus S. Pontifex permittebat ut, nisi episcopus iis licentias opportunas dare vellet, paenitentes, auctoritate apostolica, non tamen a reservatis, absolvere possent. Cfr. v. g. Clem. Dudum, 2, De sepult. (III, 7.) ubi hoc conceditur Fratribus Minoribus et Praedicatoribus. Sic factum est ut, ne tempore quidem paschali, parochus exigere potuerit ut propriae oves ad ipsum pro confessione accederent. Vestigia tamen controversiae de hac re cernuntur etiam apud S. ALPHONSUM, l. 6, n. 574.

2. Dum ceteris fidelibus disciplina remittebatur, retenta fuit apud Regulares, ita ut privilegio pontificio prohiberentur Regulares extra Ordinem suum sine Praelati proprii assensu confiteri.

Sic S. PIUS V, C^e *Romani Pontificis*, 21 iul. 1571, negavit regulares posse vi Bullae Cruciatae sibi eligere confessarium vel a reservatis absolvi, sed suae intentionis esse declaravit, « quod iidem Fratres et Moniales, quantum ad sacramenti Paenitentiae seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum Praelatorum subiecti sint [1] ». Praecepit tamen iisdem Praelatis ut in usu huius potestatis se cum subditis benignos et faciles exhiberent. Solebant itaque Superiores vel ipsi sibi confessionem suorum reservare, vel aliquem designare qui pro ipsis confessiones audiret.

---

[1] *De Religiosis Institutis*, etc. II, n. 204 (p. 413, ed. 4).

Hanc disciplinam pro *Regularibus* mutavit CLEMENS VIII. Decreto enim *Sanctissimus Dominus*, 26 maii 1593, a) Vetuit ne Superiores regulares subditorum confessiones audirent nisi reservatum quoddam peccatum esset commissum, vel ipsi subditi sponte ac proprio motu id ab iis peterent; b) Iussit ut, pro maiore vel minore numero subditorum, in singulis domibus constituerentur duo, tres aut plures confessarii qui a non reservatis regulares absolverent, et etiam a reservatis si, occurrente casu, rem expedire ipsi confessarii iudicarent; c) Potestatem tamen sivit esse Superioribus definiendi paenitentias quasdam graves quas pro peccatis gravioribus, quamvis non reservatis, Confessarii imponere deberent [1].

Ultra progressus URBANUS VIII, potestatem fecit Confessario regulari, cui a Superiore negaretur facultas absolvendi in casu speciali a reservatis, ut nihilominus valide peccatum remittere posset.

Immo, ex decreto 16-17 aug. 1866, debet, in parvis communitatibus, unus adesse qui habituali facultate polleat a reservatis peccatis absolvendi.

A beneficio tamen plurium confessariorum excluduntur novicii, pro quibus, ex iure communi, magister noviciorum iubetur esse solus ordinarius confessarius.

Disciplinam istam de uno confessario ordinario *Religiosi votorum simplicium* non sunt experti. Qui enim non sunt ab Episcopi iurisdictione exempti adire possunt quotquot confessarios constituerit Episcopus pro omnibus fidelibus, ita ut, quod ad validam spectat confessionem, a laicis non differant. Exempti vero Superiores, a mente certe S. Sedis prorsus recederent, nisi suis alumnis easdem darent facilitates quas regulares tamquam ius suum vindicare possunt.

Hoc unum habuit reprobandum S. Officium, 5 iul. 1899 [2], ac prohibuit pro Urbe, ne Superiores religiosarum communitatum, excepto raro aliquo necessitatis casu, confessiones suorum alumnorum in eadem domo manentium ullo pacto excipere auderent. Rationes autem addebantur : « Ex una enim parte minuitur alumnorum peccata confitendi libertas, ipsaque confessionis integri-

---

[1] Cfr. *De Religiosis*, etc. II, n. **222** (p. 469, ed. 4).
[2] *De Religiosis*, etc. II, n. **232** (p. 496, ed. 4).

tas periclitatur ; ex altera vero Superiores minus liberi esse possunt in regimine communitatis, ac suspicioni exponuntur aut se notitiis in confessione habita uti, aut benevolentiores se praebere erga alumnos quorum confessiones excipiunt. »

3. Hactenus de viris. Sed non minus in subditas moniales, quam in subditos viros Praelati regulares ius servarunt exclusivum audiendi confessiones sive per se sive per alium a se designatum. Ante quam tamen ius istud esset viris mitigatum, iam monialibus prospexerat Conc. Tridentinum, c. 10, s. XXV. De Regul. et Monial., dum praecepit ut, praeter ordinarium confessarium, extraordinarius bis vel ter in anno monialibus offerretur.

Legem istam perfecit BENEDICTUS XIV, celebri sua Const. *Pastoralis curae*. 5 aug. 1748, qua decretum Tridentinum authentice interpretatur, ac praeterea varias confirmavit resolutiones S. Congr. Concilii, de modo quo peculiaribus singularum monialium necessitatibus esset providendum. Ampliatae deinde sunt istae dispositiones de confessariis extraordinariis per decr. *Quemadmodum*, 17 dec. 1890, quod pluribus responsis est etiam declaratum.

Quod ad *Sorores*, seu Instituta muliebria votorum simplicium. ius commune unitatem Confessarii non imposuit, sed rem arbitrio episcoporum potius permisit. Hi consueverunt unum tantum deputare Confessarium ordinarium. Antistites qui morem istum servent BENEDICTUS XIV in sua Constitutione hortatur ut disciplinam de Confessariis extraordinariis tunc inducant. Eandem servandi obligationem deinceps imposuit S. Sedes variis responsis et demum decreto *Quemadmodum* et Ce *Conditae*, quam de Congregationibus religiosis seu piis dedit LEO XIII, die 8 dec. 1900.

Ex brevi nostra expositione illud notabile colligere possumus, *nulla directa et speciali sanctione* esse praeceptum ut Moniales non haberent nisi unicum Confessarium. Lex fuit generalis, quae suppressa est subinde pro laicis, dein pro regularibus, dum variis moderationibus temperata subsistit pro monialibus et vigere etiam cernitur pro Conservatoriis Sororum. Id est, monialibus unus offertur Confessarius ordinarius, quia usus unicum offerendi non est pro ipsis sicut pro laicis et viris suppressus. Nec Conc. Tridentinum, dicto cap. 10, nec

Benedictus XIV hanc unitatem induxerunt. Sed huc spectavit decretum Tridentinum, ut extraordinarios offerri iuberet. Quare, in actis (cfr. Theiner), nihil reperias dictum pro disciplina unius confessarii ordinarii ; et in succincta sua relatione historica actorum Conc. Tridentini, Ioannes Stoz, S. I. sic, p. II, § 5, n. 611, dictum caput X proponit : « X. Est ut moniales singulis mensibus saltem semel confiteantur et communicent, iis Superior vel Episcopus bis vel ter in anno extraordinarium Confessarium offerat. » Benedictus XIV etiam mere declarat se nolle legem istam de unico confessario monialium tollere vel abrogare, sed incommodis prospicere quae rigor legis in casibus peculiaribus adducere potest et consuevit. Ipse tamen disciplinam istam his verbis laudat : « Non quidem intendimus consultissimam istam et veteris disciplinae auctoritate roboratam Legem tollere aut abrogare, qua generaliter statutum esse dignoscitur ut pro singulis Monialium monasteriis unus dumtaxat Confessarius deputetur, qui sacramentales confessiones universae earum communitatis excipiat, neque liceat unicuique moniali peculiarem confessarium pro libito sibi deligere. »

II. Cur vigeat apud Moniales disciplina ista de unico Confessario ordinario

Ut unus esset laicorum seu omnium fidelium Confessarius ordinarius, hanc S Raymundus afferebat causam: « Quia ipse qui est Praelatus suus (cuiuspiam) tenetur reddere rationem de anima eius et tradere sibi eucharistiam et alia sacramenta, in quorum collatione periculum sibi vertitur, nisi faciat posse suum ut sciat cui det : et ideo dicitur ei per Salomonem : *Agnosces vultum pecoris tui* (Prov. 12) ». *(De paenitent. De Confessione.)* Videtur huiusmodi causa conexa cum ratione minus absoluta qua tunc sumebatur sacramentale sigillum. Severissime quidem prohibebatur omnis directa peccatorum revelatio, non item usus secretus scientiae haustae ex confessione.

Simili modo Praelati regulares voluere etiam intima subditorum cognitione in recta gubernatione adiuvari. Postquam autem invaluit absoluta doctrina de sigillo sacramentali, et administratio exterior magis ac magis ab interiore est seiuncta, huius modi rationum vis est enervata.

Suntne tamen aliae causae cur disciplina ista propria manserit monialium, dum pro fidelibus et regularibus est suppressa ?

Probe intellegitur utilitas specialis approbationis confessariorum qui monialium confessiones excipiant. Nec, ut sapienter monet BENEDICTUS XIV, videtur expedire ut unicuique moniali liceat pro libitu peculiarem sibi confessarium deligere. Ceterum ne ipsi quidem regulares viri confessarios omnes adire permittuntur. Cur autem moderata pluralitas monialibus non permittatur, haec una videtur superesse causa, quod moniales severam clausuram observare debent, nec expedit ut, vel ad ipsarum crates, regulariter plures se conferant sacerdotes. Accedit, pro monialibus saltem claustratis, aliquod periculum ne inter paucos confessarios sibi permissos instituant collationes, diversas opponant sententias seu modos dirigendi, cum aliquo detrimento pacis communis. Nolimus tamen ultra quam par est incommodum istud urgere, praesertim cum fere idem obstare videatur missioni quam cum tanto fructu implent confessarii extraordinarii.

Quod si ita res se habet, ipsa ratio cur commendetur unitas fere deficit quotiescumque confessiones non in monasterio sed in publica ecclesia excipiuntur. Atque ita videtur rem intellexisse S. Sedes, ut mox patebit.

Observes de rationibus cur unus confessarius sit retinendus pro monialibus nihil reperiri in *Theologia morali* S. ALPHONSI, nihil apud PELLIZARIUM, *De monialibus;* nihil apud BENEDICTUM XIV. Recens scriptor BATTANDIER sic unitatem confessarii commendat : « Cet article des Normae § 140 (quo statuitur unicum esse debere confessarium ordinarium) est excessivement important pour le bon ordre des communautés de femmes, surtout si ces communautés sont cloîtrées. La multiplicité des confesseurs engendre la multiplicité des directions, elle est cause de comparaisons, de rapports, de petites misères qui enlèvent à la communauté son unité, gênent l'exercice de l'autorité de la supérieure, et mettent souvent le trouble dans les consciences. » *(Guide canonique pour les Const. des communautés à vœux simples*, n. 206,ter.)

Dubitari tamen potest num incommoda ista, quae causa certe non sunt cur disciplina de unico confessario sit introducta, plerumque vel saepe eo gradu affutura sint qui incommoda compenset severitatis.

Namque, ut aequum iudicium feratur, necesse etiam est damna considerare quae cum obligatione confitendi uni viro quem non elegeris facile coniunguntur. Iam vero, ex ipsis S. Sedis monumentis, incommoda ista, praeter onus gravissimum conscientiis impositum, ipsam respiciunt sacramenti sanctitatem. Non unam enim ob causam, periculum inducitur sacrilegiorum.

Nec ipsum remedium postulandi, in casu peculiari, confessarium supplementarium tale est quod incommoda ista plene auferat. Timor enim displicendi Superiori, vel confessario ordinario, cui petitiones istae facile innotescunt, a petendo confessario supplementario saepe animum avertunt. Ac praeterea, quotiescumque monialis huiusmodi licentiam petit, tacite fatetur se saltem difficultate speciali laborare, ita ut nomen ac famam suam alicui detrimento opponere debeat. Quocirca etiam apud regulares, qui semper poterant, annuente Superiore, specialem obtinere confessarium, obligatio ista postulandi visa est nimis gravis et a multis annis suppressa.

Nec illud est dissimulandum, legem istam factam esse duriorem, ex quo plena libertas est laicis relicta, et regulae usque mitiores apud viros regulares praevalent. Durior etiam facta est, ex quo menstrua confessio et communio, quas Conc. Tridentinum iniunxerat, ubique evaserunt confessio hebdomadaria et communio cottidiana. Aetate Tridentina, dum ter accedebat extraordinarius, ordinarius novies ad confessiones audiendas accedere iubebatur, ita ut pro tertia confessionum parte aliqua permitteretur optio; nunc autem quater offertur confessarius extraordinarius, sed ordinarius quadragesies octies se obtrudit.

Quaeri praeterea potest, utrum necne disciplina de unico confessario ordinario, apud Sorores nostras, quae in variis vitae activae operibus versantur, iisdem quibus apud claustratas rationibus commendetur. Quod omnino negandum videtur. Ipsae enim externae sollicitudines causa sunt cur varia confessariorum consilia et responsa minus communitatem occupent et in diversa trahere queant. Iidem autem labores exteriores, qui maximo fructu exercentur, simul tamen frequentiorem creant utilitatem, ne dicam necessitatem, habendi confessarium cui, sine difficultate, omnem pandas conscientiam.

Denique, confessarius conservatorii non est, sicut

confessarius monialium, vir qui, auditis confessionibus, paenitentes suas ignorat ; sed contra, saepe, consiliis et auctoritate, Superiorissae adest in regenda domo, instituendis puellis, etc. Hinc facilis nascitur occasio maioris verecundiae, vel etiam conflictus, qui necessitatem habendi ipsum tamquam confessarium in durissimam animarum servitutem convertere potest.

Haec certe suadent ut legem istam de unico habendo confessario ordinario, tamquam odiosam, stricta interpretatione temperemus.

III. Legis limites

1. Lex non obligat nisi Moniales seu Sorores quae *in suo monasterio* vel conventu faciunt confessiones. Iam diu declaravit S. Sedes, liberam esse Monialibus et Sororibus optionem confessarii, si in publica ecclesia accedant ad confitendum. Hoc de monialibus claustratis declaratum est 27 aug. 1857, « durante mora extra monasterium » ; hoc de Sororibus quae solent ecclesiam parochialem pro sacramentis adire, 22 april. 1872, his verbis : « Sorores de quibus agitur posse peragere extra piam propriam domum sacramentalem confessionem penes quemcumque Confessarium ab Ordinario approbatum ». Idemque expresse sancitur art. 149 : Normarum. « Quotiens sorores in aliqua publica ecclesia confessionem suam peragunt, apud quemcumque sacerdotem ab episcopo approbatum confiteri poterunt ».

Itaque istud est *ius Sororum*. Nec iure illo prohiberi possunt, quamvis praecise ut apud alium confiteantur, publicam adierint ecclesiam. Audiatur ipse BATTANDIER, n. 213 : « Quand les Sœurs quittent le Couvent pour quelque motif que ce soit, même pour être plus libres dans leur confession, elles peuvent se confesser à tout prêtre approuvé dans le lieu où elles se trouvent ; et les constitutions ne sauraient les obliger à ne se confesser, même dans ce cas, qu'au confesseur ordinaire de la maison. Delenda prohibitio ne Soror, in casu quo piam domum egrediatur, sacramentalem confessionem penes alium confessarium peragat. » (Sœurs du Tiers-Ordre de S. François, Angers, 22 février 1875, ad 11.)

Nec quia videantur cedere alicui praeiudicio minus iusto erga confessarium ordinarium, debet id a Superiore ecclesiastico, ut puta loci Ordinario, moleste ferri. Qui enim iure suo utitur, nemini est iniuriosus.

2. Lex stricte est statuta de *Monialibus votorum sollemnium* Recentes tamen Normae, secundum quas S. Sedes nova Instituta approbat et ipsi Ordinarii novas Constitutiones conficere vel confirmare debent, ius idem ad Instituta Sororum traducunt.

3. Lex statuit quae debent fieri *per se*; non autem quae semper sunt urgenda, etiam ubi legis ratio deficiat, vel temperamentis privetur quae, ex mente S. Sedis, sunt apponenda. Haec sint exempla :

a) *Consuetudo* habendi paucos confessarios, specialiter approbatos, non videtur irrationabilis. Ipsa enim S. Congregatio, in causa Turritana, ubi agebatur de monasterio S. Clarae, quod duos habere solebat confessarios ordinarios, mense februario 1753, respondit, « quod ad binos confessarios, servandam esse veterem consuetudinem ». (Cfr. Bizzarri, p. 415, 416, ed. 1.) Nec obstat recens responsum 1906, quod, ut mox demonstrabitur, de casu agit prorsus diverso.

b) Ubi nimius fuerit numerus Sororum quam ut commode uno utantur confessario ordinario (v. g. si ultra centum fuerint), nihil obstat quin duo designentur confessarii ordinarii. Perpetuus enim est mos Ecclesiae ut vicarius vel socius adsit ei qui difficulter possit per se solus munus suum implere. Atque ita parochus, cui olim omnes fideles confiteri debebant, a vicario adiuvari consueverat.

c) Vult S. Sedes ut confessarius ordinarius tertio quoque anno mutetur ; eiusque mens etiam est ut nulla alia negotia cum Sororibus pertractanda habeat. Repugnat enim ut qui aliquo modo sit Superior, simul sit confessarius, saltem necessarius.

Si, itaque, ut in Belgio, confessarius diu maneat idem, vel simul sit ille qui moderator dicitur Conservatorii, vel Instituti, magis arbitramur menti S. Sedis consentaneum esse, ut inter paucos specialiter approbatos confessarios libera sinatur esse Sororibus optio.

Quod si iam pauci selecti sacerdotes debeant se conferre in sacellum conventus ad audiendas puellas alumnas, non videmus quid obstet quin Episcopus permittat ut Sorores ad eosdem accedant. Nec contra est responsum 7 dec. 1906, quo improbatur usus habendi confessarios particulares quibus quaedam moniales tamquam ordinariis uti solebant. Ibi enim agebatur etiam de monialibus quae papali clausurae erant obnoxiae,

et dubium versabatur in confessariis qui non omnibus sed quibusdam tantum monialibus offerebantur.

IV. Iustae exceptionis causae, seu de confessariis supplementariis

Supplementarios vocamus confessarios qui nullo stabili munere provisi, ob causam peculiarem personae vel casus, petenti moniali vel Sorori conceduntur.

Duplex itaque est eorum genus. Alii pluries, vel adeo habitualiter audiunt unam vel paucas moniales ; alii ob brevem tantum rationem vocantur.

Supplementarii isti confessarii originem ducunt ex variis responsis S. C. Concilii ab anno 1665 ad annum 1672 datis, quae a BENEDICTO XIV in sua Constitutione *Pastoralis curae*, referuntur et confirmantur. Itaque :

1. *Graviter aegrotanti* moniali peculiaris confessarius quem petat concedi debet, ita ut Episcopus neglegentiam Praelatorum regularium in hac supplere queat. Immo, ex Normis, art. 148, « Sororibus in mortis periculo constitutis superiorissae ultro sponteque aliquem extraordinarium confessarium offerant, vel ab ipsa petitum concedant. »

2. Monialibus et Sororibus quae ordinario confessario confiteri *obstinate recusent*, providendus est Confessarius sive inter eos qui ad audiendas moniales sunt approbati, sive qui postulanti moniali conceditur et ab Episcopo approbatur pro tot vicibus quot expedire visum fuerit [1].

Ubi notes, solam repugnantiam pro sufficienti causa haberi, etiam si minus iusta videatur. « De internis enim non iudicat praetor. » Ac vix durior servitus excogitari potest quam condicio personae quae, in statu perpetuae mortificationis, qualis est religiosus, praeterea privetur unico solatio conferendi de rebus intimis suis cum confessario cui fidat, sed latebras suae conscientiae viro fortasse inviso, detegere cogatur.

Causam autem exceptionis, quam dat invincibilis repugnantia, nullo modo dat affectus erga confessarium qui munere suo est defunctus. Quare iure ac merito respondit S. Congregatio, die 7 dec. 1906, non esse permittendum ut, triennio expleto, confessarius ordi-

[1] Monetque BENEDICTUS XIV fore ut S. Sedes seu S. Paenitentiaria huiusmodi confessarium ipsa concedat, si a proprio Ordinario obtineri non potuerit.

narius quasdam moniales habitualiter, vel etiam tamquam extraordinarius, audire pergat. Qui casus est a nostro prorsus diversus, nec traditae regulae opponi potest. Immo ipsa S. Congregatio confessarios extraordinarios peculiares admisit in casibus definitis C^e BENEDICTI XIV, inter quos casus noster diserte recensetur.

3. *Moniali cuivis* quae ob animi sui *quietem* vel *profectum* spiritualem cupiat aliquotiens confiteri alii sacerdoti, ab Ordinario ad moniales audiendas approbato, annuendum esse dicit BENEDICTUS XIV. Quod magis deinde Decreto *Quemadmodum* et variis declarationibus est definitum hoc modo :

a) Ordinarii providere debent ut numero sufficienti praesto sint confessarii qui facultatem habeant audiendi Moniales vel Sorores.

b) Inter approbatos, Soror ipsa, non Superiorissa, optare potest cui velit confiteri.

c) Numquam de causa Superiorissa interrogare potest. De futili causa Sororem monere debet ipse Confessarius vocatus. Quod si ratio a confessione aliena obstare videtur quominus Sorori petenti annuatur, res deferenda est Ordinario loci, qui ipse statuat.

Quaeres quid de casu sequenti sit iudicandum :

Conservatorium quoddam dioecesis Mechlinensis tamquam proprio sacello utitur ecclesia publica quae conventui est coniuncta. Possuntne Sorores, quae in dicta ecclesia suum ordinarium Confessarium adire solent, etiam apud quemlibet sacerdotem pro utroque sexu approbatum, valide et licite confessionem instituere ?

Respondemus, cum agatur de Sororibus quae iurisdictioni Ordinarii prorsus sunt obnoxiae, ipsa consulenda esse dioecesana statuta. Haec autem ita disponunt :

« Nemo, excepto confessario tum ordinario tum extraordinario, valide potest sacramentalem confessionem excipere religiosarum quarumcumque in communitate viventium, sive in ecclesia monasterii illarum, sive in oratorio confessionibus destinato, sive, in casu morbi, in alio quovis loco monasterii, sine facultate praevia Ordinarii. »

Ex statuto isto clare colligitur, confessionem quam fecerint dictae Sorores apud simplicem confessarium, omni valore carere. Nec contra arguas ex decretis quae Monialibus vel Sororibus universali modo permittere

videntur ut in publicis ecclesiis quemlibet adeant confessarium pro utroque sexu approbatum. Etenim, praeter quam quod ambigi potest utrum id valeat de ipsa conventus ecclesia an de solis ecclesiis separatis, responsa vel acta ista S. Sedis facultatem nullam Episcopis auferunt negandi sacerdotibus iurisdictionem in Moniales.

*
* *

Hactenus quae sapientiorum iudicio commitimus, scribenda autem putavimus ut iugum Christi suave maneat omnibus, iisque praesertim qui Ipsi vitam omnem dicarunt; nec intempestiva severitate sacramentum Paenitentiae, qui fons esse debet solacii, fiat, sicut quandoque experti sumus, occasio spiritualis afflictionis et ruinae.

QUAESITA VARIA

I. De Sacramento Paenitentiae

1. **De confessario ordinario iuniorum religiosorum.** — In pluribus Constitutionibus approbatis Congregationum religiosarum, statuitur ut, peracto noviciatu, alumni votorum temporariorum speciali subsint directioni probati viri qui eos regat in studiis, in disciplina religiosa, atque etiam in spiritu, ita ut sit eorum constitutus confessarius ordinarius.

Iam vero, cum S. Officium 5 iul. 1899 gravissimis verbis improbaverit usum, in Urbe, quorundam Superiorum religiosarum communitatum qui suorum alumnorum, in eadem domo manentium, sacramentales excipiebant confessiones, deinde autem, 20 dec. 1899, addiderit non valere pro Congregationibus religiosis quod ante, 23 aug. 1899, declaraverat: id est, decreto 5 iul. 1899 id est nihil esse mutatum in disciplina Ordinum regularium (quorum novicii confessionem apud noviciorum magistrum instituere iubentur), iam ambigitur utrum retineri possit praefata Constitutio, an contra confessarius nominandus sit qui a praefecto studiorum et disciplinae sit distinctus.

R. Nihil videtur impedire quin ii qui, ex mente S. Sedis, post prius tirocinium, emissis votis tempo-

rariis, per alteram probationem ad perpetuam professionem disponuntur, obtineant in praefecto spiritus quasi alterum magistrum noviciorum. Quod autem idem sit eorum confessarius ordinarius, videtur probatae religiosorum disciplinae magis consentaneum. Nec quicquam prohibet etiam quin ipse sit simul moderator studiorum. Duo tamen videntur nobis praecavenda : a) Ne optio alius confessarii iunioribus religiosis auferatur. Est enim in universum statutum pro regularibus ut, exceptis noviciis, omnibus plures confessarii offerantur. Cur non sit perinde dicendum de religiosis votorum simplicium, non videmus. Dein, b) cavendum est ne Praefectus spiritus sit idem qui domus Superior. Id enim clare repugnat iam diuturnae disciplinae S. Sedis.

2. **De confessione in itinere Sinensi.** — a) C^e *Ex quo*, BENEDICTI XIV, 5 iul. 1742, Missionarii Sinensium partium omnino prohibentur omni exercitio Sacri Ministerii, ante quam iuramentum fecerint observandi decreta pontificia de ritibus sinensibus lata. Hinc quaeritur, cum decreto generali 12-13 dec. 1906 possint, in itinere maritimo, sacerdotes navigantes suas facultates non solum in navis ed etiam in litore exercere, — dummodo unicus tantum sit vel nullus in loco sacerdos approbatus, atque Ordinarius loci facile adiri nequeat, — utrum, necne, liceat uti isto decreto in portu Sinensi vel Sinensium partium.

R. Cum decretum 1906 sit omnino generale et late interpretandum, cum facultas ita sit concessa ut legi de iuramento praestando nullatenus nocere possit, cum recens, decreto 4 febr. 1907, expresse isti obligationi sit derogatum pro missionariis Sinensibus dum ad suam missionem tendunt, videtur id tuto fieri posse.

b) Decreto S. C. de Propaganda Fide, 4 febr. 1907, Missionarii, sive religiosi sive saeculares, qui « duo vel numero plures consociati ad litora Sinensia *appellunt*, durante toto itinere terrestri aut fluviali, usque dum pervenerint ad Missionem sibi respective assignatam, dummodo (ratione quae ibi explicatur) ad sacramentales confessiones fuerint legitime approbati, possunt inter se confiteri, et etiam confessiones audire clericorum non sacerdotum et Fratrum laicorum cum ipsis iter agentium, et etiam religiosarum Sororum, si forte contingat aliquas in eodem comitatu esse ad missiones destinatas, immo quoque vehicula aut cymbas ducentium vel sar-

cinas per iter ferentium vel alia quacumque ratione eorum itineris sociorum. »

Hinc **quaeritur**, α) Utrum necne illa facultate uti possint Missionarii qui via ferrea, trans Siberiam, in Sinense territorium perveniunt. Ii enim proprie non « *appellunt* ». Quod si affirmandum sit, possuntne uti ista facultate in ipsa via ferrea, ex quo in Sinensi territorio versantur?

R. Utrumque affirmandum videtur. Tam identica enim est condicio illius qui terrestri via et illius qui maritima utitur, ut manifestum sit noluisse legislatorem in concedendo suo privilegio ad tam indifferentem electae viae circumstantiam attendere.

β) Possuntne iidem Missionarii in Sinis a casibus Ordinario loci fortasse reservatis absolvere paenitentes?

R. Satis gravis hic occurrit ratio dubitandi. In decreto enim 1906 expresse conceditur ista facultas quae hic praetermittitur. Quia tamen cognitio istorum casuum reservatorum advenienti Missionario non est per se commoda, et Pontifex voluit tamen omnibus expeditam dare potestatem audiendi et absolvendi, probabile putamus facultatem istam in indulto anni 1907 tacite esse contentam.

II. De bannis ante ordinationem sacram requisitis

Quaeritur quaenam sit vis legis bannorum quod ad religiosos, et secundum quaenam statuta sint facienda.

R. 1. *Per se*, ex Conc. Tridentino, s. XXIII, c. 5, De Ref., *ante singulos ordines sacros,* ut melior habet interpretatio, intra mensem ante ordinationem, debet Episcopus parocho vel alii committere ut nominibus ac desiderio eorum qui promoveri cupiunt palam in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat.

Res ergo est Episcopis commissa. Alii banna omittunt; alii aliter in statutis banna ordinant. Hinc quaeritur praeterea:

2. Quinam religiosi sint *exempti.* Quotquot, ait Card. GASPARRI, pertinent ad Institutum Romae approbatum. Sic *De Ordine*, n. 701. Desideratur tamen istius sententiae argumentum. Quocirca melius fortasse sic dixeris. Quotquot religiosi ordinantur sicut regulares, id est vi litterarum dimissoriarum propriorum Superiorum

religiosorum, exemptionem participare videntur. Ratio est, quia, sicut declaratum est, ipsi testimonialibus litteris episcoporum non habent opus, sed in hac re etiam condicionem regularium obtinent.

3. Quia banna ista episcoporum statutis reguntur, quaeritur etiam cuiusnam statuta sint observanda ?

R. Eius, ni fallimur, episcopi, qui dimissorias litteras concedit. Ordinantur enim quasi subditi illius a quo dimissorias accipiunt.

Itaque, pro subditis Mechliniensis dioecesis, satis erit banna in propria ordinandi parochia promulgare.

III. De ordinatione alumni Ordinis regularis ante emissam sollemnem professionem

Secluso privilegio omnino speciali et incommunicabili, nullus regularis Sacro ordine augeri potest ante professionem sollemnem quae ipsi titulum paupertatis confert. Ita sane, quatenus ordinetur ut regularis. Nonne autem, a) qui ingressus est subdiaconus, duos reliquos ordines maiores ante dictam professionem recipere potest ? b) Nonne quilibet, titulo patrimonii, etiam subdiaconus ordinari potest ?

R. a) Ipsa S. Sedes, ita usus eius praesens, ob iustam causam concedere solet ut sollemnis professio duobus mensibus anticipetur ; praeterea, si immunitas a militia id postulet, concedit ut post vota simplicia recipiatur subdiaconatus.

b) Si verba consideres decreti *Auctis admodum*, n. I, mere memoratur vetitum ne Superiores « litteras dimissoriales concedant noviciis aut professis votorum simplicium triennalium ad hoc ut titulo paupertatis ad ss. ordines promoveri valeant ». Quare solus *usus tituli* videtur vetari. Re tamen vera, ex praesenti disciplina, duo videntur obstare ne regularis ante sollemnem professionem ordinetur : id est, praeter defectum tituli, istud etiam obstat, simpliciter professis faciliorem debere esse discessum sive per votorum dispensationem sive per dimissionem, rursus autem religiosis qui ordinantur utramque viam quasi praecludi, nisi episcopum reperiant benevolum receptorum. Quocirca, hoc arbitramur modo esse respondendum. Annuente episcopo, potest huiusmodi alumnus titulo dioecesano vel patrimonii, ordinari subdiacomus, vel, si iam est subdiaconus, ad alios ordines sacros promoveri. Tunc autem, non secus

atque iste qui iam sacerdos est Ordinem regularem ingressus, speciales sanctiones decreti *Auctus admodum* omnino effugit, ita ut dimissus vel dispensatus a votis simplicibus, re ipsa fiat clericus dioecesanus episcopi cuius, usque ad sollemnem professionem, manet proprius subditus.

IV. De indulgentiis quae in oratoriis religiosorum obtineri possunt

Fratres cuiusdam Instituti privilegio fruuntur lucrandi in sacello suo domestico quotquot indulgentias lucrari possint in ecclesia parochiali in cuius territorio est eorum domus canonice erecta. Generali praeterea privilegio 14 ian. 1909, quotquot vitam agunt communem in domo quae continenti caret ecclesia vel publico sacello, possunt in oratorio suo semi-publico lucrari indulgentias ad quas lucrandas praescribitur visitatio cuiuspiam ecclesiae *in genere*, id est non determinatae. (Cfr. PERIOD. n. **309**, t. 4, p. 320).

Age porro, gestantes numisma iubilare S. Benedicti possunt, in quolibet sacello publico, a primis vesperis 1 novembris usque ad occasum solis 2 nov. lucrari indulgentias Portiunculae, si valetudine vel distantia unius miliarii impediantur a visitanda ecclesia Benedictina. (Cfr. resp. 27 febr. 1907, PERIODIC. n. **201**, t. 3, p. 80.)

Hinc **quaeritur**, utrum possint dicti Fratres, et quotquot communem agunt vitam et miliario distant ab ecclesia Benedictina, in proprio oratorio semi-publico, indulgentiam Portiunculae Benedictinae lucrari?

R. Cum verba indulti secundum propriam significationem locum habeant, res dubio vacare videtur.

V. De professione in mortis articulo

Quaeritur quibusnam prosit notum privilegium, quo novicii ac noviciae Ordinum regularium possunt in mortis periculo professionem facere? (Cfr. *De Religiosis*, I, n. **200**.)

R. Prodest istud privilegium omnibus qui in via sunt ad professionem faciendam. Iis ergo etiam prodest qui, peracto noviciatu religioso, ob temporarium impedimentum habitum oblatorum induunt donec impedimentum auferatur; minime vero *per se* prodest ipsis *oblatis*, qui nullam habent spem religiosae professionis.

MONUMENTA

326. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM EX AUD. SS^mi 18 MART. 1909

Generalis facultas benedicendi Pueri Iesu numismata

Die 18 martii 1909.

Dies (18 mart. 1909).

SS^mus D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, sacerdotibus universis, tum saecularibus tum regularibus, rite facultate pollentibus benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas ac SS. numismata eisque applicandi indulgentias apostolicas nuncupatas, potestatem quoque fecit annectendi SS. numismatibus, quae imaginem infantis D. N. Iesu Christi praeseferunt, etiam indulgentiam quinquaginta dierum, defunctis quoque applicabilem, totiens a christifidelibus lucrandam, quotiens ipsi, corde saltem contrito ac devote aliquod ex huiusmodi numismatibus deosculantes, invocationem *Sancte puer Iesu, benedic nos* recitaverint; nec non plenariam indulgentiam ab iis acquirendam, qui unum ex memoratis numismatibus in mortis articulo deosculati fuerint, simulque, confessi ac sacra communione refecti vel saltem contriti, sanctissimum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Sacerdotibus qui indulgentias apostolicas coronis, etc. annectere possunt, conceditur facultas annectendi numismat. quae imaginem praeferunt infantis D. N. I. C. certas indulgentias.

Aloysius Can. Giambene, Substitutus pro Indulgentiis.

Clausulae.

327. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM 21 APRIL. 1909

De titulo et facultatibus missionarii apostolici

Decreti occasio et causa.

In Congregatione generali S. R. et U. I. habita ab E^mis ac R^mis DD. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, quod ad concessionem tituli Missionarii apostolici in locis iurisdictioni S. Congregationis de Propaganda Fide non subiectis, et facultates iisdem Missionariis elargiendas, praehabito voto RR. Consultorum, iidem E^mi ac R^mi DD. decreverunt :

Cum ad honorem sacri ministerii nec non ad Apostolicae Sedis dignitatem omnino exigatur, ut nullus perinsigni Missionarii apostolici titulo decoretur, qui hac non fuerit undique dignus nuncupatione, vel illam nondum suis laboribus promeruerit, nullus sacerdos praefato titulo in posterum insignietur :

Condiciones habendi tituli

1. Doctrinae,

1° Nisi authenticum documentum exhibuerit, ex quo resultet, ipsum coram examinatoribus a legitimo superiore deputatis formale examen subisse de competenti theologica et philosophica doctrina, deque peritia ad sancte, fructuose et decore praedicandum verbum Dei sacrasque dandas missiones ; atque favorabile prorsus ab iisdem examinatoribus testimonium rettulisse, et a superiore suo legitimam approbationem simul reportasse ;

2. Iurisdictionis,

2° Nisi ad excipiendas sacramentales utriusque sexus fidelium confessiones ab Ordinario loci, in quo moram nempe stabilem sive ultimam trahit orator, iam fuerit legitime approbatus ;

3. Exercitii,

3° Nisi saltem per decem annos sacris missionibus aliisque praedicationibus, ac praesertim extra limites interdum suae dioeceseos, cum laude vacaverit atque intenderit ; de qua re Ordinarii locorum fidem indubiam in scriptis fecerint, testantes pariter, oratorem statutis ab Apostolica Sede circa sacram praedicationem normis constanter adhaesisse, et irreprehensis moribus apud populum se probasse ;

4. Commendationis.

4° Nisi commendatus fuerit per litteras, ad sacram Congregationem S. Officii directe transmittendas ab Ordinario loci, ubi habituale domicilium tenet orator ; et si agatur de sacerdote regulari, consensus etiam et commendatio in scriptis, ut supra, sui superioris generalis accesserit.

Decreverunt insuper iidem E^mi ac R^mi DD. :

Condiciones usus.

5° Sacerdos, qui ab hac S. Congregatione Missionarii apostolici titulo decoratus fuerit, huiusmodi titulo et annexis indulto et facultatibus non nisi ad libitum Sanctae Sedis gaudere valeat, nec non sub directione et dependentia Ordinariorum locorum, in quibus missiones per eum fieri contigerit, quibus omnino parere debeat, ac licentiam prius cum facultatibus ab eis recipere ;

6° Indultum et facultates ab hac eadem S. Congregatione una cum titulo Missionarii apostolici concedenda, illa tantummodo erunt, quae in elencho huic decreto annexo continentur : ac praeter illa nullum peculiare privilegium, nulla habitus distinctio, neque ulla a proprio Ordinario exemptio tributa censeantur ;

7° Super rescriptum huius SS. Congregationis, quo alicui sacerdoti titulus Missionarii cum annexis indulto et facultatibus tribuitur, litterae apostolicae in forma *Brevis*, vita naturali oratoris perdurante valiturae, expediantur.

Approbatio pontificia.

Insequenti vero Feria V eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori impertita, facta de his omnibus relatione SS^mo D^no nostro D. Papae Pio X, eadem Sanctitas Sua ea omnia, quae, uti supra, E^mi Patres decreverunt, benigne approbavit et confirmavit.

A. Can. Giambene, Subst. pro Indulg.

Indultum et facultates quae una cum titulo Missionarii Apostolici a S. Congregatione S. Officii conceduntur

1° Indultum personale altaris privilegiati quater in hebdomada, dummodo simile privilegium pro alia die obtentum non fuerit, atque intuitu huiusmodi indulti nihil praeter consuetam eleemosynam percipiatur : *1. Privilegium altaris.*

2° Facultatem benedicendi extra Urbem, ac de consensu Ordinarii, privatim quandocumque, publice vero tempore tantummodo Adventus, Quadragesimae, spiritualium exercitiorum ac sacrarum missionum, quo sacras contiones ad populum habebit, coronas, rosaria, cruces, cruxifixos, parvas statuas ac sacra numismata, eisque applicandi indulgentias apostolicas nuncupatas, ut in postremo elencho edito typis S. Congregationis de Propaganda Fide, die 28 augusti 1903, nec non annectendi coronis precatoriis indulgentias a S. Birgitta dictas ; *2. Facultas benedicendi coronas, etc.*

3° Facultatem benedicendi unico crucis signo, de consensu Ordinariorum, coronas iuxta typum coronarum SS^mi^ Rosarii B. Mariae V. confectas, eisque annectendi indulgentiam quingentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, a christifidelibus lucrandam, quotiens, aliquam ex eisdem coronis manu gerentes, orationem dominicam vel angelicam salutationem devote recitaverint ; *3. Etiam coronas Crucigerorum.*

4° Facultatem impertiendi cum Cruxifixo et unico crucis signo in postrema contione Quadragesimae, Adventus, sacrarum missionum et spiritualium exercitiorum benedictionem nomine Summi Pontificis, cum annexa plenaria indulgentia, ab universis christifidelibus lucrifacienda, qui, confessi ac sacra synaxi refecti, postremae eidem contioni affuerint, et quinque saltem contiones praefatis temporibus habitas audierint ; facta etiam facultate fidelibus lucrandi indulgentiam ducentorum dierum, quotiens alicui ex eisdem contionibus interfuerint ; *4. Et dandi benedict. papalem.*

5° Facultatem benedicendi cruces, tempore sacrarum missionum erigendas, eisque applicandi indulgentiam trecentorum dierum, totiens a christifidelibus lucrandam, quotiens ipsi orationem dominicam cum angelica salutatione et *Gloria Patri*, etc., in memoriam Passionis D. N. Jesu Christi, ante quamlibet ex praefatis crucibus corde saltem contriti ac devote recitaverint ; *5. Benedicendi cruces missionum.*

6° Facultatem impertiendi christifidelibus morti proximis, servatis forma et ritu Constitutionis s. m. Benedicti XIV quae incipit *Pia Mater*, benedictionem cum annexa plenaria indulgentia, lucranda ab iisdem fidelibus, qui, confessi ac sacra synaxi refecti, vel saltem contriti, SS^mum^ Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint. *6. Dandi bened. in hora mortis.*

Annotatio

Cum regulae istae expresse circumscribantur territoriis quae S. Congregationi de Propaganda Fide non sunt subdita, manifestum fit nihil derogari de normis quae Missionariis apostolicis in locis missionum sunt praescriptae. Has cfr. supra, t. 4, p. 318,1.

328. — SS. D. N. PII PP. X

BREVE « VINEA ELECTA », 7 MAII 1909

Instituti Biblici erectio

Extrinseca controversiae necessitas et nativum muneris officium impulerunt Pontificem ut de provehendis S. Scripturae studiis sollicitus esset.

Vinea electa Sacrae Scripturae, ut uberiores in dies fructus tum Ecclesiae Pastoribus tum fidelibus universis afferret, iam inde ab exordiis Apostolici Nostri regiminis, Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, omni ope contendimus. Instabat enim in primis praesens Ecclesiae necessitas, ex eo maxime parta, quod de disceptationibus biblicis confusae essent usque quaque ac perturbatae mentes. Urgebat etiam conceptum animo Nostro desiderium, itemque nativum muneris Nostri officium provehendi pro viribus studium Sacrarum Scripturarum, comparandique, catholicis praecipue iuvenibus, catholica studiorum subsidia, ne cum ingenti sanae doctrinae discrimine ad heterodoxos se conferrent redirentque modernistarum spiritu imbuti.

Quod Leo XIII animo spectaverat,

His talibus Ecclesiae malis efficacia et nova remedia oppositurus, maioraque studiorum biblicorum incrementa curaturus, illud iam pridem Leo XIII r. m. animo spectavit, Athenaeum Biblicum in Urbe constituere, quod altioribus magisteriis omnique instrumento eruditionis biblicae ornatum, copiam praesertim excellentium magistrorum ad exponendos in scholis catholicis divinos Libros praeberet.

ipseque iam diu voverat consilium

Salutare ac frugiferum Decessoris Nostri propositum Nos quidem avide complexi, iam Litteris Nostris « Scripturae Sanctae », die XXIII februarii mensis anno MDCCCCIV datis, monuimus, percommodum Nobis consilium videri huiusmodi Athenaei Biblici in Urbe condendi, quo « delecti undique adulescentes convenirent, « scientia divinorum eloquiorum singulares evasuri », illud addentes, spem bonam Nos certamque fovere fore ut eius perficiendae rei facultas, quae tunc quidem Nobis, non secus ac Decessori Nostro deerat, aliquando ex catholicorum liberalitate suppeteret.

tandem exsequitur erigendo Institutum biblicum.

Itaque quod felix faustumque sit reique catholicae bene vertat Pontificium Institutum Biblicum in hac Alma Urbe, Apostolica Nostra Auctoritate, tenore praesentium, Motu proprio, de certaque scientia ac matura deliberatione Nostris, erigimus, eiusque leges ac disciplinam has esse statuimus:

Instituti finis.

Finis Pontificio Biblico Instituto sit ut in Urbe Roma altiorum studiorum ad Libros Sacros pertinentium habeatur centrum, quod efficaciore, quo liceat, modo doctrinam Biblicam et studia omnia eidem adiuncta, sensu Ecclesiae catholicae, promoveat.

In hunc finem selecti iuvenes perficiendi sunt in studiis biblicis;

Ad hunc finem spectat in primis ut selecti ex utroque clero atque ex variis nationibus adulescentes, absoluto iam ordinario philosophiae ac theologiae cursu, in studiis biblicis ita perficiantur atque exerceantur, ut illa postmodum tam privatim quam publice, tum scribentes cum docentes, profiteri valeant, et gravitate ac sinceritate doctrinae commendati, sive in munere magistrorum penes catholicas scholas, sive in officio scriptorum pro catholica veritate vindicanda, eorum dignitatem tueri possint.

omnibusque praesidiis ii ipsi, ceteri

Ad eundem finem pertinet ut tum magistri atque alumni Instituto ascripti, tum auditores, tum etiam hospites, qui extra-

ordinarium in Instituto studiorum cursum in disciplinis biblicis proficere cupiant, omnibus praesidiis adiuventur, quae ad studia laboresque id genus opportuna censeantur.

auditores et magistri iuvandi;

Denique Instituti fine continetur ut sanam de Libris Sacris doctrinam, normis ab hac S. Sede Apostolica statutis vel statuendis omnino conformem, adversus opiniones, recentiorum maxime, falsas, erroneas, temerarias atque haereticas, defendat, promulget, promoveat.

sanaque doctrina est tutanda.

Ut Institutum id quod spectat assequi valeat, omnibus ad rem idoneis praesidiis erit instructum.

Apta in hunc finem Instituti ratio describitur:

Quare complectetur in primis lectiones atque exercitationes practicas de re biblica universa. Ac primo quidem loco eae materiae tractandae erunt, quibus alumni muniantur ad faciendum doctrinae suae coram Pontificia Commissione Biblica periculum. His accedent lectiones atque exercitationes de quaestionibus peculiaribus ex interpretatione, introductione, archaeologia, historia, geographia, philologia aliisque disciplinis ad Sacros Libros pertinentibus. Addetur methodica et practica informatio alumnorum, qua ad disputationes biblicas ratione scientifica pertractandas instruantur et exerceantur. Praeterea publicae de rebus biblicis Conferentiae adiicientur, ut communi quoque multorum necessitati atque utilitati prospiciatur.

Lectiones, exercitationes, conferentiae;

Alterum summopere necessarium praesidium erit biblica Bibliotheca, quae opera potissimum antiqua et nova complectetur necessaria vel utilia ad verum in disciplinis biblicis profectum comparandum, et ad fructuose peragenda ordinaria doctorum alumnorumque in Instituto studia. Accedet museum biblicum, seu rerum earum collectio quae ad Sacras Scripturas et antiquitates biblicas illustrandas utiles esse dignoscantur.

Biblica Bibliotheca et museum;

Tertium subsidium erit series variorum scriptorum, nomine et auctoritate Instituti promulganda, ex quibus alia eruditis investigationibus, alia defendendae circa Libros Sacros catholicae veritati, alia spargendis ubique sanis de re biblica doctrinis proderunt.

Vulganda scripta.

De constitutione atque ordinatione Instituti quae sequuntur edicimus:

Instituti regimen

I. Pontificium Institutum Biblicum ab Apostolica Sede immediate dependeat eiusque praescriptis legibusque regatur.

I. Immediate a S. Sede pendet,

II. Instituti regimen nominando a Nobis Praesidi credatur: hic, commissi sibi muneris vi, gerat Instituti personam, de rebusque gravioribus universis, quae Institutum attingant, ad Nos referat, Nobisque regiminis sui rationem quot annis reddat.

II. A Praeside regitur,

III. Professores ordinarii constituant Instituti consilium, quod una cum Praeside provehendis Instituti ipsius bono et incremento operam navabit.

III. Consilium componunt professores.

IV. Supremam studiorum et regiminis Instituti normam et regulam principia et decreta constituent per Sedem Apostolicam et Pontificiam Biblicam Commissionem edita vel edenda. Quae principia atque decreta ut fideliter, integre sincereque servent et custodiant, speciali se obligatione teneri se universi intellegant, qui ad Pontificium hoc Institutum Biblicum quovis modo pertineant atque ad studia biblica in ipso Instituto incumbant.

IV. Principia et decreta Sedis Apostolicae et Pontificiae Biblicae Commissionis supremam dabunt normam.

Quae ad constitutionem atque ordinationem Instituti huius Biblici propius spectent, ea in propriis Instituti legibus, his Litteris Nostris adiunctis, enucleatius declaramus.

Propriae accedunt leges.

Clausulae. Haec volumus, edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, efficaces semper existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Dies (7 maii 1909). Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die VII maii MDCCCCIX Pontificatus Nostri Anno Sexto.

R. Card. Merry del Val, *a Secretis Status.*

Leges Pontificio Instituto biblico regendo

Titulus I

De studiis in Instituto peragendis

1. Studiorum materia. 1. Peragendorum in Instituto studiorum materia ea in primis est quae ad Academicos gradus, a Pontificia Commissione Biblica conferendos, requiritur. Fas praeterea erit, de disceptationibus universis, ad profectum disciplinae biblicae pertinentibus, in Instituti ipsius scholis disserere.

2. Variae scholae. 2. Habendae in Instituto scholae triplicis generis sint : lectiones, exercitationes practicae, conferentiae publicae.

3. Ratio lectionum. 3. In lectionibus pars aliqua disciplinae biblicae, nec nimis amplis nec nimis artis circumscripta limitibus, ratione scientifica alumnis proponatur, ut ita in studiis adiuventur et ad subsequentes labores fructuose exantlandos sedulo instruantur.

4. Ratio exercitationum. 4. Practicae exercitationes triplicem habeant sibi propositum finem : a) *quod ad materiam studiorum*, viam sternere ad argumentum aliquod altius noscendum, subsidiis litterariis propositis, rationibus illustratis, difficultatibus solutis ; b) *quod ad formam*, edocere omnes familiaremque, institutione et usu, reddere scientificam methodum in studiis servandam ; c) *quod ad praxim*, exercitationibus viva voce aut scripto habendis, alumnorum quoque excitare activam assiduamque operam eorumque facultates scientificas ac paedagogicas evolvere.

5. Ratio conferentiarum. 5. Conferentiae publicae occurrant in primis communi multorum necessitati atque utilitati. Hae tamen alumnis etiam Instituti multiplicem poterunt fructum afferre, cum rationem ipsis ostendant disputationes biblicas modo scientifico simul et populari, multorumque intellectui accommodato, pertractandi, suppeditentque provectioribus opportunitatem se practice exercitandi in hoc perutili dicendi genere hac nostra potissimum aetate summopere necessario.

6. Instrumenta studiorum praesto eruni. 6. Pro universis biblicis studiis, tam in scholis quam privatim peragendis, Institutum alumnis offeret commodam laborum supellectilem omniaque eruditionis biblicae instrumenta.

Titulus II

De regimine Instituti

Praesidis munus et nominatio. 7. Regimen Instituti spectat ad Praesidem, qui sui muneris vi, Instituti personam gerit.

8. Praeses a Summo Pontifice nominatur, audita relatione Praepositi Generalis Societatis Iesu, qui tres pro eo munere candidatos Ipsi proponet.

9. Praesidis adiutor et Socius munere fungatur a secretis Instituti, et in rebus ordinariis vices gerat absentis vel impediti praesidis. *Reliquae personae.*

10. Pro bibliothecae cura gerenda et ceteris externis rebus ordinandis, bibliothecarius et custos aliique idonei socii designentur.

11. Praeses de omnibus gravioribus Instituti rebus ad Apostolicam Sedem referat, et ipsi Sedi regiminis sui rationem quotannis reddat. *Ratio reddenda.*

Titulus III

De magistris Instituti

12. Lectiones, exercitationes et conferentiae certis temporibus habeantur ac dirigantur ab Instituti magistris. Hi vero vel ordinarii professores vel extraordinarii lectores erunt. *Professores sunt ordinarii, a Praeposito generali S. I. nominati, et extraordinarii.*

13. Professores ordinarii de consensu Apostolicae Sedis per Praepositum Generalem Societatis Iesu nominentur.

14. Lectores extraordinarii, postquam plures per annos in officio docendi se probaverint, ad ordinarii professoris munus, servatis servandis, ascendere poterunt.

15. Magistri omnes etiam extra lectiones atque exercitationes practicas alumnis praesto erunt eosque in disciplinae biblicae studiis adiuvabunt ac dirigent. Scriptis quoque suis propositum Instituto finem assequendum curabunt, illudque maxime cavebunt, ne in varias ac dissitas doctrinae investigationes abstracti, maturo laborum suorum fructu destituantur. *Eorum munus.*

Titulus IV

De celebrantibus Instituti scholas

16. Iuvenes studiis biblicis in Instituto operam navantes, ad tres classes pertinere poterunt; nam aut alumni proprie dicti erunt, aut auditores inscripti aut hospites liberi. *Tres iuvenum classes.*

17. In numerum alumnorum proprie dictorum non admittentur nisi qui sint in Sacra Theologia doctores, cursumque philosophiae scholasticae integre absolverint. Alumni omnes ita expleant in Instituto regulariter studiorum cursum ut se ad periculum coram Pontificia Commissione Biblica faciendum parent. *Alumni quinam.*

18. Auditores inscribi possunt qui integrum philosophiae ac theologiae cursum absolverint. *Auditores quinam.*

19. Ceteris studiosis, tamquam hospitibus liberis, ad lectiones audiendas aditus pateat. *Hospites.*

20. Alumni atque auditores frequentes assidue esse diligentiamque servare tam in lectionibus quam exercitationibus Instituti teneantur. *Alumnorum et auditorum partes.*

Titulus V

De Bibliotheca Instituti

21. Bibliotheca Instituti ita instruatur ut ordinariis studiis atque elucubrationibus tam doctorum quam discipulorum necessaria atque utilia praebeat litteraria subsidia. *Bibliothecae opera.*

22. Quare complectatur in primis opera Sanctorum Patrum aliorumque interpretum catholicorum et praestantiorum acatholicorum de Biblicis disciplinis.

23. Peculiari ratione Bibliotheca instruatur praecipuis operibus encyclopaedicis et periodicis recentioribus ad biblica pertinentibus.

Quibusnam patebit.

24. Praeter magistros, Instituti alumni atque auditores ad usum Bibliothecae ordinarium prae ceteris admittantur. Ordinario Bibliothecae usu sint reliqui interdicti.

Nihil auferetur ex ea.

25. Cum Bibliotheca in id debeat maxime inservire ut studia ipso in Instituto peragantur, libros et scripta periodica in alium locum asportare nefas erit.

Dies (7 maii 1909).

Ex Aedibus Vaticanis, die 7 maii a. 1909.

De speciali mandato Sanctissimi,

R. Card. Merry del Val, *a Secretis Status.*

---

329. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETA 11 IUN. ET 8-9 IUL. 1909

Varia dubia de competentia in Curia Romana

A. *Decretum 3-11 iun. 1909.*

Restitutis tribunalibus, **dubia** *exorta*

Vi Constitutionis *Sapienti consilio* restitutis vel potius noviter institutis tribunalibus S. Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae, quae sequuntur dubia exorta sunt circa competentiam propriam SS. Congregationum et Tribunalium :

I. De restitutione in integrum.

I. Utrum restitutio in integrum adversus sententiam alicuius S. Congregationis, editam ante Constitutionem *Sapienti consilio*, sit concedenda ab ipsa sacra Congregatione, quae sententiam tulit, vel a sacra Rota, vel ab Apostolica Signatura.

II. De munere advocati pro adiutore Rotae.

II. Utrum adiutores Auditorum S. Rotae agere possint munus advocati in aliqua causa, quae agitur apud S. Rotam, vel apud Apostolicam Signaturam.

III. De solutione per viam disciplinarem.

III. Quaestione aliqua ad sacram aliquam Congregationem delata, et una ex partibus dissentiente quominus ibi res disciplinari seu administrativo modo dirimatur, dubium de competentia ita excitatum, a quonam et quomodo definitiva et inappellabilli sententia sit resolvendum.

IV. De competentia S. Rotae.

IV. Et si res sit apud S. Rotam, dubium de eius competentia a quonam et quomodo definitiva pariter et inappellabili sententia sit resolvendum.

Dies (3 iun. 1909).

Et Emi Patres S. Congregationis Consistorialis, votis Consultorum aliisque perpensis, in pleno conventu diei 3 iunii 1909 respondendum censuerunt :

Responsa.

Ad I. Ad I. Ab Apostolica Signatura, de commissione Sanctissimi.

Ad II. Ad II. *Negative* in utroque casu.

Ad III. Ad III. Servetur dispositio *Normarum peculiarium Ordinis* (seu *Regolamento*), *cap. I, num. 3, et cap. III, num. 10.* Quod si Congressus dubitet de sua competentia, rem deferat ad S. Congregationem Consistorialem pro dubii definitione, iuxta *num. 2, cap. I* earundem *Normarum.* Si vero Congressus decernat, causae cogni-

tionem ad se competere, et una ex partibus recursum ad SSmum Dominum contra Congressus resolutionem interponat. de commissione ipsius SSmi quaestio de competentia pariter a S. Congregatione Consistoriali dirimatur.

Ad IV.

Ad IV. Firmo quod S. Rota, cum sit appellationis tribunal, videre nequit de instantiis in primo gradu, nisi ex commissione SSmi, in casu quo recursus penes S. Rotam interpositus fuerit contra aliquem Episcopi seu Ordinarii actum, de quo disceptetur vera ne sit sententia, an potius decretum seu dispositio disciplinaris : dubium de competentia dirimatur iisdem, cum proportione, servatis regulis ac in praecedenti responsione.

Approbatio SSmi 11 iun. 1909.

Facta vero de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio PP. X in audientia diei 11 iunii 1909, Sanctitas Sua supra relatas resolutiones Emorum Patrum approbare et confirmare dignata est.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, Assessor.

B. *Decretum 8-9 iul. 1909.*

Dubium

In Congregatione generali, die 8 iulii 1909 habita, propositum fuit etiam sequens dubium : *Utrum facultas admittendi ad compositionem eos qui bona ecclesiastica quaecumque occuparunt aut detinent, privative tribuenda sit Sacrae Congregationi Concilii, an potius, quando agitur de bonis ad Ordines aut religiosas familias pertinentibus, eadem facultas reservanda sit sacrae Congregationi de Religiosis.*

Attento compositionum fine.

Hac super re rogatus fuit de suo voto unus ex Consultoribus, qui, inter alia, animadvertit, Ecclesiam in concedendis compositionibus intendere primario, quo consulat conscientiae ac spirituali fidelium saluti, et, non nisi secundario, bono temporali piarum causarum, ecclesiarum et Ordinum religiosorum, quibus bona ipsa spectant ; harum autem causarum iuribus satis provideri ex eo quod compositio non conceditur, nisi requisito singulis vicibus ipsarum consensu, eoque ab ipsis concesso vel saltem a SSmo suppleto.

Responsum.

His aliisque sedulo perpensis, Emi Patres Sacrae Congregationis Consistorialis supra relato dubio respondendum censuerunt : *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Confirmatio pontificia.

Facta vero insequenti die relatione SSmo, Ipse memoratam resolutionem ratam habuit et confirmavit.

Carolus Perosi, Substitutus.

Annotatio

De altero decreto attentum velimus lectorem ad pulchram considerationem quae decreto inseritur, Ecclesiam, in compositione concedenda minus temporali piae causae utilitate quam spirituali fidelium salute moveri. Huc etiam faciunt pulcherrimae litterae 16 ian. 1909, recitatae supra, n. **316** (t. 4, p. 339. 340), quibus, nomine S. Pontificis, S. Paenitentiaria Episcopis Galliae rectam rationem declarat utendi concessis componendi facultatibus.

330. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

RESPONSA 30 IUL. 1909

De sollemni monialium professione quae nulla sit ob omissa vota simplicia

Memorato decreto Perpensis,

Per decretum sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium d. d. 3 maii 1902, quod incipit *Perpensis*, iniunctum fuit monialibus cuiuscumque Ordinis, ut, peracta probatione et noviciatu, vota simplicia emittant, nec ad sollemnem professionem admitti possint, nisi expleto triennio a die qua vota simplicia emiserunt; ita nempe « ut si qua, non exacto integro triennio, ad professionem sollem- « nem, quacumque ex causa, admitteretur, professio ipsa irrita « prorsus foret, et nullius effectus (Decretum *Perpensis*, II) ».

et relata quarundam ignoratione.

Cum autem huiusmodi decretum in notitiam aliquot monasteriorum vel monialium non nisi post aliquod temporis spatium venerit, admissae fuerunt ad professionem votorum sollemnium non nullae noviciae immediate post noviciatum, ex decreti ignorantia. Hinc quaeritur:

Quaeritur

I. De vi istius professionis.

I. An professio, quam moniales praedictae emiserunt post diem 3 maii 1902, tamquam sollemnem, non praemisso triennio votorum simplicium ex ignorantia decreti *Perpensis*, haberi debeat tamquam nulla? Et quatenus *affirmative:*

II. Saltem ut simplicis,

II. An professio, in iis circumstantiis emissa, debeat saltem haberi valida, uti professio simplex?

III. De vi renuntiationis et donationum.

III. An renuntiatio, donationes, etc. a moniali factae occasione talis invalidae professionis, habendae sint tamquam nullae, ac proinde res donatae ab illa legitime repeti possint cum dote?

Dies (30 iul. 1909).

Emi Patres sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in plenario coetu habito ad Vaticanum die 30 iulii 1909, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Responsa

Ad I. Ad I. *Affirmative.*

Ad II. Ad II. *Negative.*

Ad III. Ad III. *Affirmative.*

Approbatio SSmi.

Quibus omnibus sanctissimo Domino nostro Pio Papae decimo per infrascriptum Secretarium sacrae Congregationis de Religiosis sequenti die relatis, Sanctitas Sua responsiones Emorum Patrum approbare et confirmare dignata est.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
D. L. Ianssens, O. S. B., Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Primo suo responso, S. Congregatio a sententia recessisse videtur quam S. Alphonsus l. 1, n. 96, nixus etiam iure romano, Authent. *Ut factae*, probabiliorem vocat, diversamque secuta esse quam R. P. Wernz, *Ius decretalium*, t. 1, introductio, n. 101, proponit tamquam magis communem inter canonistas. Si quidem admittit S. Doctor legem omnem ecclesiasticam, nisi aliud expresse caveatur, per duos menses a sua promulgatione vacare, dum R. P. Wernz meram concedit excusationem ob praesumptam ignorationem, quae iudicem moveat ne poenam infligat. Age vero, cum

decretum *Perpensis* latum sit 3 maii 1902, et professiones sollemnes post hanc diem factae universali modo declarentur nullae et infirmae si omissa fuerit condicio simplicis professionis, quam decretum istud praeponere praecipit, S. Congregatio nullam legis vacationem agnovisse videtur.

Severa sane est huiusmodi interpretatio, cuius tamen rigorem temperare poterit beneficium sanationis in radice quam, quantum aequitas suaserit, S. Sedes monialibus non negabit.

2. Altero responso, tamquam simplex valere negatur professio quae nulla erat tamquam sollemnis. Et merito quidem ; simplex enim professio proprios habet effectus iuridicos ac regimen inducit in quo de bonis monialis et de vinculo cum Ordine haec statuuntur quae utilem constituunt probationem ante sollemnia vota [1]. Hac experientia privatur monialis quae se sollemni professione existimabat astricta. Quare, etiam si eius consensus in sollemnem professionem assensum in simplicem virtualiter continere videatur, superest tamen gravis causa cur Ecclesia formalem exigat per tres annos simplicis professionis experientiam. Hinc, si qua monialis sollemnem fecerit professionem anno, v. gr. 1903, omissa professione simplici, debebit nunc ad simplicem professionem admitti atque in ea per tres annos permanere. Incommodis autem quae inde in casibus particularibus facile nasci possint, S. Sedes, ad quam patet recursus, non aegre providebit.

3. Tertio demum responso logicum continetur corollarium de radicali nullitate dispositionum bonorum. Observes tamen a possessore bonae fidei id tantum esse restituendum quod formaliter vel aequivalenter servaverit rerum quae ad ipsum pervenerunt.

---

331. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

INSTRUCTIO 30 IUL. 1909

Circa debita et obligationes oeconomicas a religiosis familiis suscipienda

Damnosae facilitati contrahendi debita,

Inter ea quae religiosis familiis maius detrimentum afferunt, quaeque, sicut earum tranquillitatem perturbant, ita bonam existimationem in discrimen vocant, praecipue est numeranda nimia facilitas qua aliquando debita contrahuntur.

Quae, honestis saepe causis palliata,

Saepe enim aes alienum inconsulto et intemperate suscipitur, sive ad excitandas domos, sive ad eas augendas et ampliandas, sive ad tyrones plus aequo recipiendos, sive ad manum apponendam operibus vel instituendae iuventutis, vel sublevandae miseriae.

Deo tamen grata esse nequit,

Quae quidem omnia, licet vel in se, vel ratione praestituti finis, sint opera laude digna, cum tamen regulis christianae prudentiae et aequae administrationis non semper respondeant, ideoque apostolicarum praescriptionum verbis et spiritui contraria sint, Deo esse grata non possunt, nec proximo valent permansuram afferre utilitatem.

---

[1] Prorsus ergo distincta est quaestio utrum necne professio huiusmodi simplex linquat votum, v. gr. castitatis coram Deo. Quod in foro interno ex profitentis intentione diiudicandum est. Cfr. *De Religiosis*, I, n. **217**.

Atque in dies invalescere videtur,

mederi volens Pontifex,

haec statuit omnibus Institutis religiosis apprime servanda :

Cum autem in dies misere succrescat huiusmodi abusus debita contrahendi absque prudentibus cautelis, et frequenter sine venia, sive Superioris generalis sive huius Apostolicae Sedis ; attentis peculiaribus et extraordinariis sane circumstantiis in quibus publicae et privatae res oeconomicae versantur ; ne domus quaecumque religiosae, ex sua leviori agendi ratione, in aere alieno contrahendo damnum in posterum persentiant ; Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, habitis suffragiis Em^orum Patrum Cardinalium huius Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in plenario coetu ad Vaticanum habito, die 30 iulii 1909, post maturum examen, haec decernere, statuere et praescribere dignatus est, a singulis Ordinibus, congregationibus, institutis, utriusque sexus, sive votorum sollemnium sive simplicium, a monasteriis, collegiis et domibus religiosis, sui quoque iuris, vel Ordinariis locorum subiectis, apprime servanda :

I. Nullae a moderatoribus quibuslibet suscipiantur notabiles obligationes oeconomicae

I. Moderatores, sive generales sive provinciales seu regionales sive locales, nulla debita notabilia contrahant, nullasque notabiles obligationes oeconomicas suscipiant, directe vel indirecte, formaliter vel fiducialiter, hypothecarie vel simpliciter, cum onere vel absque onere redituum seu fructuum, per publicum vel privatum instrumentum, oretenus vel aliter :

a) Sine praevio consensu Consilii generalis

a) absque praevio consensu Consilii generalis seu Definitorii, si agatur de Curia generali, aut de domo vel domibus, immediate iurisdictioni seu directioni Curiae generalis subiectis ;

b) vel Consilii provincialis et expressa licentia Moderatoris generalis cum voto deliberativo Consilii generalis ;

b) vel absque praevio consensu Consilii seu Definitorii provincialis, et expressa licentia Moderatoris generalis, accedente voto deliberativo Consilii seu Definitorii generalis, si agatur de debitis vel obligationibus a Superioribus provincialibus vel regionalibus contrahendis seu suscipiendis ;

c) vel Consilii localis et expressa licentia Moderatoris generalis seu quasitalis eiusque Consilii.

c) vel absque praevio consensu Consilii localis seu monasterii sive domus, quocumque nomine designetur, sub nullo Superiore provinciali seu regionali positae, et expressa licentia Moderatoris generalis, eiusque Consilii seu Definitorii generalis.

Quod si Ordo in varias congregationes seu familias, proprium Praesidem seu Moderatorem generalem seu quasi generalem habentes, divisus sit, huius Praesidis seu Moderatoris eiusque Consilii licentia necessaria omnino erit ;

d) vel Consilii localis, accedente scripta licentia Ordinarii loci, nisi domus sit exempta.

d) vel absque praevio consensu Consilii localis, si agatur de monasteriis vel domibus nulli Moderatori generali subiectis, accedente tamen licentia in scriptis Ordinarii loci, si monasteria seu domus huiusmodi ab Ordinarii iurisdictione vere exempta non sint.

II. Quid notabilitis quantitas.

Ultra 10.000 libellas requiritur beneplacitum apostolicum.

II. In debitis vel obligationibus oeconomicis contrahendis habenda est notabilis quantitas, quae superat 500 libellas, nec attingit 1000, si agatur de monasteriis vel domibus singulis ; quae superat 1000 libellas, nec attingit 5000, si agatur de provinciis vel quasi provinciis ; quae superat 5000 libellas, si de Curiis generalibus. Quod si domus, provincia vel Curia generalis debita vel obligationes contrahere intendat, quae valorem 10.000 libellarum excedant, praeter licentiam respectivi Consilii, ut supra, requiritur beneplacitum apostolicum.

III. In aestimanda quantitate debita coalescunt.

III. Non licet per diversa debita vel per obligationes diversas, quae quomodolibet contracta sint vel contrahantur, summam respectivam in praecedenti articulo expressam superare ; sed omnia et singula debita omnesque et singulae obligationes, quomodolibet

contracta, semper coalescunt. Ideoque nullae omnino erunt licentiae ad nova debita contrahenda novasque obligationes suscipiendas, si anteacta debita vel obligationes nondum exstincta sint.

Hinc nullae sunt novae licentiae si debita nondum sint exstincta.

IV. Pariter nulla erunt indulta seu beneplacita apostolica ad contrahenda debita vel ad suscipiendas obligationes, valorem 10.000 libellarum excedentia, si domus, provincia vel Curia generalis oratrix in precibus reticeat alia debita vel alias obligationes, quibus forsan adhuc gravatur.

IV. Vel si in petendo beneplacito ap., reticeantur iam exstantes obligationes.

V. Si qua autem congregatio et institutum votorum simplicium aliaeque religiosae Familiae Consilia generalia, provincialia et localia non habeant, illa intra tres menses constituant ad hunc finem vigilandae administrationis oeconomicae. Monasteria autem seu domus, quae sint sui iuris, nec Consilium libera capituli localis electione constitutum habeant, illud pariter intra tres menses sibi eligant. Consiliarii autem per triennium in officio permaneant, et sint quattuor in monasteriis vel domibus quae saltem duodecim electores habent, et duo ad minus in aliis.

V. Ubi desint consiliarii, sunt intra tres menses constituendi.

VI. Suffragia, de quibus agitur in articulo I, totiens quotiens exquirantur, et semper secreta atque deliberativa sint, non mere consultativa ; licentiae autem, virtute suffragiorum concessae, numquam oretenus, sed in scriptis dentur. Acta vero Consilii subscribantur tum a Moderatore tum a singulis consiliariis.

VI. Suffragia quo modo sint exquirenda, danda et subscribenda.

VII. Graviter oneratur Moderatorum conscientia, ne per se vel oeconomum, vel aliter, consiliariis occultent, ex toto vel ex parte, bona quaecumque, reditus, pecunias, titulos, donationes, eleemosynas, et alia valorem aliquem oeconomicum habentia, etiamsi data sint Moderatori intuitu personae ; neque de debitis vel obligationibus quomodolibet contractis taceant ; sed omnia plene, exacte, sincere, fideliter revisioni, examini et approbationi Consilii committantur ; omnia etiam documenta pariter consiliariis examinanda tradantur.

VII. Consiliariis omnia documenta tradere debent Superiores.

VIII. Nulla fundatio monasterii vel domus, nullaque fundationis amplificatio vel mutatio fiat, si pecunia solvenda non habeatur, et hac de causa debita vel obligationes oeconomicae contrahenda sint, etiamsi fundus vel materia ad aedificandum vel aliqua pars aedificii gratuito donetur vel construatur ; nec sufficit promissio pecuniae etiam in magna quantitate ab uno vel pluribus benefactoribus tribuendae, quia huiusmodi promissiones saepe non adimplentur, cum periculo gravis nocumenti materialis et moralis Religiosorum.

VIII. Nulla permittitur fundatio vel fundationis mutatio, nisi pecunia solvenda habeatur.

IX. Ut pecuniae, reditus aliique proventus legitime collocentur in aliquo tuto, licito ac fructifero investimento, et ut potius in uno quam in alio investimento ponantur, requiritur votum Consilii, totiens quotiens exquirendum, exhibitis praefato Consilio omnibus notitiis circa formam, modum et alias investimenti circumstantias. Quod item valet pro qualibet investimenti mutatione, servatis aliis de iure servandis.

IX. Ad pecunias collocandas vel ad mutandam collocationem, votum Consilii requiritur.

X. Quae de triplici clavi capsam claudente deque ipsius capsae visitatione, nec non de recta administratione rerum temporalium praescribuntur in constitutionibus singularum Familiarum religiosarum, si severiori ratione, quam in singulis articulis praesentis Instructionis ordinentur, accurate serventur in iis quae ipsi Instructioni contraria non sint. Et ubi administratio temporalis per propria

X. Salva hac Institutione, servanda sunt praescripta severiora de administratione temporali.

Ubi desint, sunt quam primum conficienda.

statuta ordinata non fuerit, omnia quam primum ordinentur, prae oculis habitis quae in *Normis*, *cap. VI*, dicuntur, quaeque non solum sorores, sed et viros religiosos respiciunt, ut habetur in *nota in fine pag. 3* earundem *Normarum* posita, salvis semper praescriptionibus huius Instructionis.

XI. Gravari nequeunt bona quae onera Missarum annexa habent, nec expendi eleemosynae Missarum nondum celebratarum.

XI. Fundus, legata et alia quaecumque bona, quae quomodolibet Missas annexas habent eorumque fructus vel reditus nullo pacto debitis vel obligationibus oeconomicis, cuiuscumque condicionis sint, ne quidem ad breve tempus, gravari possunt ; et pecuniae pro Missis manualibus vel aliis celebrandis acceptae, ante ipsarum celebrationem, nullo pacto nullaque de causa, neque ex toto neque ex parte expendi possunt, sed integre servari debent. Qua in re speciali vigilantia procedant tum Moderatores tum Consiliarii.

XII. Confirmantur sanctiones de dotibus.

XII. Quae de dotibus monialium et sororum non alienandis ab Apostolica Sede iam dudum statuta sunt, erunt apprime servanda. Nullo igitur pacto, neque cuiusvis utilitatis intuitu fas erit capitalia huiusmodi dotum consumere, quousque respectivae moniales vel sorores vivant ; sub poenis a iure determinatis. Et Apostolicae Sedis venia erit expetenda, si ob gravissimas circumstantias perutilis iudicetur etiam unius tantum dotis alienatio.

XIII. Cautiones de donationibus memorantur et confirmantur.

XIII. Donationes, etiam titulo eleemosynae vel subsidii, non fiant, nisi iuxta condiciones a Sancta Sede praescriptas, et iuxta mensuram in singulis constitutionibus ordinatam, vel a capitulis, et in eorum defectu, a Superioribus generalibus cum respectivis Consiliis legitime determinatam.

XIV. Hae obligant etiam moniales et sorores.

XIV. Omnia quae in hac Instructione praescribuntur, non solum Ordines, congregationes et instituta virorum, sed etiam monialium et sororum respiciunt. Violatores autem earundem praescriptionum graviter puniantur, et si violatio sit de iis quae de iure communi vel iuxta praesentem Institutionem apostolicum beneplacitum requirunt, poenis ipso facto subiaceant, alienatoribus bonorum ecclesiasticorum inflictis.

Sanctio poenalis.

Clausula derogatoria.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
D. L. Janssens, O. S. B. Secretarius.

Annotationes

1. Imprudens aeris alieni susceptio qua, ob fines ceterum laudabiles, instituta religiosa non solum temporali ruinae cum non exiguo plurium scandalo opponuntur, sed etiam ab ipso fervore religioso et spirituali filiorum Dei libertate avocari consueverunt, novas sollicitae S. Sedis curae suggessit cautelas praesenti instructione praeceptas. Earum occasione, non pauca, ni fallimur, erunt a S. Sede solvenda dubia. Quare plenius erit de argumento nostro postea agendum. Interea non nulla, pro viribus nostris, annotabimus. Atque, in primis, rationabilis et temperata instructionis expositio eo magis commendanda est, quod ipsa praescriptas cautelas demonstrare debet humano modo possibiles, et sic impedire ne saluberrimo fine suo fraudentur. Solet enim nimia difficultas et rerum complicatio humanae fragilitati occasionem dare obligationes neglegendi.

2. Ex ipso fine praecisum instructionis obiectum eruimus. Sacra Congregatio compescere voluit crescentem abusum « aeris alieni inconsulto et intemperate suscipiendi ». Quare alia verba praefationis « *debita*, *obligationes oeconomicae* » intellegemus ut idem sonantia quod aes alienum *aliquo modo* contractum. *Aliquo modo*, inquam, id est cum vel sine feneris onere, aperte vel palliata ratione, addita hypotheca vel sine tali gravamine, sicut explicat art. 1.

3. Hinc quaedam colligi posse videntur. Nulla vetatur emptio (quamvis emptio obligationem creet solvendi pretii) quam non sequatur formalis vel virtualis pecuniae mutuae acceptio. Poterunt ergo libere comparari alimenta (lato sensu) consueta quibus ex aliis reditibus et eleemosynis speratis, intra annum satisfieri posse videtur. Sin aliter, magnae religiosorum domus cottidianos recursus ad S. Sedem facere deberent. Et in aestimandis facultatibus religiosorum, v. g. cum agitur de novi conventus erectione, S. Sedes ad speratas annuas eleemosynas animum attendere consuevit.

Perinde dicendum videtur de aliis impendiis, v. g. ad exstruendam novam quampiam domus partem.

Poterunt etiam si qui religiosi, v. g. Trappenses, more suo honestae negotiationi oeconomicae incumbunt, sicut antea, opera propria cervisiam, vinum, etc. conficere, quamvis haec frequentes postulent emptiones quarum pretium post tertium mensem plerumque est solvendum. Donec aere proprio, sive iam parato, sive quod ex venditione speratur, pretium solvi possit, praesentis instructionis severitatem effugiunt.

Mera tamen probabilitas habendi pecuniam sufficere non videtur, sed oportet ut id quodam modo moraliter (lato sensu) constet.

Fit ut propter ipsam bonorum securitatem et ad minuendas taxas secus solvendas, domus vel fundus ita acquiratur ut de pretio solvendo caveatur per hypothecam quae in fundum vel domum constituitur. Huiusmodi hypotheca in reprehensionem alienationis non incurrit, cum sic emens potius deminute acquirat quam aliquid alienet. Cum autem saepe satis diu differatur, propter easdem causas, solutio et annuae pretii solvendi promittantur usurae, nonne hic intercidere dicenda est oeconomica obligatio quae praesenti instructione est regenda ? Ita dici posse non diffitemur. Si tamen ementibus religiosis praesto sint sufficientes nummi vel « valores » quorum liberam habeant dispositionem, et sincere agatur, ita ut re vera velint tantum securius et minore soluta taxa possidere, non damnaverimus qui existimet nullam hic haberi veram, sed apparentem tantum susceptionem aeris alieni, saltem quantum ad praesens refert decretum.

4. Articulus II, dum notabilem quantitatem definit eam quae 500 libellas superat nec attingit 1000, vel quae superat 1000 nec attingit 5000, negare non vult notabiles esse summas quae 1000 vel 5000 superent, sed insinuat quod postea fortasse declarabitur, ultra 1000 debitum non posse iam a Superiore locali contrahi sed causam reservari Provinciali, ultra vero 5000 causam devolvi ad Generalem.

5. Non dissimili ratione, articulum III, quo sapienter prohibetur ne per diversa debita superetur summa maxima quam, pro loco quisque suo, Superior mutuam accipere permittitur, hoc modo interpretabimur, ut non consideranda dicamus nisi debita quae superent pecunias et titulos semper commutabiles quae in libera

sint monasterii possessione (exclusis proinde « capitalibus » et monialium dotibus). Hac ratione, monasterium quod debeat 10.000 fr. sed liberas habeat pecunias 15.000 fr. nullo debito oneratum censeatur.

6. In variis Instructionis articulis, sermo fit de obligatione oeconomica quam suscipiat Superior generalis, Provincialis, et localis a Provinciali vel a Generali independens. (Cfr. art. I, a. d.)

Quid autem de Superiore locali proprii nominis qui domum regit cuius mediatus Superior est Provincialis ? Casus iste praetermitti videtur. Donec S. Sedes dubium istud solverit, ex n. II, ubi licentia respectivi Consilii modo generali postulari videtur, dici possit opus tunc esse voto deliberativo Consilii localis, et consensu Superioris Provincialis, cum Consilio provinciali.

7. Ubi sint Consilia, quamvis sine electione constituta, nullatenus articulo V requiritur ut nova ratione componantur. Nec varia consilia administrationem oeconomicam stricte approbare debent ; sed omnia examinare ut possint de debitis contrahendis et de collocandis pecuniis sententiam dicere.

8. Articulo VIII circumscribitur certis finibus libertas fundandi vel augendi fundationem. Observes autem duas condiciones requiri ut prohibitioni sit locus. Requiritur enim ut pecunia solvenda desit, atque ut hanc ob causam debita vel obligationes oeconomicae sint suscipienda. Quare missionarii, qui satis saepe, nondum collecta pecunia, quaedam fundant vel ampliant, sed ex speratis rationabiliter subsidiis impendia solvere cogitant, praesenti lege non damnantur.

9. Articulo IX indirecte confirmantur ea quae scripsimus de commutatione titulorum pro qua beneplacitum apostolicum requiri videbatur. (Cfr. Periodicum, t. 2, p. 89 ss.) Nulla alia sollemnitas *diserte* saltem postulatur nisi ut habeatur votum Consilii Superioris.

10. Contra legis violatores poenae latae sententiae non edicuntur, nisi beneplacitum apostolicum, ubi requiratur, fuerit neglectum. Quam sapientem poenarum latae sententiae moderationem non possumus non laudare.

11. Denique, ob verba quibus derogatur contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, praesens Instructio omnes omnino Ordines tam virorum quam Monialium et Congregationes afficit. Non possit itaque ex privilegiis Ordinis exemptis quaedam allegari.

De Institutis tamen quae iuris sunt dioecesani minus constat ipsa praesenti decreto, quo non nominantur, comprehendi. Quare ulteriorem declarationem, si qua futura sit, exspectare poterunt.

---

332. — S. CONGR. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

RESPONSUM 13-15 AUG. 1909

De usu facultatum Episcopi ordinantis alienos subditos

Dubium *de competentia.*

In Congregatione generali, die 13 augusti 1909 habita, proposito dubio : « utrum Episcopus, gaudens indulto conferendi Ordines « extra tempora et non servatis interstitiis, eo uti possit etiam erga « alienos subditos, suorum Ordinariorum dimissorias habentes » ; Emi Patres, re matura perpensa, respondendum censuerunt : « *Affirmative*, facto verbo cum SSmo ».

Responsum.

Sanctitas vero Sua, audita relatione R. P. D. eiusdem sacrae Congregationis Secretarii, in audientia diei 15 augusti 1909, Emorum Patrum resolutionem approbavit et confirmavit. *Approbatio pontificia.*

D. Card. FERRATA, *Praef.*
Ph. Guistini, Secret.

ANNOTATIONES

1. Responso isto facilitati ordinationum bene consulitur. Fiebat enim ut episcopus subdito suo dimissorias daret ad alienum epicopum, neglecta dispensatione a temporibus vel ab interstitiis. Hinc ordinandus vel ipse ordinans episcopus molestas quandoque, urgente ordinatione, facere debebant inquisitiones et negotiationes, vel ipsam ordinationem negare. Putabant enim communiter, dispensationem a solo episcopo ad cuius dioecesim pertinebat subditus concedi posse. Cfr. v. gr. GASPARRI, *Tract. canon. de s. ordinatione*, t. 1, n. 80, t. 2, n. 506. De regularibus tantum erat responsum, dispensationem ad episcopum *ordinantem* spectare, id est ad eum ad quem dimissoriae litterae erant directae. Cfr. resp. S. CC. 24 aug. 1686 et nostrum tom. I, *De Religiosis Inst. et Pers.* n. **480**.

2. Ipsa tamen responsi forma, quae est declaratio potius quam nova attributio, indicat rem S. Congregationi non adeo manifestam esse visam. Res enim pendet ex intentione S. Sedis facultatem dispensandi tribuentis. Haec quandoque conceptis verbis usum permittebat erga non subditos. Ac propendebat in benignitatem. Ita 29-30 ian. 1896 permisit S. Officium, facto verbo cum SSmo, ut recepta facultate dispensandi super defectu aetatis ob operariorum penuriam Episcopus erga Regulares uti posset [1]. Utcumque se res ista habet, praesentis responsi facultas magnam afferet ordinanti et ordinandis utilitatem.

---

333. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM 1 APRIL. 1909

Benedictio in articulo mortis pro religiosis mulieribus

Cum religiosis mulieribus ad instituta votorum tum sollemnium tum simplicium pertinentibus benedictionem apostolicam in articulo mortis impertiri non nisi ordinarius earum confessarius, iuxta vigentem in praesens disciplinam, regulariter permittatur; ne forte, hoc quavis ex causa impedito, supremo huiusmodi spirituali solatio illae destituantur, sanctissimus D. N. D. Pius PP. X, oblatis sibi ad rem precibus ex animo annuens, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii concessa, benigne indulgere dignatus est, ut, quandocumque alius quilibet sacerdos ad extrema sacramenta religiosis mulieribus votorum tum sollemnium tum simplicium ministranda rite vocetur, iisdem animam agentibus apostolicam etiam benedictionem, etsi aliunde hac facultate non polleat, *Concessionis causa,* *tenor.*

[1] Cfr. *De Religiosis Instit. et Pers.* t. 2, n. **241**.

impertiri valeat, ad normam, ceteroquin, apostolicae Constitutionis s. m. Benedicti XIV, quae incipit *Pia mater*, et servata forma in Rituali Romano praescripta. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

A. Can. Giambene, *Substitutus pro Indulg.*

---

334. — S. CONGR. CONCILII

RESPONSA 3 APRIL. ET INDULTA SS. 5 APRIL. 1909

De diebus festis, abstinentiae et ieiunii

Occasio petendi. Oratores. **Petita:**

Vix ac ad tramitem Constitutionis *Sapienti Consilio* huic S. Congregationi quicquid ad Ecclesiae praecepta refertur tributum fuit, plures tum circa suppressionem vel translationem quorundam dierum festorum, tum circa legem abstinentiae a carnibus et ieiunii, iuxta hodiernos mores temperandam, Episcoporum petitiones fuerunt oblatae, quarum praecipuae subnectuntur.

I. Patriarchae hierosolymit. de suppressione festorum ;

I. Patriarcha Latinus Hierosolymitanus, attentis fidelium paupertate ac magno festorum numero, petit supprimi festa sanctorum apostolorum Philippi et Iacobi, S. Ioannis evangelistae, et inventionis S. Crucis extra urbem Hierosolymitanam, feriam secundam post Pascha et post Pentecosten ; itemque transferri sollemnitatem SSmi Corporis Christi et Purificationis B. M. V. in Dominicam proxime sequentem.

II. Vicarii ap. Aegypti de festo S. Marci ;

II. Vicarius Apostolicus Aegypti, cum obligatio audiendi Sacrum festo S. Marci evangelistae (25 aprilis) non observetur, ab eadem postulat dispensationem pro omnibus catholicis sui Vicariatus.

III. Archiep. Bononiens. de supprimendis festis ;

III. Archiepiscopus Bononiensis petit, ut in sua dioecesi, religiosas et sociales ob rationes, supprimantur saltem feria secunda post Pascha et Pentecosten, dies Nativitatem Domini immediate subsequens, atque festa S. Annae (26 iulii) et S. Silvestri (31 decembris), quae in eadem dioecesi, secus ac in ceteris Italiae dioecesibus, observantur de praecepto.

IV. Archiep. Monacen. et Frisigen. de translatione festi ;

IV. Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis, propter peculiaria dioecesis adiuncta, rogat, ut festum S. Bennonis, a die 16 iunii, sublatis praescriptis et ab operibus servilibus vacandi Missamque audiendi et Missam pro populo applicandi, in Dominicam proxime sequentem in perpetuum transferatur.

V. Archiep. Mechlinien. et plurium, de abstinentia et ieiunio in pervig. SS. Petri et Pauli ;

V. Episcopi Aniciensis, Foroiuliensis et Tolonensis, atque Emus Archiepiscopus Mechliniensis, nomine quoque Episcoporum suffraganeorum, attenta desuetudine ac consequenti praecepti transgressione, exposcunt abolitionem abstinentiae et ieiunii in pervigilio sollemnitatis sanctorum apostolorum Petri et Pauli, in Dominicam proxime sequentem iam translatae.

VI. Archiep. Varsav. de abstinent. et ieiunio ;

VI. Archiepiscopus Versaviensis, una cum Ordinariis eiusdem provinciae ecclesiasticae, attentis praesertim defectu olei et piscium, caeli asperitate et praxi iam diu inolita, supplicat, ut 1° usus lacticiniorum omnibus stricti ieiunii per annum diebus concedatur ; 2° adips suilla, anserina, etc., feriis secunda, tertia et quinta in Quadragesima, tamquam ciborum condimentum adhiberi possit ; 3° carnium usus permittatur : *a*) omnibus Dominicis Quadragesi-

mae, totiens quotiens cibi sumuntur ; *b*) omnibus feriis secundis, tertiis et quintis Quadragesimae unice in prandio (*dîner*), excepta feria quinta maioris hebdomadae ; *c*) diebus Rogationum, totiens quotiens ; *d*) omnibus diebus Sabbati per annum, quatenus non coincidant cum stricto ieiunio aliunde obligante.

VII. Archiep. de Manila, etc. de ieiunio et abstinentia.

VII. Tandem Archiepiscopus de Manila aliique Episcopi suffraganei in Insulis Philippinis petunt, ut privilegia, quibus indigenae Philippini ex Bulla *Altitudo*, Pauli III, fruuntur, quod ad ieiunium et abstinentiam, ad omnes ibidem commorantes extendantur ; innuentes tamen, Delegatum apostolicum, vi specialis facultatis pontificiae, iam concessa declarasse Insulis Philippinis indulta *Cruciatae*.

. . . . . [1]

Sententiae S. C. C. 3 april. 1909.

Responsa. — Emi Patres, C. Congregationis Concilii, in plenario coetu diei 3 aprilis 1909, propositis postulatis respondere censuerunt :

Ad I.

Ad I. *Consilium dandum SSmo pro gratia iuxta petita, quod ad festa sanctorum apostolorum Philippi et Iacobi, S. Ioannis evangelistae, et inventionis S. Crucis extra urbem Hierosolymitanam, nec non feriam secundam post Pascha Resurrectionis et feriam secundam post Pentecosten ; quod ad translationem sollemnitatis SSmi Corporis Christi et Purificationis B. M. V. non expedire.*

Ad II.

Ad II. *Consilium dandum SSmo pro gratia iuxta petita, translato tamen festo S. Marci in Dominicam proxime sequentem.*

Ad III.

Ad III. *Supplicandum SSmo pro gratia iuxta votum Archiepiscopi.*

Ad IV.

Ad IV et V. *Consilium dandum SSmo pro gratia iuxta petita.*

Ad V.

Ad VI.

Ad VI. *Supplicandum SSmo pro gratia iuxta petita, excepta feria sexta in Parasceve.*

Ad VII.

Ad VII. *Non expedire.*

Approbatio SSmi et **gratiae,** *5 april. 1909.*

Facta autem SSmo D. N. Pio PP. X relatione die 5 aprilis eiusdem anni, Sanctitas Sua responsiones Emorum Patrum approbavit, et gratias iuxta eorundem votum concedere dignatus est.

Iulius Grazioli, Subsecretarius.

---

335. — SS. D. N. PII PP. X

BREVE 11 APRIL. 1909

Ecclesiae S. Mariae Angelorum in Portiuncula dignitas ac privilegia

Memorato divino consilio de quibusdam sanctuariis, venerandae origines sanctuarii S. Mariae Angelorum recitantur sicut memo-

Omnipotens ac misericors Dominus, qui in terram universam, sicut imbres salutares caelestes gratias effundit, sapientissimo suae providentiae consilio sanctiora quaedam in orbe loca praesenti numine illustrat, ut inde christianus populus, quasi a fonte perenni, divina charismata uberiori haustu nanciscatur. Celeberrima haec inter sanctuaria, quis dubitet esse accensendum illud sanctae Mariae ab Angelis, sive de Portiuncula appellatum, inclyti Franciscalis Ordinis origine clarum, ac nedum Italiae, sed etiam totius catholici

---

1 Hoc loco, Acta Apostolicae Sedis votum referunt Consultoris.

riae traditum est.

mundi ornamentum ac decus? Memoriae traditum est, quarto reparatae salutis saeculo, dum Petri Cathedram obtineret sa. me. decessor Noster Liberius Pontifex, quattuor pios fideles, peregre Ierusalem advenientes, consedisse in valle, Assisii moenibus supposita, ibique sacellum aedificasse, quod ob fragmentum, sepulcri Deiparae, una cum insignibus reliquiis a Cyrillo Patriarcha acceptis, eodem in sacello depositum, sanctae Mariae a Iosaphat dicarunt. Ex hoc fragmine beati illius sepulcri, ubi Virginis corpus iacuit, brevi sideribus inter Angelorum choros assumptum, Mariae ab Angelis nomen aediculae est factum. Hanc sanctus Benedictus, monachorum Occidentis pater anno 511 post Christum natum, instauravit, eidemque dono assignavit modicam continentis agri partem, unde Portiuncula dicta fuit. Sanctissimae vitae monachi et eremitae illam per saecula summa religione excoluerunt, atque etiam, cum iniuria temporum pene diruta mansit, Assisienses cives labentem Virginis ab Angelis aediculam pie celebrarunt, ipsaque divi Francisci genitrix Pica fertur ibidem maternitatis gratiam assecuta fuisse. Hoc igitur sacellum vel a prima iuventute gratum acceptumque Francisco fuit, qui, filiali illud obsequio recolens, restituendum prius ornandumque curavit, ac postea evangelicae perfectionis viam, Deo vocante, ingressus, Minoritici Ordinis fundamenta ibi posuit. Primis enim sibi adscitis sodalibus, hic mirabilem illam paupertatis, obedientiae et sacri apostolatus regulam mente molitus est, quam paulo post Romae Innocentius PP. III cla. me. praedecessor Noster, caelesti visu monitus, ut labantes lateranas aedes Francisci ope atque opera reficeret, oblatam ab ipso Sancto eoque adstante, die 16 mensis aprilis anno 1209 auctoritate apostolica probavit. Hoc etiam in loco, ubi Fratrum Minorum Ordinem inchoaverat feliciter, Clarae nobili Assisiensi puellae rudem seraphicae religionis tunicam Franciscus imposuit, eaque pia caeremonia sacram monialium Franciscalium familiam instituit. Hic primi sunt habiti capitulares coetus, hic celeberrima est legifero Patri illa divini Salvatoris ac Mariae Virginis obiecta caelestis visio, unde Portiunculae indulgentia manavit. Quam vero vivens ante omnes dilexerat tantisque miraculis illustraverat sedem, etiam in morte Sanctus confratribus suis commendavit: « Videte, filii, ne umquam hunc locum relinquatis, nam locus iste vere sanctus est, et habitatio Christi ac Virginis matris eius ». Hic penes aram Virginis ab Angelis et Portiunculae sanctuarium mandavit Franciscus asservari post obitum cor suum, quasi significaret, hunc locum eum esse, quem prae omnibus adamasset in terris: hic optavit mortalis aevi cursum implere: huc iussit socios se morientem adducerent: hic denique dissolvi cupiens et cum Christo esse, in dulcissimo asylo supremum diem placido obiit. Sed postquam sanctus fundator e vivis excessit, et corpus eius Assisii in praenobili basilica conditum est, non intermisso tamen per saecula concursu, christianus populus aedes sanctae Mariae Angelorum sive de Portiuncula celebravit. Innumeri quot annis ex omni condicione cives, advenae, principes, dynastae, reges atque imperatores ad indulgentiam rite acquirendam illuc peregre convenerunt, atque etiam in praesens, die pro lucrandis indulgentiis designata, maximum templum confluentium peregrinorum turmis continendis aegre par est. Nec paulum honoris eidem sanctuario ex eo accessit, quod plures Romani Pontifices Nostri decessores, nempe Gregorius IX, Innocentius IV, Clemens IV, Honorius IV,

Praecipue effertur devotio S. Francisci erga istud templum.

Aliae narrantur templi gloriae et studia pontificia.

Benedictus XI, Urbanus VI et Bonifatius IX devotam ad templum sanctae Mariae Angelorum peregrinationem susceperint, atque in continenti coenobio interdum morati sint, ut non modo sanctuarium venerarentur, verum etiam singulare, quo flagrarent, in Portiunculam studium ostenderent, et sacras easdem aedes praesentia pontificiae maiestatis implerent. Sanctuarium ipsum invisere Pius II, Syxtus IV, Iulius II, Clemens VII, Paulus III ac Pius VII, quorum postremus Romam repetens, die 15 maii mensis anno 1805, in templo Angelorum eucharisticum Sacrum litavit. Romani etiam Pontifices Gregorius XVI et Pius IX, recentioribus temporibus, ecclesiam ipsam ab Angelis augusta visitatione cohonestarunt. Meminisse tamen potissimum iuvat, Pium V sa. me. decessorem Nostrum, cuius munificentia in custodiam venerandae aediculae de Portiuncula excitatum fuit immani molitione templum, amplitudine, structura ac mirandis operibus splendidum, cum arduo ac mirifico tholo, qui longe lateque prospiciens, totius Umbriae incolis seraphici Patris gloriam enarrat. Nec minus memoria dignum arbitramur Gregorium PP. XVI, qui eversam terraemotu ecclesiam anno 1840 restituit, novoque cultu decorandam curavit. Sollicitam quoque curam Romani Pontifices Nostri decessores gesserunt, ut in sancto loco, in quo Franciscus pater gratiae spiritum acceperat, suique Ordinis iecerat fundamenta, religiosi viri eius filii regulam ab illo praescriptam et huius S. Sedis auctoritate probatam accuratiori studio servarent. Sapienti prorsus consilio etiam iidem Nostri Praedecessores consuluerunt, ut gloriosae traditiones ac memoriae Portiunculae debito in honore haberentur omnes, atque immutatae perseverarent. Ad haec, suum in Portiunculam peculiarem cultum, latis etiam sollemnibus decretis, demonstrarunt, quibus prohibuere, ne quis circa ambitum sanctuarii, vel annexi conventus, habitationis domos vel stabiles tabernas condere auderet ; aliisque praeterea decretis, tum aquaeductus reparationibus tum viarum conservationi, providerunt. Iidem denique Pontifices sacris iubilaei annis indulgentiam de Portiuncula in templo Angelorum lucrandam ab universali indulgentiarum suspensione iugiter exceperunt, probe reputantes, non decere indulgentiam a Deo immediate derivatam per Pontifices revocari vel suspendi. Non intermissa vero liberalitate placuit Decessoribus Nostris, multiplicibus spiritualium gratiarum thesauris ac singularibus indulgentiis praecipuisque privilegiis, vel a primordiis seraphici Ordinis, sacram eandem aedem cohonestare, augere atque locupletare. Enitet prae ceteris omnino singularis atque in universo catholico orbe percelebris plenaria de Portiuncula nuncupata indulgentia, quot annis a fidelibus sacramentali admissorum confessione expiatis, die secunda mensis augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem totiens lucranda quotiens sacellum de Portiuncula visitent. Alia autem inter peculiaria privilegia accenseri debent, indulgentia plenaria perpetua, consuetis sub condicionibus in Angelorum templo cotidie acquirenda, quam decessor Noster Innocentius PP. XII largitus est pontificiis litteris, quarum initium est *Redemptoris*, die 18 mensis augusti anno 1585 datis ; nec non similiter plenaria, quot annis, die anniversario consecrationis templi eiusdem a fidelibus ex utroque sexu lucranda, qui admissorum confessione expiati et caelestibus epulis refecti, ecclesiam Angelorum, a primis vesperis ad occasum solis eiusdem diei, pro christianorum principum con-

Quibusnam indulgentiis et privilegiis sit ditatum.

cordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fundentes visitent ; quam indulgentiam anno 1840 a cla. me. S. R. E. Cardinali Lambruschini vivae vocis oraculo prolatam accepimus. Praeterea eodem in templo Angelorum pio fidelium sodalicio canonice instituto Pius PP. IX rec. me. decessor Noster, archisodalitatis titulum singularesque indulgentias impertitus est. Tandem tum privilegia Missarum pro defunctis a Purgatorii poenis vindicandis, quibus plura pollent templi eiusdem altaria ; tum privilegium Missae votivae pro nonnullis Portiunculae sacellis ; tum peculiares facultates pro confessariis ac paenitentiariis ; tum aliae quamplures gratiae omnino speciales ipsi sanctuario concessae, impensam Romanorum Pontificum devotionem ac munificentiam erga perinsigne illud templum luculentissime testantur. Nunc autem, cum die sextadecima praesentis mensis aprilis, septimum sese vertat feliciter saeculum, ex ea die in universo coetu Seraphicae familiae summopere veneranda, qua sanctus pater Franciscus, professus Ordinis regulam in manibus Innocentii III Pontificis, apostolicam approbationem ab eo est adeptus, atque ita Minorum Ordini initium dedit ; eaque de causa Ordinis illius Praepositus generalis, suo et universae religiosae familiae, cui ipse praeest, nomine, Nos enixis precibus flagitaverit, ut auspicatissimam nacti occasionem sanctuarium beatae Mariae Virginis ab Angelis in Portiuncula appellatum ad basilicae patriarchalis gradum dignitatemque evehere de apostolica potestate velimus ; Nos probe noscentes, hanc celeberrimam ecclesiam tot claram memoriis tantisque inclytam prodigiis, maxime venerabilem exstare Minorum Fratrum Ordini, qui debet in ea natalem fontem respicere, votis hisce annuendum quantum in Domino possumus, existimavimus. Quae cum ita sint, Nos, filialis devotionis obsequio ducti, quo divum Franciscum prosequimur, atque etiam singulare et praecipuum voluntatis Nostrae pignus exhibere volentes universo Fratrum Minorum Ordini, cuius Nos ipsi patroni sumus protectoresque, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, illud edicimus, propriis suadentibus causis, maximeque gloriosis Franciscalium fastorum memoriis, ecclesiam S. Mariae Angelorum in Portiuncula, intra fines sitam dioecesis Assisiensis, caput et matrem Ordinis Minorum iure esse appellandam quem ad modum Assisiensis basilica, in qua sancti Francisci corpus requiescit, suarum ob momenta laudum a decessoribus Nostris Gregorio IX et Benedicto XIV simili titulo est aucta. Praeterea idem motu proprio deque Nostrae potestatis plenitudine, tenore praesentium, ecclesiam eandem Angelorum in Portiuncula in basilicam patriarchalem et capellam papalem erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuo esse et fore decernimus : eamque basilicam patriarchalem et capellam papalem aeque ac pariformiter nuncupari et haberi volumus ac aliae basilicae patriarchales intra almam Urbem et extra illius muros, nec non capellae papales in pontificiis aedibus et prope eas constitutae appellantur atque censentur. Propterea patriarchalem basilicam sanctae Mariae Angelorum in Portiuncula et continentem illi conventum, una cum rebus omnibus, quae ad basilicam ipsam conventumque pertineant, apostolica pariter Nostra auctoritate, tenore praesentium, iurisdictioni, patronatui ac dominio Nostris et Successorum Nostrorum atque huius S. Sedis de pleno iure

Septimo vertente saeculo ab initiis Ordinis, instante Ministro generali ut ecclesia ista gradum obtineret patriarchalis basilicae, Pontifex eam declarat « caput et matrem Ordinis Minorum » quo titulo iam ornata est basilica ubi corpus S. Francisci servatur, eamque erigit in basilicam patriarchalem et cappellam papalem.

Praeterea, eam S. Sedi immediate subicit, imposito censu annuo, variaque praecipit ad concessum

subicimus, relinquentes, uti antea, usum perennem perpetuamque utriusque custodiam Fratribus Minoribus seraphicae provinciae. Expresse tamen praecipimus, ut ipsius provinciae Minister, ad maius insignis sanctuarii decus, stabilem inibi residentiam ponat, atque una cum custode, in capitulis aut in congregationibus provincialibus electo personaliter atque efficaciter consulat, ut eadem basilica excelsam illam dignitatem tueatur, qua eam, patriarchalis addito perhonorifico titulo, Apostolica Sedes cohonestare dignata est. In memoriam autem immediatae subiectionis tum basilicae ipsius tum conventus, una cum omnibus pertinentiis, apostolicae huic sanctae Sedi, auctoritate Nostra censum imponimus unius librae cerae albae quot annis in pervigilio Natalis sanctorum apostolorum Petri et Pauli, perpetuis futuris temporibus, Camerae Apostolicae solvendum. Volumus praeterea, ut in ecclesia Angelorum, sic ad sublimem patriarchalis basilicae honorem evecta, penes altare maius, in cornu evangelii, pontificius thronus, sive cathedra, stabili modo erigatur pro solius Romani Pontificis ac nullius alterius usu. Altare autem maius, in ipsa patriarchali basilica positum, ex ea parte dumtaxat, qua thronum pontificium respicit, altare pontificium, seu papale, ex nunc in posterum esse et fore declaramus, ita ut nemini liceat absque speciali indulto, seu extra casus, qui in Caeremoniali recensentur, Missam in eo sive privatim sive sollemniter celebrare. Quod vero spectat ad sacras actiones eadem in basilica peragendas, et caeremoniales ritus ibidem servandos, Nos rem committimus pertractandam sacrorum Rituum Congregationi, cuius erit multiplices leges et regulas in unum codicem colligere, a Nobis suo tempore probandum iuxta Caeremonialem qui patriarchalibus basilicis de iure competit. Verum omnibus et singulis, ad quos pertinet, aut in posterum pertinere poterit, praesentium vi, mandamus, ut ea omnia servent adamussim, quae ab eadem Rituum Congregatione idcirco statuta erunt, ipsiusque Congregationis praescriptionibus ac dispositionibus in omnibus ac per omnia se conformari studeant, iisque obsequantur. Ad perennandam vero praesentis concessionis memoriam, qua sanctuarium ab Angelis, caput et mater Ordinis Minorum, ad patriarchalis basilicae honorem erigitur, indulgemus, ut auspicati eventus mentio fiat in lectionibus Officii Ordinis Seraphici. Nunc autem oculos mentis Nostrae convertentes ad innumeros pene ac praecipuos indulgentiarum thesauros, quibus sanctuarium in Portiuncula nobilitatur, Nos de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, ea omnia confirmamus privilegia, quae a Decessoribus Nostris per authentica documenta concessa fuisse compertum est. Immutatam manere volumus in primis insignem Portiunculae indulgentiam, dumtaxat quot annis die secunda mensis augusti, a primis vesperis ad occasum usque solis diei ipsius, a fidelibus ex utroque sexu, tantummodo confessis, totiens acquirendam quotiens sitam in patriarchali basilica sanctae Mariae ab Angelis sacram Portiunculae aediculam visitent. Concessionem Innocentii PP. XII confirmantes, volumus, ut singulis quibusque diebus fideles, qui admissorum confessione rite expiati ac divinis dapibus refecti basilicam Angelorum visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenaria indulgentia potiantur in perpetuum ; et similiter perpetuo, quo anni die basilicae

honorem demonstrandum et tutandum.

Honoris mentio fiet in officio.

Amplissima indulgentiarum et privilegiorum additur confirmatio, ampliata concessione missarum votivarum.

ipsius memoria recolitur, videlicet novissima iulii mensis Dominica, fidelibus, qui vere paenitentes et confessi ac sacra communione refecti eandem visitent, a primis vesperis ad occasum solis diei huiusmodi, preces, uti superius diximus, fundentes, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, auctoritate Nostra apostolica, concedimus. Fas esto fidelibus ipsis plenariis his indulgentiis labes poenasque defunctorum, si malint, piare. Archisodalitati eodem in patriarchali templo institutae privilegia omnia atque indulgentias confirmamus, quibus ipsa pollet, per similes apostolicas litteras a Pio IX decessore Nostro datas. Quo piis fidelium votis, maxime sacerdotum et peregrinorum, aptius occurramus, auctoritate Nostra apostolica, vi praesentium concedimus, ut Missae votivae Deiparae Virginis et sancti patris Francisci, iam pro sacello Portiunculae et capella transitus ipsius Francisci patris, cuilibet sacerdoti inibi Sacrum facturo, ab hac sancta Sede concessae, ex nunc in posterum celebrari queant, iis diebus, quibus Missa votiva sancti eiusdem Patriarchae ad sepulcrum illius in Assisiensi basilica permittitur, nec non cum iisdem iuribus ac privilegiis, quibus Missae votivae in sanctuariis maioribus Ordinis in Terra sancta exornantur. Et similiter auctoritate Nostra confirmamus, ut in pervetusto sacello a Rosis nuncupato, sancti ipsius patris Francisci miris virtutum exemplis gestisque clarissimo, cuilibet sacerdoti ibidem Sacrum facturo, Missam de sancto Francisco, ut in die 4 octobris, fas sit celebrare, dummodo non occurrat duplex primae vel secundae classis, aut festum de praecepto servandum, nec non feria, vigilia vel octava, quae sit ex privilegiatis. Confirmamus praeterea omnia alia similia indulta Missarum et privilegia quoque Missarum pro defunctis tum basilicae, tum continentium capellarum altaribus, a Decessoribus Nostris per apostolicas litteras rite concessa : et quod ad numerum paenitentiariorum et sacerdotum in basilica eadem sacramentales confessiones excipientium, ipsorumque speciales facultates, ea omnia rata habemus ac religiose servari volumus, quae Romani Pontifices Nostri decessores, uti supra memoravimus, benigne largienda censuerunt. Tandem pariter motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, per Nostras hasce litteras in perpetuum valituras, reliqua omnia et singula privilegia, praerogativas, libertates, exemptiones aliaque indulta tum supradictae basilicae sanctae Mariae ab Angelis in Portiuncula, tum annexo coenobio a Decessoribus Nostris quandocumque et qualitercumque concessa, seu confirmata atque innovata, dummodo non sint actu revocata, vel sub aliqua generali revocatione comprehensa, Nos etiam apostolica auctoritate approbamus, confirmamus atque innovamus : eandemque basilicam ad patriarchalis honorem per Nos evectam ab Ordinarii loci atque omnium et quorumcumque Praesulum seu Superiorum, etiam Regularium, tam ordinaria quam delegata iurisdictione, visitatione et auctoritate liberam atque immunem volumus, edicimus atque declaramus ; illam enim, uti supra diximus, sub immediata Nostra et successorum Nostrorum Romanorum Pontificum et Sedis Apostolicae potestate, dominio ac proprietate immutabiliter constituimus. Decernentes, praesentes Nostras litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque

Plenissima conceditur exemptio a iurisdictione et visitatione omnium Superiorum, etiam Regularium.

Firmitati litterarum consulitur.

iudices ordinarios vel delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, ceterisque omnibus in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, sollemni die Paschatis Resurrectionis Domini nostri, 11 aprilis 1909, Pontificatus Nostri anno sexto. *Dies (11 april. 1909).*

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status.*

---

336. — SS. D. N. PII PP. X

BREVE « VICARIUM » 8 SEPT. 1909

Approbantur et confirmantur novae constitutiones Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Vicarium Pastoris aeterni munus, divinae Providentiae nutu, quamquam nullo Nostro merito, gerentes, probe intellegimus Nostrum esse, cum dominicum gregem universum diligenter veritatis gratiaeque nutrire pabulo, tum praecipuo fovere studio eam gregis electam partem, quae in Religiosorum Ordinibus consistit. Iamvero, ut decessoris Nostri Gregorii XVI verbis utamur, « ex « multis religiosis Familiis quae paterni Nostri animi merentur « curam, inclytus profecto Fratrum Minorum S. Francisci Capuc- « cinorum Ordo postulat atque efflagitat, ut in illius commodum « procurandum ac splendorem tuendum omnem Nostram operam « conferamus ; ex quo quam plurimi semper prodiere viri, doc- « trina, religione, pietate, sanctitate, litteris vel maxime praestantes, « et de catholica Ecclesia, deque hac Apostolica Sede tot sane « nominibus optime meriti [1]. » Equidem hunc Ordinem, ut alius Decessor illustris ait, « dum in minoribus essemus, ea qua par erat « veneratione prosequebamur ; in hac vero sacrosanti Apostolatus « specula constituti, maioribus apostolicae Nostrae caritatis beni- « gnitatisque testimoniis complecti gestimus, considerantes maxime, « quanta et quam luculenta christianae pietatis et perfectionis « exempla, cum sacrarum doctrinarum splendore atque aeterna « animarum salute coniuncta, ab initio in catholica Ecclesia ita in « dies proferant religiosissimi illius Ordinis alumni, ut nihil ortho- « doxos acatholicosque vicissim vehementius perstringat, et ad

E munere Pontifex curare debet religiosos, praecipue Fr. Min. Capuccinos, quorum laudes recitantur ex Greg. XVI et Bened. XIV.

[1] Litt. *In sublimi*, 16 mart. 1838.

« saniorem mentem reducat, quam celeberrimi Instituti inita cum « austerioris vitae sanctimonia ratio, et christianarum virtutum « semita, prius per eosdem alumnos quam diutissime trita, deinde « aliis exemplo et verbo indicata [1]. »

Occasionem probandae benevolentiae dant sapienter reformatae Constitutiones.

Huius benevolentiae caritatisque Nostrae erga Franciscales Capulatos profitendae datur nunc Nobis libentibus occasio, cum constitutiones Ordinis, iussu Nostro in generalibus comitiis accurate recognitas, easque novis Ecclesiae legibus institutisque atque his temporibus congruenter emendatas, dilectus filius Pacificus a Seiano, Minister generalis, Nobis exhibuit. Qua quidem in re id servari iussimus, quod Leo XIII fec. rec. edixerat : « Illud est « munus pietatis huius maternae (Ecclesiae) maxime proprium, « accommodare sapienter leges, quod fieri potest, ad tempora, ad « mores, et in praecipiendo exigendoque summa semper aequitate « uti. Atque huiusmodi consuetudine caritatis simul et sapientiae « efficitur, ut immutabilitatem doctrinae absolutam et sempiternam « cum prudenti disciplinae varietate Ecclesia coniungat [2] ». Confecto igitur, quod dilectis filiis mandavimus negotio, Nos et gaudemus Nobis et praeclaro Capulatorum Ordini gratulamur vehementer ; praesertim quia hoc opere videmus opportune cautum, ut Assisiensis Patriarchae spiritum Sodales integrum custodiant, maximeque ad rigidam innocentiam, altas magnificasque virtutes quibus ille ad miraculum eluxerat [3], animose ac severe imitandas excitentur : quae quidem huius Franciscani Instituti propria quaedam est et peculiaris laus. Ita Fratres Capulatos non uno successionis iure legitimos S. Francisci heredes et filios, veros Fratres Franciscales, proprii nominis Fratres Minores dicimus et habemus et ab omnibus haberi volumus, quales semper Romani Pontifices ipsos habuerunt. Neque enim quisquam in dubium vocaverit, Capulatorum Familiam usque ab initio fuisse et esse Fratrum Minorum Ordinem eodem prorsus iure ac geminas alias Franciscalium Familias ; ipsiusque caput, non secus ac ceteros Fratrum Minorum summos antistites vere dici et esse generalem Ministrum, eundemque pro suis fratribus successorem S. Francisci legitimum : quando quidem constat, huius Familiae propaginem cum stirpe Seraphici Patris aptam omni tempore connexamque fuisse. Ergo, quod Urbanus VIII affirmavit, Minores Capulatos ex vera et numquam intermissa S. Francisci linea originem trahentes, semper sine aliqua interruptione Seraphicae Regulae continuasse observantiam [4], hoc sane de iis praedicari hodieque debet. Quare legitimum eorum Instituti disciplinaeque ius libenter Nos agnoscimus et ratum habemus. Optabile vero est, ut quam diximus esse propriam ipsorum notam, imitationem scilicet severiorem quandam Francisci Patris, eam perpetuo incorruptam retineant : proptereaque perseverent, cum summa erga Apostolicam hanc Sedem oboedientia et fide, summum evangelicae paupertatis ac perfectionis cultum studiumque coniungere. Huc admodum spectare constitutiones rite recognitas et emendatas Ordinis cernimus : quarum quidem approbationem Nobismet ipsis reservavimus. Itaque, non nullis, venera-

Propria istius Instituti laus.

Fr. Minores Capuccinos esse proprii nominis Franciscales valde inculcat Pontifex.

Eorum Institutum confirmat, optatque notae propriae conservationem.

---

1 Benedict. XIV, Litt. *Inclytum*, 2 mart. 1743.
2 Constit. *Misericors Dei Filius*.
3 Constit. *Felicitate quadam*.
4 Litt. *Salvatoris*, 28 iun. 1627.

bilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, Nos, motu proprio et certa scientia, de Apostolicae potestatis plenitudine, harum vi litterarum, Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum constitutiones tum latino tum italico sermone perscriptas cum omnibus et singulis quae continent, in perpetuum approbamus et confirmamus, approbatasque et confirmatas declaramus, praecipientes universis et singulis ex ea Familia Fratribus, ut easdem habeant tamquam propria statuta, quibus in omnibus rebus obtemperare debeant. — Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari vel impugnari posse: sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari, declarantes: contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis: quibus omnibus ex plenitudine potestatis, certa scientia et motu proprio quod ad praemissa expresse derogamus et derogatum esse declaramus, mandantes praesertim, ut ea, quae de electionibus in his constitutionibus capite octavo sancita sunt, inviolate serventur in omnibus Ordinis Provinciis, sublatis quibuscumque privilegiis, sive Provinciis hac super re ab Apostolica Sede concessis.

Speciali modo approbat Constitutiones reformatas.

Plenissima derogatio contrariorum.

Praecipue iubet observari ubique quae de electionibus sancita sunt.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die VIII septembris MCMIX, in festo Nativitatis Deiparae, Pontificatus Nostri anno septimo.

Dies (3 sept. 1909).

---

337. — SS. D. N. PII PP. X

BREVE 4 OCT. 1909

De primo ordine Sancti Francisci non nulla in perpetuum statuuntur

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Septimo iam pleno saeculo, postquam Ordinis Franciscalis initia feliciter constituta sunt, iure quidem, quotquot Franciscum auctorem suum et parentem agnoscunt, laetabile factum concelebrant, grataeque pietatis significatione multiplici memoriam viri sanctissimi et immortalia eius in commune beneficia gestiunt recolere. Sed quamquam praecipua quaedam est ratio, cur id sollemne ante alios agant Minoritae; eiusdem tamen sollemnitatis laetitiaeque in partem omnes venire decet, quicumque Franciscana Instituta pro merito suspiciunt, maximeque decet hanc Apostolicam Sedem; cuius cum semper singulari favore et gratia, tum magna existimatione et iudicio ipsa illa Instituta floruerunt. Innumerabilia paene,

Iusti gaudii saecularis occasione arrepta, S. Pontifex encomia recitat tributa Franciscanis:

eaque praeclara exstant huius rei in actis Decessorum Nostrorum monumenta. Principio Gregorius IX, qui et Seraphici Patriarchae studiose amicitiam coluerat, et, cardinalis, legitimum Franciscalium patronum primus egerat : « Sancta, inquit, plantatio Fratrum « Minorum Ordinis sub beato Francisco bonae memoriae incepit, et « mirabiliter profecit, per gratiam Iesu Christi flores sanctae con- « versationis longe lateque proferens, et odores » [1]. Isque, cum gravi sollicitudinum et curarum mole premeretur, ita ad alumnos Francisci in generalem coetum congregatos scribens, declaravit quam patrocinio beati Patris, quamque ipsius filiorum precibus confideret : « Inter pressuras innumeras et angustias infinitas, quas « plus ferre possumus, quam referre, consolationis et gaudii « materiam resumentes, gratias et laudes, quas possumus, referimus « Redemptori qui beatum Franciscum, Patrem Nostrum et vestrum, « forte autem magis Nostrum, quam omnium vestrum, adhuc in « carne viventem insignibus praeveniens muneribus gratiarum, « tanta nunc eum cum ipso regnantem clarificat gloria,... ut Nos, « in eiusdem Sancti magis ac magis pio amore succensi, totis affec- « tibus in ipsius laudibus delectemur ; sperantes, ut quos in saeculo « extra saeculum vivens tota mente dilexit, et Nos nunc clarius « amplexatur, quo illum, qui est vera caritas, vicinius intuetur [1], « pro Nobis intercedere non desistat : et vos, quos idem in Christo « regenerans in abundantia divitiarum altissimae paupertatis reli- « quit heredes, gerentes in intimis visceribus caritatis ad profectum « Ordinis vestri aspiremus ardenter, poposita Nobis spe, quod « vestrarum orationum suffragiis, nostrarum tolerantiae passionum « nobis provenient in salutem » [2].

a Gregorio IX,

Idem autem Pontifex, in commendanda Episcopis familia Franciscalium (id quod Honorius III, vivo Francisco, iam fecerat), perhonorificis his verbis usus est : « Quoniam abundavit iniquitas « et refriguit caritas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum Filiorum « Fratrum Minorum Dominus suscitavit, qui non quae sua sunt, « sed quae sunt Christi, quaerentes, tam contra profligandas haere- « ses, quam contra pestes alias mortiferas exstirpandas, se dedica- « runt evangelizationi verbi Dei in abiectionem voluntariae « paupertatis » [3].

[1] ab Honorio III et eodem Greg. IX,

Cum Gregorio plane concinit Nicolaus III : « Haec est Minorum « Fratrum mitis et docilis in paupertate et humilitate per almum « Christi confessorem Franciscum radicata Religio, qui, ex illo vero « semine germinans, germen illud per Regulam sparsit in filios, « quos sibi et Deo per suum ministerium in observantia evangelii « generavit. Isti sunt filii, qui, docente Iacob, Verbum aeternum « Dei Filium, insitum humanae naturae in horto virginalis uteri, « potens salvare animas in mansuetudine susceperunt. Hi sunt « illius sanctae Regulae professores, quae evangelico fundatur « eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis « Ecclesiae Apostolorum eius sermonibus actibusque firmatur. « Haec est apud Deum et Patrem munda et immaculata Religio, « quae descendens a Patre luminum per eius Filium exemplariter, « et verbaliter Apostolis tradita et demum per Spiritum Sanctum

a Nicolao III,

---

[1] Litt. *Recolentes*, die 29 april. 1228.
[2] Litt. *Mirificans*, die 16 maii 1230.
[3] Litt. *Quoniam*, die 6 apr. 1237.

« beato Francisco et eum sequentibus inspirata, totius in se quasi « continet testimonium Trinitatis. Haec est, cui, attestante Paulo, « nemo de cetero debet esse molestus, quam Christus passionis suae « stigmatibus confirmavit, volens institutorem ipsius passionis suae « signis notabiliter insigniri » [1].

a Clemente V

Item Clemens V, qui locum illum Eccli. XXIV, 42, *Exivi de paradiso, dixi : rigabo hortum plantationum* sic ad praeconium Seraphici Ordinis accommodat : « Hic hortus si quidem est Fratrum « Minorum sancta Religio, quae muris regularis observantiae « firmiter undique circumclusa intra se, solo contenta Deo, ador- « natur abunde novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens « dilectus Dei Filius mortificantis paenitentiae myrrham metit cum « aromatibus, quae suavitate mira universis odorem attrahentis « sanctimoniae circumfundunt. Haec est illa caelestis vitae forma « et regula, quam descripsit ille confessor Christi eximius, sanctus « Franciscus ac servandam a suis filiis verbo docuit pariter et « exemplo » [2].

a Leone X,

Ita etiam hunc Ordinem effert Leo X : « Haec est sacra illa « Minorum Fratrum Religio, quae, virentibus caeremoniarum « foliis, per viros apostolicos, tamquam per palmites extensos a « mare usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terra- « rum, vino sapientiae et scientiae irrigavit montes, et implevit « terram. Haec est Religio sancta et immaculata, in qua, per « speculum sine macula. Redemptoris contemplatur praesentia, « vitae Christi et Apostolorum inspicitur forma, per quam primo- « rum Ecclesiae fundatorum ante oculos christianae plebis reducitur « norma ; quae demum nihil nisi divinum, angelicum, omni per- « fectione refertum, Christoque nil nisi conforme, ut non immerito « sua dicatur, repraesentat » [3].

a Xysto V,

Similiter Xistus V : « Ad denuo inflammanda corda Nostra, « Pater misericordiarum et luminum, famulum suum beatum « Franciscum misit, et in tam larga benedictione dulcedinis praeve- « nit ut non modo virtutum praerogativis et meritis celebrem « fecerit, sed et in carne ipsius sacra Christi Stigmata renovaverit, « et mira Crucis mysteria, ligamina et paupertatem multiformiter in « eo ad vivum demonstraverit, adeo ut vere Christus Francisco « inferre possit : « Semitam meam et funiculum meum investigasti, « et omnes vias meas praevidisti ». Unde et factum est, ut meritis « dicti beati Francisci sacrosancta mater Ecclesia, foetu novae « prolis amplificata, ac multorum sanctorum eius Instituti meritis, « virtutibus, exemplis et miraculis aucta, nec non quamplurimis « Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, Cardinalibus, Regibus et « Summis Pontificibus decorata, non possit ad eius devotionis et « imitationis sectanda vestigia non esse propensa » [4].

a Gregorio XVI,

Nec vero unquam postea de Francisco eiusque institutis Apostolicae Sedis praedicatio conticuit. E monumentis autem recentioris memoriae, praetereundae non sunt eae Litterae Gregorii XVI, in quibus de Aede Mariae Angelorum Assisiensi scribit : « In eo « templo, Umbriae atque adeo totius Occidentis praecipuum decus,

---

[1] Litt. *Exiit*, die 14 aug. 1279.
[2] Const. *Exivi*, die 6 maii 1312.
[3] Const. *Ite et vos*, die 29 maii 1517.
[4] Litt. *Divinae*, die 29 aug. 1587.

« sanctus Franciscus Assisiensis maiores cotidie efficiens in eximia « sanctitate processus, et mira omnipotentis Dei charismata acci- « piens in caelestium rerum meditatione continenter defixus, « divino impulsus instinctu, sui Ordinis fundamenta iecit, atque « divini Nostri Reparatoris eiusque sanctissimae Genitricis placido « aspectu, suavissimisque fuit dignatus colloquiis »[1]. — Sed potissime digna sunt, quae commemorentur, acta Leonis XIII ; qui quidem in Litteris Encyclicis *Auspicato*, ubi laudes Assisiensis Patris grandiloqua et gravi oratione persequitur, haec habet : « Ista rerum miracula, angelico potius quam humano celebranda « praeconio, satis demonstrant quantus ille Vir, quamque dignus « fuerit quem aequalibus suis ad mores christianos revocandis « destinaret. Profecto ad Damiani aedem exaudita Francisco est « maior humana vox : *I, labantem tuere domum meam.* Neque « minus admirationis habet oblata divinitus Innocentio III species, « cum sibi videre visus est Basilicae Lateranensis inclinata moenia « humeris suis Franciscum sustinentem. Quorum vis ratioque « portentorum perspicua est : nimirum significabatur, christianae « rei publicae non leve per ea tempora praesidium et columen « Franciscum futurum. Re vera nihil cunctatus est quin accingeretur. « Duodeni illi, qui se in eius disciplinam primi contulerant, exigui « instar seminis exstiterunt, quod secundo Dei numine, auspiciis- « que Pontificis maximi, celeriter visum est in uberrimam segetem « adolescere ». — Idem in Constitutione *Misericors Dei Filius :* « Iam vero in curandis Iesu Christi praeceptis Instituta Franciscalia « tota sunt posita ; neque enim quicquam spectavit aliud auctor « sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligen- « tius vita christiana exerceretur. Profecto Ordines Franciscales duo « priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius « quiddam diviniusque persequuntur ». — Atque in Constitutione *Felicitate quadam :* « Insignis est enim et benevolentia studioque « Sedis Apostolicae dignissima ea, qua Fratrum Minorum familia « nominatur, beati Francisci frequens ac mansura soboles. Ei qui- « dem Parens suus, quas leges, quae praecepta vivendi ipse de- « disset, ea omnia imperavit ut religiosissime custodiret in perpe- « tuitate consequentium temporum ; nec frustra imperavit. Vix « enim societas hominum est ulla, quae tot virtuti rigidos custodes « eduxerit, vel tot nomini christiano praecones, Christo martyres, « caelo cives ediderit, aut in qua tantus virorum proventus, qui iis « artibus, quibus qui excellunt praestare ceteris iudicantur, rem « christianam remque ipsam civilem illustrarint, adiuverint ».

a Leone XIII.

Hos imitatus Pontifex, amorem vult aequalem tribus familiis S. Francisci exhibere.

Iam vero Nos, qui, ut ipse de se Leo confirmabat[2], « Franciscum « Assisiensem admirari, praecipuaque religione colere ab adoles- « centia assuevimus, et in familiam Franciscanam adscitos esse « gloriamur », certe non minoris, quam Decessorum Nostrorum quivis, grande beati Patris Opus aestimamus, nec secus, atque illi, peculiari quodam studio Nostro dignum ducimus. In hac igitur saecularium sollemnium celebritate, cum Ordinis a Francisco divinitus fundati, magna in rem christianam promerita verbis Decessorum illustravimus, videtur Nobis, palam facere et mansuro probare testimonio plenum paternae caritatis animum, quo tres familias,

---

[1] Litt. *Neminem*, die 7 febr. 1832.
[2] Litt. Encycl. *Auspicato*.

unde Franciscalium Ordo princeps constat, sine ullo discrimine complectimur. Certe quidem humani ingenii mobilitate et varia conversione temporum sensim factum est, ut Franciscani sodales ex concordissima communitate vitae atque victus in diversas deinceps disciplinas abirent. « Summam rerum inopiam, quam Vir « sanctissimus in omni vita adamavit unice, ex alumnis eius « optavere nonnulli, simillimam ; nonnulli, quibus ea visa gravior, « modice temporatam maluerunt. Quare aliorum ab aliis secessione « facta, hinc *Observantes* orti, illinc *Conventuales*. Similiter rigidam « innocentiam, altas magnificasque virtutes, quibus ille ad miracu- « lum eluxerat, alii quidem imitari animose ac severe, alii lenius ac « remissius velle. Ex prioribus iis fratrum *Capulatorum* familia « coalita, divisio tripartita consecuta est » [1]. — At legitimarum varietatem disciplinarum nihil obstare, quominus qui cuivis earum essent ascripti, omnes se germanam Francisci progeniem esse iure defenderent, pluries est Apostolicae Sedis auctoritate sancitum. Ita Leo X : « Quod ipsi *Fratres de Observantia* et *Reformati*, « veri et indubitati Fratres Ordinis B. Francisci et eius Regulae « observatores semper fuerint, ac, divina favente gratia, sint futuri, « sine aliqua interruptione seu divisione, a tempore editae Regulae « per B. Franciscum usque ad praesens ac sub ipsius B. Francisci « Regula militaverint, et etiam ad praesens militent ; sicque in « omnibus teneri et observari ac decidi debere decernimus ac « mandamus » [2]. Et Clemens VIII Fratres Minores de Strictiori Observantia Reformatos nuncupatos ab iniuriis quorundam tuetur. « Ipsosque *Reformatos*, declarat, veros filios et indubitatos Fratres « Ordinis sancti Francisci » [3]. De Capuccinis autem, Paulus V [4], Urbanus VIII [5], Clemens XII [6], eos « esse vere Fratres Minores », et « originem seu principium illorum esse realiter et cum effectu « computandum a tempore primaevae et originalis institutionis « Regulae Seraphicae, cuius observantiam ipsi Fratres Capuccini « semper sine aliqua interruptione continuarunt », eosdemque « fuisse et esse ex vera et numquam interrupta linea, ac veros et « indubitatos Fratres, Ordinis sancti Francisci, et illius Regulae « observatores, subque ipsius B. Francisci Regula militasse et ad « praesens quoque militare » statuunt. — Haec ipsa Nos affirmantes, volumus, iubemus, ut quotquot sunt de ternis disciplinis Franciscalis Ordinis primi, omnes non solum germani sed *gemelli* Fratres, omnes eodem Francisco nati eisdemque religiosae vitae documentis ad unam ipsius Regulam exculti, cum inter se tum ab omnibus habeantur. Itaque ut huius caritatis fraternae, quae inter filios beatissimi Patris una dominari debet, melius tuta et salva iura sint, ideoque ut Franciscana Instituta uberiores Ecclesiae sanctae fructus pariant, Nos de communibus totius gentis Minoriticae rationibus haec valere in perpetuum, tamquam certa principia et capita, decernimus, sancteque ab omnibus servari ex Apostolicae potestatis plenitudine praecipimus quae infra scripta sunt :

Familiae qua ratione distinctae sint.

Sunt tamen omnes germana Francisci progenies.

Testimonia de Observantibus, Reformatis et Capuccinis.

Eosdem vult Pontifex haberi non solum germanos sed gemellos fratres,

ideoque haec statuit :

---

1 Const. *Felicitate quadam.*
2 Litt. *Licet*, die 6 dec. 1517.
3 Litt. *Ex iniuncto*, die 7 sept. 1602.
4 Litt. *Ecclesiae*, die 15 oct. 1608.
5 Litt. *Salvatoris*, die 28 iun. 1627.
6 Litt. *Ea quae*, die 14 maii 1735.

I. Quo pacto Ordo sit unus et triplicis familiae.

I. Ordo primus sancti Francisci, si Patrem legiferum a quo conditus, si Regulam, qua utitur, spectes, una est religiosorum familia : si vero rationem regiminis et Constitutiones, quibus ex Apostolicae Sedis praescripto gubernatur, in tres familias dividitur : quarum una est *Fratrum Minorum*, quae olim *a Regulari Observantia* dicebatur, quaeque cum in quattuor sodalicia esset distincta, id est in Observantes, Reformatos, Alcantarinos, Recollectos a Leone XIII fel. rec. ad unitatem revocata est, uno *Ordinis Fratrum Minorum* indito nomine : altera est *Fratrum Minorum* qui *Conventuales* audiunt ; tertia *Fratrum Minorum* qui *Capuccini* appellantur.

II. Ubi ambigua possit esse significatio, Ordo Fratrum Minorum vocetur in posterum Fratrum Minorum ab unione Leoniana.

II. Familia, seu Ordo, Fratrum Minorum, cui quondam a Regulari Observantia nomen fuit, postquam a Leone XIII ex variis sodaliciis in unum redacta est, si *ab Unione Leoniana* appelletur, recte appelletur. Ea quidem « ex concessu Sedis Apostolicae antecedit loco et honore » ceteras Franciscalium familias, eiusque alumni « Fratrum Minorum merum nomen a « Leone X acceptum retinent », ut ait in Constitutione *Felicitate quadam* Decessor Noster : sed tamen non sic hoc nomen interpretandum est, quasi in ipsa tantum familia omnis Ordo Minoriticus videatur consistere. Patet interpretationem huiusmodi et longe abesse a vero, et valde reliquis Minoritis non paucis esse iniuriosam. Quotiens igitur appellatio *Ordinis Fratrum Minorum* sine ullo apposito ambiguitatem haberet, oportere hanc familiam de qua loquimur, eiusque Moderatores et sodales, praesertim in actis publicis, propria peculiarique adiecta nota designari, vocarique *Ordinem Fratrum Minorum ab Unione Leoniana*, Moderatores et sodales *Ordinis Fratrum Minorum ab Unione Leoniana*, statuimus et sancimus.

III. Minister generalis totius Ordinis Minorum, dicitur honoris tantum causa.

III. Titulus *Ministri Generalis totius Ordinis Minorum*, quo titulo utitur Minister Generalis familiae eiusdem quam ab Unione Leoniana appellamus, meri honoris est, nec quicquam iurisdictionis aut potestatis in ceteras Franciscalium familias notat.

IV. Nomina propria singularum familiarum, designant quae accidunt.

IV. Nomina *Capuccinus*, *Conventualis*, *Unionis Leonianae* Franciscales discrimi[illegible] non id notando, quod ad rationem ipsam et naturam Fratris M[illegible]is pertinet : hoc enim in Regula Seraphica consistit quae apud omnes Franciscales Ordinis primi una atque eadem est : verum eas designando res quae in hoc genere *accidunt* naturae ; et hae sunt Constitutiones, quas unaquaeque familia proprias et peculiares in observanda Regula, ex Apostolicae Sedis praescripto, sequitur.

V. Ius praecedentiae quodnam.

V. Minister Generalis Fratrum Minorum ab Unione Leoniana, item ex concessu Sedis Apostolicae, in omnibus coetibus sacrisque publicis, ubicumque lex de praestantia loci obtinet, Ministrum Generalem Conventualium, uterque autem Ministrum Generalem Capuccinorum praecedit. Familiae vero e singulis coenobiis quem locum inter se in pompis aliisque sacris publicis teneant, pluribus Apostolicae Sedis decretis definitum est.

VI. Tres tamen Generales sunt pares.

VI. Trium familiarum Franciscalium Ministri Generales omnes sunt atque habendi sunt et dignitate et potestate pares, ut Vicarii atque adeo veri successores sancti Francisci, nempe pro sua quisque familia, atque etiam pro sodalibus Secundi et Tertii Ordinis, quotquot suae habent vel iurisdictioni subiectos vel familiae aggregatos : iidem praedecessorum suorum perpetuam seriem ab ipso Patre Seraphico omnes iure ducunt.

VII. Tres Ordinis Minoritici familiae, quasi totidem rami sunt nobilissimae arboris, cuius radix ac truncus Franciscus est. Propterea Fratres Minores tum Unionis Leonianae, tum Conventuales, tum Capuccini pari plenoque iure veri Franciscales, verique Fratres Minores et sunt et haberi debent. Iidemque non alii aliis antiquiores dicendi sunt, quando quidem eorum omnium originem verum est repeti ab ipsa instituta Regula Seraphica, cuius omnes observantiam sine ulla intermissione continuarunt.

VII. Tres familiae sunt pari iure franciscales.

VIII. E Franciscalium templis illud habendum esse sacerrimum in quo ipse Pater legifer beatissimus requiescit, vix attinet dicere : quae aedes propterea mature a Gregorio IX Ordinis Seraphici *Caput et Mater* renuntiata est [1], et a Benedicto XIV per Litteras *Fidelis* ad dignitatem praeterea Basilicae Patriarchalis et Capellae Papalis est evecta. — Sed insignis etiam dignitas est Aedis Mariae Angelorum de Portiuncula ; de qua Benedictus XIII : « Ne quis « denique Basilicam beati Francisci civitatis Assisiensis, ubi sacrum « eius corpus requiescit, a Romanis Pontificibus, praedecessoribus « Nostris, variis privilegiis auctam, ita supra ceteras eiusdem Or- « dinis ecclesias verbis aut scriptis extollat et efferat, ut debitus « honor ac reverentia denegetur Basilicae B. Mariae de Portiuncula « extra muros eiusdem urbis, in qua constat, Seraphicum Patrem « Institutum suum inchoasse ; praecipimus et mandamus, ut ambae « Basilicae, diversis licet rationibus, B. Mariae quidem propter « Ordinis primordia, Assisiensis vero propter sacrum corpus « sanctissimi Institutoris, tamquam Ordinis matrices ab omnibus « Fratribus Minoribus agnoscantur et observentur » [2]. Nos vero ipsam quoque Basilicam Mariae Angelorum nuper datis Litteris *Omnipotens ac misericors Dominus* Matrem et Caput Ordinis Minorum diximus, eamque Basilicae Patriarchalis et Capellae Papalis titulo honestavimus. Quare utramque Basilicam, quasi commune patrimonium, tueantur oportet, quotquot filiorum Francisci gloriantur nomine : utramque omnes tamquam paternam domum fidentes laetique celebrent, ibique omnibus fraternae caritatis officiis recreati sentiant, *quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.*

VIII. Dignitas utriusque templi Assisiensis.

IX. Ministri Generales triplicis Minorum familiae pari sunt potestate in Ordinem Tertium. Tertiarii propterea qui Ministro Generali unius familiae parent, iisdem privilegiis indulgentiisque fruuntur, ac qui duobus aliis subiecti sunt. Nec licebit qui Tertio Ordini ascripti sunt, eos Tertiarios vel ab Unione Leoniana, vel Conventuales, vel Capuccinos appellare, sed Tertiarios S. Francisci seu Franciscales, sine alio apposito dici oportebit.

IX. Tertiarii omnes sunt, uno eodemque iure, mere franciscales, sine apposito.

X. Decora, quibus aliqua ex tribus Minorum familiis elucet ; praeconia, quibus ab Apostolica Sede ornatur ; sancti beati, venerabiles Viri quibus illustratur, quamquam praecipue illius familiae sunt, tamen iure fraternitatis ad ceteras quoque, ut communia ornamenta, pertinent. Veteres vero Ordinis gloriae, a rebus gestis aut a sanctis viris profectae ante canonicam divisionem a Leone X factam ipsius Ordinis [3], nullius ex tribus familiis habendae sunt praecipuae, sed omnium promiscuae.

X. Quaenam sit communitas Sanctorum et gloriarum.

---

1 Litt. *Is qui*, die 23 apr. 1230.
2 Litt. *Qui pacem*, die 21 iul. 1728.
3 Const. *Ite et vos.*

Pax et humilis caritas omnibus commendatur.

Ista Nos, quae vel declarando, vel definiendo, vel praecipiendo praescripsimus, plurimum posse ad copulandos omnium inter se Franciscalium animos arbitramur. Ceterum, « Qui pacem loquitur « in plebem suam et super sanctos suos, certam illam avertendae « contentionis vim rationemque discipulis designavit, monitis « exemplisque suis eosdem adhortatus, ut, qui maior esset inter « ipsos, fieret sicut minor, ac proinde esse contenderent non prae- « eminentia et primatu, sed ministrandi ac subiacendi humilitate « praecessores. Haec autem documenta B. Franciscus Seraphici « Ordinis conditor, et ipse mirabiliter arripuit et expressit, et cus- « todiendae pacis firmamentum esse voluit alumnis suis »[1]. Omnes igitur dicto audientes sint Patri legifero, sic praecipienti : « Non « litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent ; sed sint « mites, pacifici, modesti, mansueti, humiles, honeste loquentes « omnibus, sicut decet »[2]. Et « caveant ab omni superbia, vana « gloria, invidia »[3]. Qui autem ad normam suarum Constitutionum in ipso cultu Domus Dei et in perfunctione sacrorum atque in rerum humanarum usu rigidam sequuntur paupertatem, ne despiciant ceteros ; de quibus Leo X : « Declaramus et decernimus, vos « illorum tantum esse custodes et non possessores, et propterea, « absque vestrae professionis macula aut violatione, cum deceat, « iuxta celebritatem sollemnitatum, et sollemnioribus officiis et « decentioribus paramentis divinam honorare Maiestatem, et ipsius « cultum munificare, et aliis, quibus tam Ordo quam Fratres utun- « tur, communiter vel divisim, uti et potiri libere et licite posse »[4]. Quod si inter Fratres Minores ullum legitimae praestantiae discrimen agnosci debet, illud non in eo ponendum est quod alius de alia familia sit, qua quidem re omnes eos pares esse diximus ; sed in hoc, quod alius alio melius et iudiciis et dictis et factis caritatem fraternam erga sodales, ceterarum praesertim familiarum, custodiat ; atque alius alio perfectius Regulae Seraphicae, pro suae familiae Constitutionibus, praescripta servet. Omnino qualis debeat esse Fratrum minorum inter se consuetudo, intelligi ex his potest, quae de priscis Francisci filiis habet Thomas a Celano : « O quanto carita- « tis ardore flagrabant novi Christi discipuli ! Quantus in eis piae « societatis vigebat amor ! Cum enim alicubi pariter convenirent, « vel in via, ut moris est, sibi invicem obviarent, ibi spiculum spiri- « talis resultabat amoris, super omnem amorem verae dilectionis « seminarium spargens. Quid illud? Casti amplexus, suaves affectus, « osculum sanctum, dulce colloquium, risus modestus, aspectus « iucundus, oculus simplex, animus supplex, lingua placabilis, « responsio mollis, idem propositum, promptum obsequium et « indefessa manus. Et quidem, cum cuncta terrena despicerent et « se ipsos numquam amore privato diligerent, totius amoris affec- « tum in commune refundentes, se ipsos dare in pretium satage- « bant, ut fraternae necessitati pariter subvenirent »[5]. — Nos vero, ut caritatis fraternitatisque vincula, quibus inter se Franciscales trium familiarum continentur, vel artiora fiant, haec in perpetuum damus et tribuimus :

Quo artiore caritate uniantur, quaedam statuit Pontifex.

I. De dedi-

I. Ut dedicatio duarum Basilicarum Assisiensium, quae totius

[1] Benedict. XIII, Litt. *Qui pacem.*
[2] *Reg.* Cap. III.
[3] *Reg.* Cap. X.
[4] Litt. *Merentur*, die 2 ian. 1514.
[5] *Legenda*, I. Cap. 15.

Ordinis Minorum, licet diversa ex causa, matrices et capita sunt, ab universis triplicis familiae clericis ritu duplici secundae classis celebretur ; et ambae iisdem indulgentiis iisdemque privilegiis et nunc et in posterum gaudeant. Fratres autem iis Basilicis addicti, meminerint, se omnium sodalium, non solum e sua ipsorum familia, sed aliorum etiam, personam gerere ; ob eamque rem, Deum Omnipotentem, Mariam Immaculatam, Patrem Seraphicum, omnium nomine, cotidie colere et laudare ne cessent.

catione duarum Basilic. Assisiens.

II. Ut in sacris, pompis, aliisque sollemnibus, quae adstante Pontifice Maximo fiant, tres Ministri Generales simul procedant, servata tamen inter se lege praecedendi.

II. De ordine trium Generalium ;

III. Ut indulgentiae, gratiae, exemptiones, privilegia omnia quae uni Minorum familiae concessa vel iam sint vel posthac fuerint, ea ipsa ceteris familiis concessa censeantur et sint. Quod si cuiuspiam rei concessio ad mitigandam Regulam Seraphicam pertineat, non iis suffragabitur quorum Constitutiones nullam huiusmodi mitigationem patiuntur. Facultates autem, quae Viam Crucis, Scapulare sancti Ioseph, Chordam sancti Francisci, item pias consociationes et sodalicia spectant, ab eo tantum Ministro Generali tribuantur in posterum, cui usque adhuc reservatae sunt.

III. De communicatione privilegiorum et indulgentiarum ;

IV. Ut officia ritualia, quae de Sanctis et Beatis Ordinis sunt vel ad priva sacra seu *devotiones* attinent, uni familiae concessa, ab aliis quoque familiis, probante generali aut *Capitulo* aut *Definitorio*, adhiberi, nullo alio intercedente indulto, liceat : idem de aliis omnibus privilegiis in re liturgica, uni familiae tributis, fieri licebit.

IV. De officiis ritualibus et privilegiis liturgicis ;

V. Ut omnes Romanorum Pontificum vel Apostolicae Sedis Litterae, in quibus generatim instituta Franciscalia laudantur, ornantur, defenduntur, etsi ad unius familiae Ministrum Generalem, moderatores ceteros, sodales datae sint, tamen ad Ministros Generales, moderatores ceteros, sodales aliarum quoque familiarum datae intelligantur.

V. De communitate laudum.

Praesentes vero Litteras et quaecumque in ipsis habentur, nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari, vel impugnari posse ; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus ; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes ; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali et specialissima mentione dignis ; quibus omnibus ex plenitudine potestatis, certa scientia et motu proprio quod ad praemissa expresse derogamus, et derogatum esse declaramus.

Clausulae confirmatoriae.

Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, unionis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, in festo S. Francisci Assisiensis, die IV octobris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

Dies (4 oct. 1909).

PIUS PP. X.

338. — S. C. CONCILII ET S. C. DE SACRAMENTIS

RESPONSA 8 IUL. 1908 ET 18 IUN. 1909

De decreto « Ne temere », de sponsalibus et matrimonio

A. *Responsio S. C. Conc. 8 iul. 1908. — Dubia circa decretum de sponsalibus et matrimonio.*

Dubia.

Ad S. Congregationem Concilii proposita fuerunt sequentia dubia :

De regimine matrimonii mixti in Russia et Polonia.

I. Utrum sub art. IX, § 2 decreti *Ne temere*, in exceptione : « *nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede statutum sit*, » comprehendatur instructio S. Congregationis pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis anno 1844 pro imperio Russiaco et regno Poloniae : « Respondendum oretenus matrimonia mixta, quae in Russiaco imperio et regno Poloniae inita sint praeter formam a Tridentino Concilio praescriptam, esse prudenter dissimulanda, et quamvis illicita, pro validis habenda, nisi « tamen aliud obstet dirimens canonicum impedimentum, » et extensio declarationis Benedictinae ad Poloniam in imperio Russiaco, a Pio VI, 2 martii 1780 facta.

II. Utrum, attenta praefata instructione S. Congregationis pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis anni 1844, et extensione declarationis Benedictinae, a Pio VI, anno 1780 facta, matrimonia mixta, post decretum *Ne temere*, incipiendo a Paschate anni 1908, contracta coram ministro acatholico in imperio Russiaco pro validis habenda sint.

Dies (8 iul. 1908).

Die 8 iulii 1908. Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres, ad supra relata dubia respondendum censuit :

Responsa.

Ad I. *Negative.* — Ad II. *Provisum in primo.*

Approbatio SSmi.

Facta postmodum relatione SSmo D. N. Pio PP. X, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbare dignata est.

VINCENTIUS, Card. Episc. Praenest., *Praefectus.*
B. Pompili, Secretarius.

B. *Responsa S. C. de Sacramentis. — Romana et aliarum.*

Dies (18 iun. 1909).

In plenariis comitiis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum habitis die 18 mensis iunii 1909 sequentia proposita fuerunt dirimenda dubia, nimirum :

Dubia.

I. De conditione originis.

I. Num responsum S. Congregationis Concilii diei 28 martii 1908 ad II : « Exceptionem valere tantummodo *pro natis in Germania ibique « matrimonium contrahentibus,* » ita sit intellegendum, ut in quovis casu ambo coniuges debeant esse nati in Germania, seu respective in regno Hungariae.

II. De vi personali indulti.

II. An post extensionem Constitutionis *Provida* ad regnum Hungariae, Germaniam inter et Hungariam, quod ad validitatem clandestinorum mixtorum matrimoniorum, reciproca relatio habeatur, ita ut duo coniuges nati ambo in Germania matrimonium mixtum clandestinum valide ineant etiam in regno Hungariae, et, viceversa, nati ambo in regno Hungariae valide contrahant clandestino quoque modo in Germania.

III. Num saltem natus in Germania cum nato in regno Hungariae mixtum matrimonium valide ineat sive in Germania sive in regno Hungariae. *III. De communicatione personali.*

Et E^mi Patres ad huiusmodi dubia ita respondendum censuerunt: **Responsa.**

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
Ph. Giustini, Secretarius.

ANNOTATIONES

1. In successione ista, qua *S. C. de disciplina Sacramentorum* genus solvit dubiorum quae ad S. C. Concilii pertinebant, observari potest vis Constitutionis *Sapienti* quae nova ratione Curiam Romanam ordinavit, ita ut peculiaris Congregatio universam Sacramentorum provinciam disciplinarem assumeret. Cfr. PERIOD. n. **279**, t. 4, p. 224.

2. Prioribus autem responsis confirmatur severa declaratio 1 febr. 1908, ad IV quae lege nova celebrationis solam excipit Germaniam, ex C^e *Provida*. (Cfr. PERIOD. n. **255**, t. 4, pp. 171. 172).

3. Alteris autem responsis confirmatur declaratio nostra qua exemptionem prodesse negavimus matrimoniis contractis inter coniuges quorum alter tantum esset in Germania natus. Cfr. PERIOD. t. 4, p. 176.

Simul stricta urgetur exceptionum istarum interpretatio, ita ut condiciones personae et loci sint simul implendae. Quare quamvis Germania et Hungaria simili fruantur regimine, nati in alterutra regione nec in altera nec cum huius incolis privilegio suo uti possint. Regimen enim non est utrique regioni commune, cum duobus separatis indultis sit concessum.

---

339. — S. CONGR. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

RESPONSA 14 MAII ET 16 AUG. 1909

De dispensatione impedimentorum matrimonii, imminente mortis periculo

A. *Responsum 14 maii 1909.*

Ante editum decretum *Ne temere*, diei 2 mensis augusti anno 1907 *De sponsalibus et matrimonio*, satis iam fuerat eorum necessitati provisum, qui miserrime in concubinatu viventes iidemque in gravissimo mortis periculo constituti, impedimento aliquo matrimonium dirimente prohiberentur, quominus rite nuptias inirent. Nam per litteras S. Officii datas die 20 mensis februarii anno 1888, et per secutam declarationem die 9 mensis ianuarii anno 1889, facultas Ordinariis concedebatur, quae parochis etiam subdelegari habitualiter posset, dispensandi in iis adiunctis ab impedimentis quoque publicis matrimonium ecclesiastico iure dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente. *Memoratur facultas superioris iuris Ordinariis et delegatis parochis tributa.*

Art. 7. D. « Ne temere » causa fuit **petendi** *facultatis extensionem ad alios sacerdotes.*

Cum autem in art. VII praefati decreti *Ne temere* sancitum fuerit, « imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordina- « rius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad « consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, « matrimonium contrahi valide et licite posse coram quolibet « sacerdote et duobus testibus » ; Ordinarius Parmensis ac plerique aliorum locorum Ordinarii a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum postularunt, ut, etiam hoc in casu, animarum saluti consuleretur, si forte dirimens aliquod impedimentum obstaret quominus matrimonium rite contraheretur.

Extensio **concediturin** *audientia 9 maii 1909.*

Re mature perpensa in Congregatione generali diei 7 mensis maii anno 1909, et relatis omnibus SSmo D. N. Pio divina providentia Papae X, in audientia habita ab infrascripto eiusdem S. Congregationis a secretis die 9 mensis maii anno 1909, Sanctitas Sua, benigne excipiens votum Emorum Patrum, declarare dignata est ac decernere, quemlibet sacerdotem, qui ad normam art. VII decreti *Ne temere,* imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio assistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita.

Dies (14 maii 1909).

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die 14 mensis maii anno 1909.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*
Ph. Giustini, a secretis.

B. *Responsum 16 augusti 1909.*

Dubium *de vi indulti 14 maii.*

In plenario coetu, a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum habito die 13 mensis augusti anno 1909, dirimendum propositum est dubium : « utrum facultas dispensandi ab impedimentis « matrimonialibus imminente mortis periculo in casu art. VII « decreti *Ne temere*, facta per decretum huius S. Congregationis « diei 14 maii 1909, valeat dumtaxat pro concubinariis ; an etiamsi « non agatur de concubinariis, sed alia adsit causa ad consulendum « conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis ? » Cui dubio

Respon-sum.

Emi Patres responderunt : « *Negative* ad primam partem, *affirma-* « *tive* ad secundam. »

Approbatio pontificia.

Die autem 15 praefati mensis et anni, SSmus D. N. Pius Papa X, audita relatione R. P. D. Secretarii eiusdem S. Congregationis, supra relatam Emorum Patrum declarationem ratam habere et confirmare dignatus est.

Dies (16 aug. 1909).

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die 16 mensis augusti anno 1909.

D. Card. Ferrata, *Praef.*
Ph. Giustini, Secret.

Annotationes

1. De facultatibus istis, quarum opportunitas per se est perspecta, in primis quaeritur utrum necne possit sacerdos ab impedimento clandestinitatis hac ratione dispensare, ut solus, sine aliis testibus, matrimonio valide intersit. Sunt qui affirmant, v. gr. P. Ferreres (Razon y Fé, iul. 1909), cum facultas tribuatur in omnia impedi-

menta dirimentia, duobus solis exceptis, id est sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita [1]. Nobis tamen negandum videtur. Facultas enim dispensandi in iisdem conceditur adiunctis in quibus sacerdos quilibet valide et licite matrimonio assistere potest. Inter haec autem adiuncta istud reperitur ut sacerdos adsit duobus testibus stipatus. Ut aliis utamur verbis, ex decreto *Ne temere* competens non est nisi sacerdos cum duobus testibus. Competenti autem sacerdoti copia fit dispensandi. Qui ergo testes omittere voluerit, excidat simul a competentia et a dispensandi facultate. Ac bene intellegitur duos testes requiri ut *quilibet* sacerdos sit competens, dum parochi qualitas minus rigorosam, in his adiunctis, testium praesentiam postulat.

Non repugnamus tamen quin velit quispiam cum P. Besson (Nouvelle Revue théologique, 1909, p. 472), donec S. Sedes statuerit, benigniori opinioni sufficientem tribuere probabilitatem iuris ut, si opus fuerit, secundum eam agatur.

2. Observes praeterea, quod constat, facultatem istam valere in omnia impedimenta *dirimentia*, quae iuris sint ecclesiastici, etiamsi partem non aegrotam directe afficiant, ut si cum moriente persona subdiaconus sanus sit coniungendus. Duo tamen, ut diximus, excipiuntur impedimenta dirimentia. Sed nulla facultas tribuitur in impedimenta prohibentia (v. gr. religionis mixtae), nisi quod plura ex ipsis adiunctis evanescunt. Ita non raro iam non obstabunt vetitum Ecclesiae, votum simplex castitatis, sponsalia. Praeterea, cum decreto S. Officii 8 iul. 1903 possit qui ex decreto 1888 dispensat etiam prolem legitimare nisi fuerit adulterina vel orta sacrilego toro personae quae ordine sacro vel sollemni voto erat impedita, similem legitimandi facultatem sacerdoti in praesenti tribuere possumus. Ita P. Besson (Nouv. Rev. théol. 1909, p. 470).

3. Scriptores praeterea, ita Besson (l. c. p. 472), De Smet (Collationes Brugenses, 1909, p. 445 et 564) observant mirum quidpiam interesse inter parochum et quemlibet alium sacerdotem. Ex decreto 1888, parochus non potest nisi ab Ordinario delegatus et *cum concubinariis* imminente morte dispensare; ubi vero nulla est parochi vel competentis sacerdotis copia, facultas cuiuslibet sacerdotis nullam postulat delegationem et propter aliam conscientiae causam exerceri potest. Veri simile putamus fore ut S. Sedes haec apta declaratione componat. Sed interea, nonne in ipso parocho agnoscere licet sacerdotem simplicem, et quando parochus nihil potest qua talis, nonne tunc quasi simplex sacerdos, iisdem quibus simplices sacerdotes facultatibus instructus adesse videtur? Quare, in sententiam inclinamus propositam in Monitore, t. 21, (1909), p. 290 nota 1, secundum quam decretum S. Officii 1888 impune neglegi potest.

4. Nimis benigna pluribus visa est ratio qua causas interpretati sumus huiusmodi matrimonia iungendi. Observes tamen hanc ipsam facilitatem nostram laudari in sapienti opere P. Arendt (*Analysis theologico-canonica Decreti « Ne temere »*, p. 314) qui modo theologus S. Paenitentiariae renuntiatus est.

---

[1] In recenti (4) editione operis *Los esponsales y el Matrimonio*, n. **582**, rem dubiam esse declarat.

340. — S. C. CONCILII

DECRETUM « CLERICOS PEREGRINOS » 14 NOV. 1903, ITERUM EDITUM 7 SEPT. 1909

De clericis in Americam et ad insulas Philippinas profecturis

Ad compescendam plurium clericorum neglegentiam, qui sine debita venia, ex Italia praesertim, se conferebant in Americam, iussit SS. D. N. Pius Pp. X, ut iterum vulgaretur decretum S. C. Concilii, editum die 14 nov. 1903.

In decreto isto, quod incipit **Clericos peregrinos**, *legem prius exscribitur qua Leo XIII, die 27 iulii 1890, Italorum sacerdotum migrationem in Americam certis regulis continuit. Postea removenda fuit haud genuina legis interpretatio et coercenda nimia etiam ex aliis regionibus migratio.*

« Quare Emi S. C. Patres, plurium Episcoporum relationibus rite, uti par erat, inspectis, eorundem Episcoporum votis obsecundantes, rebus omnibus mature perpensis, censuerunt, latius atque uberius esse hac de re providendum nova generali lege, quae his capitibus continetur :

I. Nova lex pro Italis.

I. Pro Italiae clericis, firmis dispositionibus contentis in circularibus litteris diei 27 mensis iulii 1890, sub numeris 1, 2, 3, 4 et 6, Ordinariorum omnium tam Italiae quam Americae conscientia super plena earum observantia graviter oneratur. Facultas vero sub num. 5 concessa [1] circumscribitur ad casum strictae et urgentis necessitatis, ut e. g. pro gravi infirmitate alicuius in America degentis, quem christiana caritas aut pietatis officium invisere exigant, neque tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem. Sed in hoc et similibus adiunctis causa urgentis necessitatis in discessoriis litteris clare ac determinate exprimenda erit, absentiae tempus ad sex menses circumscribendum, et de re statim edocenda S. Concilii congregatio.

II. Pro clericis aliarum regionum in Americam migraturis,

II. Extra Italiam vero, in posterum ne liceat Europae Ordinariis discessoriales pro America suis clericis largiri, nisi requisito prius consensu Episcopi dioecesis illius ad quam sacerdos pergere cupit, permutatis ad hunc finem secretis litteris in quibus de aetate et de moralibus atque intellectualibus qualitatibus migrantis sacerdotis Americanus Praesul doceatur. Excipitur tamen casus strictae et urgentis necessitatis, in quo, pari modo ac supra, licentia a proprio Ordinario concedi poterit, sed ad sex menses tantum valitura, annotata causa urgentis necessitatis, et monito per epistolam Episcopo loci ad quem sacerdos proficiscitur.

Quod vero ad sacerdotes orientalis ritus, serventur dispositiones datae a S. C. de Propagande Fide, litteris diei 12 aprilis 1894.

III. vel in insulas Philippinas.

III. Pro migraturis denique ex qualibet orbis parte ad Philippinas insulas, eaedem leges ac normae serventur ac pro Italis sacerdotibus ad Americam pergentibus, hac tamen differentia, ut pro Europae aliarumque regionum sacerdotibus venia expetenda a S. Con-

---

[1] Migrationis temporariae, non ultra annum. Licentia autem prorogari potest.

gregatione Concilii : pro Americae vero septemtrionalis sacerdotibus, a delegatione Apostolica Washingtoniae.

Itaque in posterum discessoriae litterae pro clericis in Americam et ad insulas Philippinas migraturis conficiantur in forma specifica, iuxta regulas superius statutas : et aliter factae nullius valoris sunt, et qua tales ab Ordinariis illarum dioeceseon aestimentur.

Forma specifica litterarum ad valorem exigitur.

Facta autem de his omnibus relatione SS^mo D. N. Pio Pp. X in audientia diei 17 septembris p. p. ab infrascripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua decreta E^morum Patrum confirmavit, per circulares S. C. litteras publicari, et ab omnibus rite observari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Confirmatio pontificia, die 17 sept.

Datum Romae, ex aedibus S. C. Concilii, die 14 novembris 1903.

Dies (14 nov. 1903).

VINCENTIUS, Card. Episcopus Praenestinus, *Praefectus.*
C. De Lai, Secretarius.

---

341. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

DECRETUM 15 IUN. 1909

Clausulae indultis saecularizationis deinceps tacite contentae

Ex audientia SS^mi, die 15 iunii 1909.

Cum minoris esse soleat aedificationis, salvis extraordinariis non nullis casibus, quod in officiis dioecesanis eminere conspiciantur, qui, vel in aliquo Ordine regulari vota sollemnia professi, indultum saecularizationis sive perpetuae sive ad tempus obtinuerint, vel in Instituto aliquo religioso, emissis votis perpetuis, ab istis dispensati fuerint ; ne alii inde Religiosi induci possint, ut varios egrediendi claustra praetextus exquirant, quod nimis frequens accidere experientia docet, sanctissimus Dominus noster Pius Papa decimus decernere dignatus est, ut omnibus deinceps rescriptis, quibus saecularizatio perpetua vel ad tempus, aut votorum perpetuorum relaxatio, prout supra, sacerdotibus et clericis in sacris ordinibus constitutis conceditur, annexae intendantur, licet non expressae, sequentes clausulae, quarum dispensatio Sanctae Sedi reservatur :

Propter aedificationem, et ad vitandum exempli contagium,

Vetitis, absque novo et speciali indulto :

1° Quolibet officio, et, quod ad eos qui ad beneficia habilitati sunt, quolibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus ;

deinceps saecularizati ex sollemniter professis Ordinum vel perpetuo professis Institutorum religiosorum, tacite prohibentur :

Officio et beneficio in basilicis et cathedralibus eccl. ;

2° Quolibet magisterio et officio in seminariis clericalibus maioribus et minoribus aliisque Institutis in quibus clerici educantur, nec non in Universitatibus et Institutis quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos in re philosophica, theologica et canonica ;

magisterio et officio in Seminariis et Universitatibus ;

3° Quocumque officio vel munere in Curiis episcopalibus ;

officio vel munere in Curiis episcopalibus ;

4° Officio Visitatoris et Moderatoris domorum Religiosorum utriusque sexus, etiamsi agatur de congregationibus mere dioecesanis ;

officio Visitatoris vel Moderatoris religiosorum ;

5° Habituali domicilio in locis, ubi exstat conventus, vel domus religiosa Provinciae, vel Missionis, cui sacerdos vel clericus saecularizatus, vel a votis perpetuis solutus, ut supra, ascriptus erat.

habituali domicilio in locis ubi domus est Instituti.

Clausula.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (15 iun. 1909).

Datum Romae, eodem die 15 iunii 1909.

Fr. I. C. Vives, *Praefectus.*
D. Laurentius Ianssens, O. S. B., Secretarius.

Annotationes

1. Novo isto decreto, novum nobis traditur documentum propositi quo Pontifex, qui omnia vult in Christo instaurare, in fidelium omnium, praecipue vero religiosorum animis augere vult disciplinae perfectionis existimationem. Magna aedificationis ratio, voluntas firmandi religiosorum perseverantiam, causa fuere sanctionum quae sic paucis exponi posse videntur.

2. Sanctionibus istis attinguntur quotquot, *sacerdotes* vel in *sacris ordinibus* constituti, in Ordine regulari *sollemniter* sunt professi vel in Instituto votorum simplicium vota fecerunt *perpetua*. Non ii ergo qui in Ordine regulari professionem fecerunt simplicem, quamvis perpetuam [1], neque ii qui temporariis tantum votis sunt astricti; neque laici aut clerici nondum in sacris. Tunc autem sollemniter professi vel perpetuis Congregationis votis astricti attinguntur, cum priores perpetuam vel temporariam saecularizationem obtinuerint vel alii a votis dispensati fuerint.

Indultum saecularizationis intellegimus *voluntarium* et *personale*, ita ut vim decreti effugiant *expulsi*, atque ii etiam qui, in turbidis temporibus, *generalis* saecularizationis participes fiunt.

Dispensati proprie non sunt ii qui inviti ab Instituto dimittuntur. Quod etiam valere putamus de iis quorum vota dimissione non solvuntur, ita ut dimissi dispensationem a S. Sede petere praeterea debeant. Praesens enim lex est stricte interpretanda et de iis tantum agere videtur qui volentes claustra deserunt.

Praeterea de iis qui expelluntur vel qui inviti post perpetua vota dimittuntur iam statuit Decr. *Auctis admodum*.

Cum tamen statutum sit universale, iusta causa v. gr. male affectae valetudinis, auxilii praestandi parentibus, etc. cur quispiam saecularizationem seu dispensationem impetret ipsum praesenti severitate immunem minime facit. Ceterum propter iustas tantum causas dispensatio huiusmodi est concedenda.

3. Omnibus *deinceps* rescriptis (rescripta intellegas S. Sedis) clausulae intenduntur vel tacite annexae quae varia vetita edicunt. Iis ergo qui rescripto huiusmodi iam fruuntur intactus manet status qui ante.

Quod rursus, propter strictam decreti interpretationem, in eos etiam transferimus qui obtentae saecularizationis temporariae mere postulant prorogationem. Huiusmodi regulares novam legem effugere videntur. Clausulas autem istas alicui relaxare non potest nisi S. Sedes, id est, S. Congregatio *religiosorum*.

---

[1] R. P. Besson, in Nouv. Rev. Théol. 1909, p. 577 nota, lege putat affectos qui in Societate Iesu vota fecerunt *simplicia ultima* coadiutorum spiritualium. Ex mente arguit legislatoris. Huic sententiae non possumus assentiri. In re enim odiosa, ut quempiam lege affectum existimes, non satis est ut legislator, si de eo cogitasset, eum inclusisset, sed positiva legislatoris intentio est demonstranda. Verbis claris legislator legem circumscribit sollemniter Ordinum professis. In alios ergo lex non est traducenda.

4. Clausulis istis vetantur saecularizati seu a votis dispensati obtinere *beneficia* vel *officia* vel *magisteria* vel *munia* in ecclesiis, domibus vel locis quae perspicua enumeratione recitantur, et *habituale* habere *domicilium* in locis ubi exstat domus religiosa Instituti cui valedixerint.

Vetantur, inquam, ita ut nulla sit nullitatis sanctio.

Beneficii notio est clara. Vox designat ius (per se) perpetuum percipiendi quosdam fructus ecclesiasticos propter officium spirituale auctoritate ecclesiastica huic iuri coniunctum. Huiusmodi sunt, in nostris partibus, parochiales praebendae et canonicatus ecclesiae cathedralis.

Officium praeeminentiam excludit, dicit autem iurisdictionem vel saltem administrationem [1]. Ita in iure sermo fit de officio parochi, sacristae, etc. Officium itaque habere dicuntur quotquot stabilem seu permanentem (etiam ad nutum Superioris) habent deputationem ad negotia cum aliqua auctoritate gerenda. Ceterum, ubi canonica officia facile deesse videntur, ut in curiis episcopalibus, vox *muneris*, quae latiorem habet usum, mentem Pontificis declarat. Itaque, ut per exempla rem illustremus, non poterit iam qui, in sacris exsistens, saecularizatur vel a votis perpetuis dispensatur, in basilica vel in ecclesia cathedrali, agere canonicum [2], paenitentiarium, vicarium; sacristae seu thesaurarii, custodis, gerere titulum; in seminario clericali maiore vel minore esse superiorem, rectorem, vice rectorem, oeconomum, praefectum generalem disciplinae vel moderatorem spiritus [3] aut ibidem disciplinas docere. Perinde dicendum est de Institutis quae privilegio apostolico fruuntur conferendi gradus academicos in re philosophica, theologica et canonica [4]. Nec in curiis episcopalibus esse poterit promotor fiscalis, defensor vinculi, notarius, secretarius Episcopi. *Curiam* enim episcopalem latius accipimus quam *tribunal*. Denique nequit esse, etiam in domo dioecesana, visitator vel moderator domus religiosae. Hactenus, quae esse vel facere prohibetur.

Non autem prohibetur in basilica vel ecclesia cathedrali ministeria exercere celebrandi, contionandi, audiendi confessiones, quae nullo peculiari titulo honestantur, vel in seminariis esse inter subpraefectos disciplinae qui gradu magistris aequiperantur, vel in Universitate civili quodlibet obtinere officium aut magisterium, vel in curia episcopali amanuensis esse vel pro varia episcopi

---

[1] Cfr. v. gr. SANTI-LEITNER, *Prael. iuris canon.* l. 1, t. 23, n. 2; PIAT, *Praelect. iuris regul. ad usum Fr. Capucc.* t. 3, p. 290. Optime R. P. BESSON, NOUV. REV. THÉOL. 1909, p. 577. 578, in aestimanda vi huius vocis simul legis indolem considerat, quae strictam postulat vocis interpretationem, et tenorem articulorum, qui latiorem demonstrant vocis usum. Media itaque sectanda est via.

[2] Menti saltem legis repugnat ut canonicus fiat honoris causa. Ita scite, BESSON, l. c.

[3] Nec confessarium, addit R. P. BESSON, l. c. Hoc arbitramur paulo severius dictum, cum munus confessarii nullam praebeat exteriorem auctoritatem vel administrationem.

[4] Aliquale dubium nasci potest utrum necne prohibitio solis « facultatibus » theologiae, philosophiae et canonici iuris circumscribatur an etiam ceteras disciplinas complectatur. In has posteriores partes cum BESSON inclinamus.

voluntate, varia ibidem peragere, aut confessarius esse domus religiosae.

Habituale domicilium, cum iuridica domicilii ratio sit quidpiam permanens, tantum hic dicet quantum *habitualis sedes* seu residentia. Iis autem locis arcetur saecularizatus vel a votis solutus, in quibus Instituti quod deseruit est conventus seu domus religiosa pertinens ad provinciam seu missionem cui erat ascriptus. Domus religiosa sumenda est pro domo canonice erecta. Quare in regionibus ubi religiosi non sunt nisi dispersi, v. gr. in Gallia, domus huiusmodi desiderari videtur. Praeterea, prohibitio non omnes locos afficit ubi est domus Instituti, sed iis circumscribitur locis ubi domus ad provinciam vel Missionem pertinet cui ex-religiosus erat ascriptus.

Quid autem si Ordo, qualis v. gr. S. Benedicti, in provincias non fuerit divisus, sed domibus constet quae sui sunt iuris ? Solo tunc loco interdicitur ubi est monasterium.

---

342. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

DECLARATIONES 7 SEPT. 1909

Circa articulum sextum decreti « Auctis admodum » editi die IV novembris MDCCCXCIII

Memorale art. VI D. Auctis,

In articulo sexto decreti *Auctis admodum*, editi a sa. me. Leone XIII, inter alia, haec statuuntur : « Professi tum votorum sollemnium tum simplicium ab Ordinariis ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu ; ad minus per biennium, si de diaconatu ; et quod ad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo. «

Proponuntur **dubia** *eius occasione nata.*

Porro circa genuinum sensum huius articuli, varia dubia sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae exhibita sunt, quae ad sequentia capita reduci possunt :

I. De annorum computatione ;

I. Utrum Superiores Ordinum vel Institutorum religiosorum praefatas testimoniales litteras licite dare, et Ordinarii seu Episcopi licite acceptare possint, si anni de quibus agitur non fuerint completi, seu non vere academici vereque scholares, sed potius abbreviati, non quidem ex incuria, sed quia vel omissae fuerunt vacationes, vel horae lectionibus in schola tradendis multiplicatae, vel alia quacumque de causa ?

II. De susceptione sacri ordinis vix inceptis vacationibus ;

II. Utrum studentes, expleto unius, duorum vel trium respective annorum curriculo theologico, possint statim ad subdiaconatum vel diaconatum vel presbyteratum item respective promoveri, ideoque inceptis vacationibus, in fine anni scholastici dari solitis, quin circulum duodecim mensium complere teneantur ?

III. De addendo 4o anno theologiae.

III. Utrum iidem studentes, triennio theologico rite completo, teneantur adhuc per alium annum, seu per quartum annum scholasticum, theologicis studiis in scholis incumbere ?

IV. Utrum verba eiusdem decreti *Auctis admodum :* « praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo » respiciant tantum philosophica seu lycaealia studia vel etiam gymnasialia seu humaniorum litterarum, immo primariam etiam institutionem ?

IV. De studiis quorum regulare exigitur curriculum ;

V. Utrum studia philosophica seu lycaealia, humaniorum litterarum seu gymnasialia et primaria necessario ante ingressum in noviciatum ex integro peragi debeant ?

V. Quaenam studia sint ante noviciatum perficienda ?

VI. Utrum praefata studia, non publice in scholis rite ordinatis, sed privatim peracta, valorem habeant legalem, seu qui sufficiat ad licite dandas et licite acceptandas litteras testimoniales ad sacros Ordines ?

VI. Quid de studiis privatim peractis ?

VII. Utrum ad valorem legalem studiorum theologicorum, philosophicorum seu lycaealium, et humaniorum litterarum seu gymnasialium sufficiat disciplinae principalis seu theologiae, philosophiae et linguae latinae peritia, vel potius requiratur, ut in unaquaque schola tradantur etiam disciplinae accessoriae, iuxta normam in bene ordinatis Seminariis regionis vigentem et saltem in substantialibus servandam ?

VII. Num sufficiant disciplinae principales ?

VIII. Utrum et quanam ratione in litteris testimonialibus ad sacros Ordines authentice constare debeat de paractis ex integro, tum curriculo seu curriculis theologicis, tum philosophicis seu lycaealibus, et humaniorum litterarum seu gymnasialibus studiis, ut praefatae litterae licite dari possint a Superioribus, et licite acceptari ab Ordinariis seu Episcopis ?

VIII. De ratione attestandi studia.

Et sacra eadem Congregatio, de speciali mandato sanctissimi Domini nostri divina providentia Pii Papae X, respondet prout sequitur :

Responsa *speciali Pontificis mandato.*

Ad I. *Negative* in omnibus ; et quaelibet abbreviatio studiorum abusiva omnino habenda est, et penitus illicita.

Ad I.

Ad II. *Affirmative*, dum modo tamen complexus trium huiusmodi annorum saltem triginta tres menses integros comprehendat.

Ad II.

Ad III. *Affirmative*, ideoque complexus quadriennii theologici, computatis vacationibus seu feriis, quadraginta quinque menses integros comprehendere necesse est.

Ad III.

Ad IV. Respiciunt et philosophica seu lycaealia, et humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria studia. Ideoque haud legalia habenda sunt theologica studia, si alumnus cursum philosophicum seu lycaealem rite non expleverit ; neque legalia erunt philosophica seu lycealia studia, si alumnus humaniorum litterarum seu gymnasiale curriculum minime compleverit ; neque valorem habebit humaniorum litterarum seu gymnasiale studium, si alumnus per primariam institutionem rite habitam minime praeparatus fuerit. Porro, ad legitimum transitum de scholis primariis ad gymnasiales, de gymnasialibus ad lycaeales, de lycaealibus ad theologicas, requiritur testimonium de bene superato periculo seu examine, a Moderatoribus respectivarum scholarum in forma authentica obtentum ; quod si gravi aliqua de causa haberi nequeat, suppleri potest per speciale examen, coram peritis magistris subeundum ante transitum ad superiorem gradum seu scholam.

Ad IV.

Ad V. *Negative* quod ad studia philosophica seu lycaealia ; *affirmative* quod ad primaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum. In casibus tamen specialibus, accedentibus gravibus causis, permitti potest, ut ad noviciatum inter clericos admittatur, qui annum quartum gymnasialem seu humaniorum litterarum rite

Ad V.

expleverit, dum modo : a) decimum quintum aetatis annum excesserit ; b) statim post noviciatum, et antequam ad studium philosophicum seu lycaeale ascendat, integrum curriculum omnium studiorum humaniorum litterarum seu gymnasialium in scholis domesticis vel aliis rite ordinatis compleat ; c) et finale periculum bene superet. Quod si agatur de ingressu in noviciatum anno quarto non expleto, recurrendum ad Sanctam Sedem.

Ad VI. Ad VI. *Negative.* In casibus tamen extraordinariis qui respiciunt particularem aliquem alumnum tantum qui diligenter studiis incubuit et in periculo seu examine idoneus inventus fuerit, recurrendum ad sacram Congregationem pro convalidatione, exhibita iurata fide examinatorum, et de tempore transacto in studio privatim peracto et de bene superato periculo ; nisi res sit, non de omnibus disciplinis unius anni scholaris, sed de una tantum vel altera disciplina accessoria, gravi de causa a particulari aliquo alumno privatim exculta ; tunc enim, praehabita iurata fide examinatorum, ut supra, convalidatio dari poterit a Superiore generali, accedente voto deliberativo sui Consilii.

Ad VII. Ad VII. *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

Ad VIII. Ad VIII. Superiores, in litteris testimonialibus, expressis verbis, sequentia declarare debent et testari : 1°, *quod ad curriculum theologicum*, candidatum a tali anno, mense et die, ad talem usque annum, mensem et diem, et in tali schola studiis theologicis ad sacrum Ordinem ad quem praesentatur, necessariis rite incubuisse. et in finali periculo seu examine ideonum inventum fuisse ; 2° *quod ad inferiora studia, eidem curriculo praemittenda :* a) eundem litterarum studia in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares ex integro explevisse, bene superato finali periculo ; b) praefatum candidatum, recte expletis humaniorum litterarum studiis, philosophicum curriculum ex integro in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares complevisse, et finale periculum auspicato superavisse.

De conficienda Instructione mandatum. Mandavit insuper Sanctitas Sua, ut salvis quae de integritate et duratione studiorum in praesenti documento dicuntur, sacra Congregatio, exquisito ab omnibus Moderatoribus generalibus elencho disciplinarum quae singulis annis scholasticis seu academicis assignatae sunt in respectiva religiosa Familia, una cum tabulis horariis singularum scholarum aliisque opportunis informationibus, Instructionem de studiis apud clericos Ordinum et Institutorum religiosorum rite et integre peragendis praeparet, in plenario E^morum Patrum eiusdem Congregationis coetu examinendam, et, probante Summo Pontifice, publici iuris faciendam.

Clausula derogatoria. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Dies (7 sept. 1909). Romae, e Secretaria eiusdem sacrae Congregationis, die 7 septembris 1909.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
D. L. Ianssens, O. S. B., Secretarius.

Annotationes

1. Huius decreti condendi causam dederunt varii abusus seu callidae artes quibus enervabatur sapiens decreti *Auctis admodum* dispositio de studiis ante religiosorum sacram ordinationem requisitis. Hinc severae seu strictiores manarunt declarationes quas, ut

effectus suos plenius sortiantur, aequae interpretationi iudicamus subiciendas.

2. Ex dubio primo istud colligimus, non Superiorum tantum sed et Episcoporum ordinantium curam esse debere de rite servato articulo VI decreti *Auctis admodum*. Etenim, nec religiosi Superiores licite dare litteras nec Ordinarii licite eas acceptare dicuntur, nisi praescriptis condicionibus factum sit satis. Ceterum, in ipso decreto *Auctis*, obligatio potius directe Ordinariis imponitur non ordinandi religiosos, nisi debitas offerant testimoniales de studiis litteras.

3. Tertius articulus legem nuntiare videtur qua omnes debebunt per quattuor annos studiis theologocis vacare. Huiusmodi tamen lex nusquam est pro religiosis lata [1]. Num itaque per occasionem huius decreti legem arbitrabimur latam, quae in pluribus locis vel Institutis diu receptam studiorum rationem funditus subvertat, vel ab iis qui trium annorum curriculo per omnem theologiam, modo suo, spatiati sunt, exigat ut in studiis quae completa putabant per quartum annum haereant incerti ? Salvo itaque meliore iudicio, responsum ad III sic interpretamur, ut ubi regulare curriculum sit quattuor annorum, sanctio decreti *Auctis* quae sacerdotium permittit post tres theologiae annos, a quarto anno neminem existimetur dispensare. Ut aliis utamur verbis, debent omnes theologiae studia regulariter perficere ; ubi vero in tres annos omnes materiae sint distributae, ordinatio ista studiorum servari poterit donec S. Sedes aliud expresse iniunxerit, vel perfecerit instructionem cuius praeparatio S. Congregationi religiosorum praesenti lege committitur.

4. Articuli 4 ad 8 accurate et stricte definiunt quale regulare curriculum studiorum sit theologiae praeponendum. Atque italicae consuetudinis habitus est respectus. Ibi enim studia *primaria* quattuor postulant annos. Absoluto quarto anno, qui bene periculum fecerunt diplomate maturitatis providentur, vi cuius ad scholas *gymnasiales* seu humaniores per quinque annos frequentandas admittuntur. Absolutis istis studiis, gradus obtinetur prolytatus seu licentiae gymnasialis. Succedunt tunc regulariter per tres annos studia *lycealia*, quae gradum parant licentiae lycealis. Denique incipiunt specialia Universitatis studia. Alumnis tamen qui scholas publicas (officiales) frequentant, licentia datur sine periculo finali, si inter ipsa studia satis bene sunt meriti.

Alibi autem alio modo studia sunt ordinata. Hinc varia exoriuntur dubia.

Quid, in primis, ubi ad rationem qua scholae primariae sint factae, publice vel privatim, vel ad spatium temporis quod his studiis peragendis sit dicatum, vix attenditur et nullus est testimonii de his studiis usus ? Sic in Belgio et in pluribus aliis regionibus. Testimonium authenticum de bene peractis studiis primariis plures

---

[1] Generalis quidem studiorum ratio quam, 10 maii 1907, annuente S. Pontifice, reformatis Italiae seminariis S. Congregatio Episcoporum et Regularium praescripsit, quattuor annos quibus, excepta die dominica et feria V, quattuor horarum spatio cotidie praelegatur, Theologiae assignat. Sed nimis manifestum est decretum istud esse Italiae seminariis circumscriptum.

saltem ex iis qui humaniora studia peragunt afferre non poterunt. Num ergo omnes isti debebunt a S. Sede dispensari ut possint in novicios cooptari? Id non putamus menti S. Congregationis consentaneum esse. Decreto enim suo verba explicat legis quae *curriculum* postulat *regulare*. Ubi ergo curriculo regulari scholae elementares excidere videntur, arbitramur eadem studia quae ad superiores universitatis facultates accessum parant etiam noviciatui faciendo sufficere.

Dein, accedentibus gravibus causis, inter clericos admitti potest novicius qui, 15 annos natus, annum quartum gymnasialem perfecerit, dum modo dein statim post noviciatum omnia studia humaniora obeat, antequam philosophicas disciplinas aggrediatur. Iisdem legibus, ubi sex sint anni studiorum humaniorum, poterit quispiam admitti completo quarto anno, sed duos reliquos perficere debebit statim post noviciatum. Nec quicquam impedit quin secundus noviciatus annus istis studiis perficiendis deputetur.

Profecto S. Congregatio ante oculos habuit studia humaniora latina. Quia tamen, in pluribus regionibus, humanitates quae modernae appellantur, latinis et graecis aequiperantur quod ad studia Universitatis, quaeret quispiam num possit in novicios clericos cooptari qui haec humaniora studia perfecerit? Cum plures sint disciplinae utrisque humanioribus studiis communes, cum nemo cogitaverit eum qui moderna fecerit studia per quinque vel sex annos latinae et graecae linguae addicere, arbitramur alumnum istum recipi posse ea lege ut ante studia philosophica sufficientem linguae latinae et graecae, vel saltem latinae peritiam comparaverit. Omissa enim lingua graeca, videtur ratio humaniorum studiorum, quod attinet ad decreti finem, substantialiter servata.

Pro finali etiam periculo, profecto satis erit diploma afferre seu testimonium authenticum quod aliud in alia regione exigitur ad studia superiora inchoanda.

5. Lex futuros regit casus non praeteritos. Quare de candidatis qui iam die 7 septembris fuerint admissi, satis erit ut Superior testetur studia theologica rite peracta, regulari praemisso curriculo aliorum studiorum. Quod curriculum licebit ita intellegere, ut in aliis disciplinis eam acquisierint peritiam, qua idonei comperti sint ad studia theologica cum fructu obeunda.

6. Eius ceterum est amplitudinis clausula qua contrariis quibuscumque derogatur, ut nullum Ordinis vel Instituti privilegium vim decreti enervare queat.

---

343. — S. C. PROPAGANDAE FIDEI

LITTERAE 5 NOV. 1908

In decr. « *Recenti* » de missarum stipendis, quinam sint Orientales

Ill^me et Rev^me Domine,

Dubium. Amplitudo Tua, litteris ad me datis sub die 25 superioris mensis septembris, dubium exponebat utrum illud quod statuitur in capite 3

decreti *Recenti*[1] S. C. Concilii, super modo quo transmitti possint missae ad ecclesias Rituum Orientalium etiam pro ista dioecesi Quilonensi intellegendum foret.

Porro, per praesentes Tibi significo, numerum decreti de quo agitur non referri ad dioeceses Indiarum Orientalium sed ad Ecclesias *Orientales* proprie dictas. **Responsum.**

Interim vero Deum precor ut Te diu sospitem servet.

Amplitudinis Tuae addictissimus servus,

Romae, die 5 nov. 1908. *Dies (5 nov. 1908).*

Fr. H. Maria Card. Gotti. *Praef.*
Aloisius Veccia, Secret.

Rmo P. D. Aloysio Benzinger, Episcopo Quilonensi.

Annotatio

Litterae istae Episcopo Quilonensi, Malabarensis regionis, datae sunt atque ex Ecclesiastical Review (iul. 1909, p. 74) in Nouv. Rev. Théol. 1909, p. 580, 581, unde illas mutuati sumus, exscriptae. Dubium autem ita solvunt ut plane confirmetur sententia nostra quam t. 3, p. 141, cum P. Besson proposuimus, id est speciales regulas transmittendis eleemosynis praeceptas ad solos Antistites *rituum Orientalium*, minime vero ad eos qui latinis communitatibus praesunt pertinere. Immo, quod de Vicariis apostolicis expresse dicebamus, valet etiam, ut praesentes testantur litterae, de Episcopis latinis qui sedem residentialem in Oriente habeant.

---

344. — S. CONGR. CONCILII

RESPONSUM 7-9 AUG. 1909

De legatis piis et iure episcoporum

Die 7 augusti 1909

Episcopus Bellovacensis, litteris diei 21 martii 1909, inter alia sequens dubium proposuit huic S. Congregationi dirimendum: *utrum sacerdotes vel laici possint, inscio Ordinario, legata ad pias causas recipere eorumque administrationem gerere ac respectiva onera implere.* *Orator.* **Dubium**

Em. Patres S. Congregationis Concilii, exquisito Consultoris voto reque sedulo perpensa, in plenis comitiis diei 7 augusti 1909 respondendum censuerunt: *Omnes, sive sacerdotes sive laicos, quorum fidei concredita sunt legata ad pias causas, teneri de hoc quam primum certiorem reddere Episcopum, qui ius habet vigilandi super administrationem et consulendi securitati eorundem legatorum.* *Dies coetus (7 aug. 1909).* **Responsum.**

Facta vero, die 9 augusti insequenti, de his omnibus relatione SSmo, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbare dignatus est. *Approbatio SSmi, 9 aug 1909.*

Iulius Grazioli, Subsecretarius.

---

[1] Cfr. Periodicum, t. 3, n. 215, p. 138-142; t. 4, n. 242, p. 152, 153; et n. 281, p. 267-269.

ANNOTATIONES

1. Dum praesens edidit responsum, S. Congregatio non tam voluit ius quodpiam novum condere, quam constitutum declarare et confirmare. Et re quidem vera,

a) Cap. Tua nobis, 17, De testamentis et ultimis voluntatibus (III, 17), GREGORIUS IX mandat episcopis ut exsecutores testamentorum, tam *religiosos* quam clericos saeculares et laicos, ad fidelem legatorum piorum exsecutionem compellant. « Cum in omnibus piis voluntatibus sit per locorum episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a testatoribus id contingeret interdici ».

b) In Clem. Religiosis, unic. De testamentis et ultimis voluntatibus (III, 6), religiosi etiam exempti, etiam qui praelati sint, iubentur locorum Ordinariis de susceptae exsecutionis officio rationem reddere, quam ipsi Ordinarii locorum ab iisdem exigere iubentur, addita potestate delinquentes puniendi, « quocumque non obstante privilegio ».

c) Conc. Trident. s. XXII, c. 8 Ref. ita statuit: « Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, in casibus a iure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos sint exsecutores,... ac omnia quae ad Dei cultum aut animarum salutem seu pauperes sustentandos, instituta sunt, ipsi ex officio, iuxta sacrorum Canonum statuta, cognoscant et exsequantur, non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio aut statuto. »

Quare, inter casus quibus exemptio non prodest regularibus, scriptores communiter recensent rationem reddendam piarum voluntatum quae ipsis sint commissae.

Minus itaque vi propria quam vi iuris aliunde vigentis, decretum, quod diserte non nominat nisi sacerdotes et laicos, est etiam in *regulares* procul dubio transferendum.

2. Obligatio iis imponitur « quorum fidei concredita sunt legata ad pias causas »; nihil autem praecipitur ipsis piae causae administratoribus qui ab exsecutore legatum recipiant.

Obligantur itaque, in primis, exsecutores testamentorum, qua tales a testatore instituti. Observes Fratres Minores nullatenus exsecutores esse posse; Patres autem Societatis Iesu munere isto etiam Constitutionibus prohiberi, ita tamen ut Praepositus Generalis (et quidem solus) ab ista Constitutione dispensare possit; omnibus demum religiosis esse, ex iure communi, licentiam proprii Praelati necessariam. (Cfr. c. Religiosus, 2 De testamentis et ult. vol. in 6 (III, 11).)

Nisi exsecutor fuerit designatus, obligantur praeterea heredes vel legatarii titulo universali, cum sint re ipsa legatorum etiam piorum exsecutores.

Pia autem *legata*, seu legata ad pias causas, ea sunt quibus per opera religionis aut misericordiae, testator bono consulit animae suae. Huiusmodi sunt Missae quas iubet celebrari pro anima propria; quicquid, ex intentione supernaturali, v. gr. ad sarciendas iniurias, vel quia Christo placet, pauperibus legat vel Instituto pio, ecclesiae, episcopo, scholis catholicis, etc.

3. Ex decreto porro, episcopus iubetur certior fieri ut ius suum exerceri possit. Itaque, quicumque curandam habet exsecutionem testamenti quo pia continentur legata, debet his vel similibus

verbis episcopum monere : « In testamento N., quod mihi exsequendum incumbit, legata habentur pia. » Etenim requiri non videtur ut statim ab initio legata describat singulatim. Decreto dicitur ut « *de hoc* » Episcopum quam primum certiorem reddat. *De hoc*, id est, ipsius fidei concredita esse legata pia. Hinc integrum episcopo erit, prout res fert vel adiuncta suadent, ultra interrogare et fideli legatorum piorum exsecutioni prospicere.

Quam primum autem episcopum monebit, qui scripserit ad episcopum intra tres dies ex quo certa ac definitiva ratione exsecutio est ipsi commissa. Ac poterunt episcopi tempus istud accuratius definire.

4. Quisnam monendus est Episcopus ? Loquendo de episcopo qui olim erat exsecutor natus legatorum quae facta erant ad redimendos captivos, MOLINA, *De iustitia et iure*, d. 247,3, competentem dicit episcopum loci ubi testator domicilium habebat vel unde testator erat oriundus, denique, si de his dubitetur, episcopum loci ubi est vita defunctus. Ex analogia iuris, dicemus rem ad eum spectare episcopum ubi, secundum patrias consuetudines, hereditas dicitur vacare (*où la succession est ouverte*). Ad testatorem cuius voluntas est fideliter implenda, non autem ad pias causas quibus legatum prodest respiciendum est.

5. Quid, si res legetur piae causae, ut puta Instituto religioso, cuius Praelatus seu administrator sit ipse idem qui exsecutor seu universalis legatarius testatoris ? Cum tunc, sine interposita alterius fide, legatum pium videatur operi pio directe collatum et traditum, ratio dispositionis ita auferri videtur ut etiam cadat, nostra sententia, ipsa iuris obligatio. Hoc videtur obtinere quotiens res, dum in manibus est exsecutoris, iam censetur causae piae tradita.

6. Potestne testator exsecutorem dispensare a ratione episcopo reddenda ? Id facere directe nequit, cum ipso capite *Tua nobis*, ius episcoporum dicatur manere « licet etiam a testatoribus id contingat interdici ». Quare vis huiusmodi dispensationis haec tantum fuerit, ut remissa intellegatur scrupulosa inquisitio quod ad culpam, non quod ad dolum. (Card. DE LUGO, *De iustitia et iure*, d. 24, n. 337.)

Causae tamen esse possunt cur testator velit *secreta* facere legata. Quare scriptores concedunt nullam tunc esse rationem reddendam, nisi, ex conservatis apud se bonis defuncti, exsecutor in suspicionem fraudis venerit. Ita SANCHEZ, *Consilia moralia*, l. 4, dub. 49, cap, 1, et Card. DE LUGO, l. c. (d. 24, n. 337). Qui casus frequens intercidere hodie solet pro legatis piis, ita ut exceptio isto valde notabilis sit.

7. Licet praesenti decreto mere observatio exsistentis iuris inculcetur, diffitendum tamen non est, ius istud in pluribus locis, a multo tempore iam extra usum venisse. Et quamvis non putemus, praecipue ob derogatorias clausulas legis, contra ius episcoporum contraria consuetudine praescribi posse, de generali isto usu, quam diu episcopi silentio connivere videantur, nullus privatus anxius esse debet. Nec ad multorum laicorum aures praesens decretum perveniet, nec eius vis percipietur a multis. Quare, donec Antistites ius suum urgere voluerint, et modum indicaverint quo certiores sint faciendi, usus, ut veri simile est, idem manebit qui ante. Tunc autem a stricta decreti exsecutione excusari poterunt pauci qui rem melius norint, eo quod praesumatur « princeps nolle hoc obligare ad observandum quod non est a maiore parte receptum. » S. ALPHONSUS, l. 1, n. 139.

N. B. De praesenti argumento fuse tractat Sanchez, *in Decalog.* l. 6, c. 11 et *Consilia moralia*, l. 4, c. 1, dub. 40 sqq. Molina, *De iust. et iure*, disp. 249-251 ; C. de Lugo, *De iustitia et iure*, d. 24, n. 324-338.

---

345. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM 6 SEPT. 1909

De dispensatione ab occulta irregularitate in foro conscientiae, urgente necessitate

Memorata concessa facultate de censuris,

Iam ex decreto supremae huius Congregationis, lato die 23 iunii 1886, cuique confessario concessa fuit facultas absolvendi a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis damni vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, iniunctis de iure iniungendis, et sub poena reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistulam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.

Quaeritur *de dispensatione ab irregularitate.*

Cum vero nuper eidem huic Congregationi preces oblatae sint quibus petitur *an liceat confessario in iisdem circumstantiis atque condicionibus dispensare ab irregularitate quae ipsas censuras sequitur*, Emi ad Rmi DD. Cardinales, in rebus fidei ac morum generales Inquisitores, in congregatione habita feria IV, die 1 septembris labentis anni 1909, decreverunt : *Publicetur decretum latum feria IV, die 28 martii 1906.*

Promulgando decretum 28 mart. 1906, **conceditur.**

Decretum vero feriae IV, diei 28 martii 1906, ita se habuit : « Supplicandum SSmo pro facultate dispensandi super irregularitate occulta, quando occurrat in casibus comprehensis in decreto S. Officii, dato die 23 iunii 1886. » Et insequenti feria V, die 29 martii, Sanctissimus annuit pro gratia iuxta Eorum Patrum suffragia.

Dies (6 sept. 1909).

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 6 septembris 1909.

Aloisius Castellano, Notarius.

Annotationes

1. Ex ipso responsi tenore colligi potest, quaestionem de dispensatione ab occulta irregularitate iam tribus abhinc annis propositam esse et solutam, ita ut tunc tamen minus opportuna visa fuerit promulgatio decreti quod nunc publici fit iuris. Hac autem ratione amplior obtinetur gratia quam quae posteriore quaesito petebatur. Quod enim postulabatur de irregularitate *censuras consequente,* id est, ni fallimur, de irregularitate quae ob violatam censuram per exercitium sollemne Ordinis sacri contrahitur, generaliore modo de omni conceditur irregularitate *occulta*, quando occurrat in casibus comprehensis in decreto S. Officii 23 iunii 1886.

2. Quod sic intellegimus, ut quotiescumque paenitens innodetur simul censura et irregularitate, et possit, vi decreti 1886, a censuris absolvi, possit tunc etiam ab irregularitate dispensari.

3. Decretum anni 1906 nihil quidem statuit de reincidentia in irregularitatem nec de ipso necessario recursu ad S. Sedem. Arbi-

tramur tamen satis esse manifestum, facultatem dispensandi non esse nisi iisdem legibus quibus absolutio a censuris continetur concessam.

4. Cum, ex responso 16 iun. 1897, absolutio a censuris etiam speciali modo S. Sedi reservatis, simplici confessario permittatur, citra periculum infamiae, quotiescumque durum fuerit pro paenitente in gravi peccato permanere, dubitari potest utrum necne tunc etiam facultas habeatur dispensandi ab irregularitate. Atque affirmandum putamus, cum decretum 1897 videatur gratiam anni 1886 potius declarare quam novam ex toto concedere. Versamur itaque, quod ex decreti verbis requiritur et sufficit, in casibus comprehensis decreto anni 1886.

5. Abortus foetus animati censura plectitur et irregularitate (ob homicidium voluntarium). Excommunicatio est *episcopo* reservata, dum irregularitas *speciali modo* reservatur S. Sedi. Quid, si minister in sacris (quod absit) talis delicti fuerit reus? Possitne a simplici sacerdote ab irregularitate dispensari? Ac dispensari posse arbitramur, quia abortus est *iure communi* episcopo reservatus, ita ut sit casus papalis potius quam episcopalis. Nec quidpiam obest, quod confessarius fortasse habeat facultatem absolvendi a censuris, ita ut mere propter irregularitatis dispensationem ad S. Sedem recurrere debeat. Maior enim confessarii facultas paenitenti nocere nequit.

---

346. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

DECRETUM EX AUDIENTIA SS^mi, 7 SEPT. 1909

De quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis

Ex audientia SS^mi, die 7 septembris 1909

Ingressu in religionem Ecclesia gaudet, prudentem tamen vult cooptationem.

Ecclesia Christi, licet spirituali gaudio afficiatur, cum fideles matura deliberatione et recta intentione statum perfectionis in religiosis Familiis amplectuntur, qualitatis tamen quam numeri potius sollicita, ingressum in noviciatum et professionem votorum ita moderata est, ut eos tantum decreverit ad evangelica consilia in religiosis domibus servanda esse admittendos, qui divinae vocationis argumenta praeberent. Ipsum quoque probationis tempus, quod votorum emissionem praecedit, ad hoc instituit, ut animi non solum religiosis imbuerentur virtutibus, sed etiam a Superioribus rite explorarentur.

Atque in severitatem inclinans Ap. Sedes statuit

Debilitata tamen in regionibus non paucis vitae christianae disciplina, Apostolica Sedes ingressum in religiosas Familias, examen tyronum et experimentum vitae religiosae, paulatim, progressu temporis, severiori quadam ratione ordinavit, editis ad rem legibus quae spem perseverantiae et prosperi exitus firmiorem redderent.

Cum vero compertum sit, longe melius esse. ut aliqualiter claudantur ianuae ingredientibus, ne postea late reserentur exeuntibus, sanctissimus Dominus noster Pius Papa X committere dignatus est

huic sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, ut severiori huiusmodi Ecclesiae disciplinae insistens in admittendis alumnis ad novitiatum et vota, haec statueret, ab omnibus religiosis virorum Familiis, graviter onerata Superiorum conscientia, fideliter in posterum servanda, quae sequuntur :

in nulla religiosa familia

valide, sine speciali S. Sedis venia, admitti posse ad noviciatum vel ad vota

Nullimode, absque speciali venia Sedis Apostolicae, et sub poena nullitatis professionis, excipiantur, sive ad noviciatum sive ad emissionem votorum, postulantes :

eos qui hic numerantur.

1° Qui e collegiis etiam laicis ob inhonestos mores vel ob alia crimina expulsi fuerint ;

2° Qui a seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis quacumque ratione dimissi fuerint ;

3° Qui, sive ut professi sive ut novicii, ab alio Ordine vel congregatione religiosa dimissi fuerint ; vel, si professi, dispensationem votorum obtinuerint ;

4° Qui iam admissi, sive ut professi sive ut novicii, in unam provinciam alicuius Ordinis vel congregationis et ab ea dimissi, in eandem vel in aliam eiusdem Ordinis vel congregationis provinciam recipi nitantur.

Clausula derogatoria.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Fr. I. C. Vives, *Praefectus.*
D. L. Ianssens, O. S. B. Secretarius.

Annotationes

Praeposita communi nullitatis sanctione, duobus prioribus decreti numeris non nulli alumni collegiorum, duobus vero posterioribus numeris non nulli iam cooptati inter novicios vel simpliciter professos sine apostolica venia in novicios vel professos cooptari prohibentur.

1. De *alumnis*. Observandum in primis est discrimen inter collegia *laica* et collegia *ecclesiastica*. Dum *quaevis dimissio* a collegio ecclesiastico aditum praecludit noviciatui vel professioni, sola *expulsio* ob inhonestos mores vel crimina idem in collegiis laicis operatur. *Expulsio* sollemnem dicit exclusionem, id est quae etiam palam fiat ; *crimen*, praeter expulsionem requisitum, dicit grave delictum cum inhonestis moribus comparabile : v. gr. gravem vulnerationem, furtum. *Dimissio quaevis* etiam occulta esse potest, ob vitium tamen personale et moralem ordinem attingens, qualis est indoles parum tractabilis, pigritia, etc. Qui enim collegium ecclesiasticum ob male affectam valetudinem vel ob vitium parentum linquere cogitur nec dimissus dicetur nec dimissis aequiperabitur. Quid, si alumnus consilium « abeundi » quod vocant, receperit ? Bifariam, consilium huiusmodi datur. Interdum votum exprimit Superiorum qui tamen resignato animo abire nolentem toleraverint. Interdum est urbana ratio significandi firmum iam dimittendi propositum. Priore ratione vim dimissionis consilium minime habebit. Ac de posteriore etiam res ambigi potest, cum *consilium* non sit iussio, et versemur in odiosis. In dubio, certe, benigniores partes amplecti licebit.

Collegia autem dicuntur alia *laica* alia *ecclesiastica*, non ex moderatoribus et praefectis, sed potius ex *alumnis*, ita ut ecclesiastica sint vel religiosa quae instituendis clericis vel religiosis deputantur : sic minora seminaria, scholae apostolicae. Interpreta-

tionem istam postulat magis propria vocabulorum significatio ; dein in ipso decreto, 2, collegia ecclesiatica cum seminariis, tamquam eiusdem generis, numerantur ; denique ratio maioris severitatis facilius explicatur si de alumnis agatur qui clericalia vel religiosa studia professi sint. Dimissio enim qua quis Institutum deserere cogitur in quod ad statum ecclesiasticum vel religiosum praeparabatur, candidatum demonstrat parum idoneum studiis perfectioribus opere complendis.

Quid autem si (ut non unum in Belgio) institutum quod *minoris seminarii* nomine vocatur, regimine nihil a laicis collegiis differat, multosque etiam admittat alumnos qui de statu ecclesiastico amplectendo nullatenus cogitant ? Huiusmodi institutum, spectato fine praesentis decreti, laicum potius dixerimus. Excipias tamen sectionem, v. gr. philosophiae, si qua candidatis clericis reservetur.

2. De iam in Institutum religiosum *cooptatis* haec inducitur distinctio. Qui ante vel post vota *dimissi* fuerint, nec aliud nec idem Institutum denuo ingredi permittuntur ; — qui *professi dispensationem* votorum obtinuerint, alio quidem Instituto, non autem eodem repetendo arcentur; — denique qui *novicii ultro* egressi sunt, omnem servant capacitatem quam ante priorem ingressum habebant.

Atque haec clara quidem sunt, ita ut unum hoc videatur quaerendum, utrum necne proprie *dimissi* habendi sint qui mere propter fractas vires vel male affectam valetudinem exire iubeantur ? Plerumque vel mutuo consensu ob hanc causam disceditur, ita ut discessus huiusmodi dici possit voluntarius, vel etiam abeunti promittitur nova receptio si quondam vires reficiantur. Quod si, in aliquo casu, infirmus vel aegrotus ita ad statum suum afficiatur ut nolit nisi coacte cedere consilio discedendi, num qui firmioris fuit perseverantiae peioris evadet condicionis ? Id minime arbitramur, praesertim cum decretum ad animi inconstantiam vel defectum, non autem ad corporis infirmitatem, quandoque temporariam, respicere videatur. Quosnam enim, ex decreti exordio, repellendos dixeris ? Qui *divinae* vocationis argumenta non praebeant, quorum *animi* a Superioribus explorati parum utilem vel minus bonum demonstrarint religiosum. Talis profecto non est qui vitam religiosam valetudini anteponere velit. De eo potius dicemus : necessitas non habet legem. Quare dimissos propter morbum similes potius facimus eorum qui volentes discedunt vel dispensantur, ita ut, restituta valetudine, si post vota exierint idem possint repetere Institutum, omnem autem Ordinem vel congregationem ingredi per se permittantur si ante vota claustris valedixerint. Satius tamen erit rem istam ita semper componere ut discessus ob morbum demonstretur voluntarius. Etenim,

3. *Nulla* declaratur professio (sive simplex sive sollemnis) eius qui contra haec statuta recipiatur novicius vel professus.

4. *Quid iuris*, de eo qui vota fecerit temporaria, et, elapso eorum spatio, discedat ?

Si ultro ac volens discedat, nullo ingressu in eandem vel aliam religiosam Familiam praesenti decreto prohibetur. Inhabilitas enim eum tantum attingit qui professus a votis dispensetur.

Si autem a Superioribus non iam ad renovanda vota admittatur, res magis dubia est. Stricte enim non est tamquam professus vel tamquam novicius dimissus, quae verba sunt n^i 3. Ac lex nostra

est stricte sumenda. Potius tamen severiores partes amplectimur (semper supponendo defectum aliquo modo moralem). Id enim ratio legis videtur omnino exigere; ac praeterea n. 4[us] in casum nostrum cadere videtur. Huiusmodi enim vir fuit *admissus* ut professus, et dein dimissus.

5. **Quaeres**, num Superior subditum cui incommoda praesentis decreti vitare velit monere possit ut ultro discedat ne dimittatur. Hoc minime probare possimus si de subdito agatur qui non mere videatur in posterum dimissum iri, sed qui hic et nunc iam sit dimittendus et ad vitam religiosam ineptus esse et fore iudicetur? Id enim manifesto foret in fraudem legis actum. Putamus praeterea a S. Sede hanc dissimulationem improbatum iri quotiescumque subditus in praesens dimitteretur nisi abiret. Donec tamen nulla positiva accesserit declaratio, eum damnare nolimus qui, quadam misericordia motus, iuveni de cuius emendatione non desperet maiorem spem capessendae vitae religiosae linquere voluerit.

6. Observes demum conceptis verbis vim decreti ad solas *virorum* familias porrigi, ita ut Monialibus et Sororibus disciplina hactenus vigens intacta maneat.

---

347. — S. C. PROPAGANDAE FIDEI

LITTERAE 30 AUG. 1909

Facultas pro confessione in itinere ad Sinas

Rev[me] Domine,

Memorata **petitione**,

Procurator istius Congregationis ab Immaculato Mariae Corde nuper petiit ut quidam eiusdem Instituti alumni, mox *per Siberiam in Sinas* profecturi, possint durante itinere ad invicem confiteri.

S. Congr. facultatem absolvendi **concedit** *et* **declarat**.

Porro haec S. Congregatio, utens facultatibus sibi a SS[mo] D. N. Pio PP. X tributis, per praesentes facultatem concedit ut praedicti missionarii, *dummodo legitime approbati*, possint, perdurante itinere, alter alterius sacramentalem confessionem excipere. Sinas autem cum fuerint ingressi, viget in eorum favorem decretum in Collectanea S. huius Congregationis relatum, vi cuius usquedum pervenerint ad missiones sibi respective assignatas, possunt non solum inter se confiteri, sed etiam confessiones audire sociorum itineris, quamvis adhuc non praestiterint praescriptum iuramentum circa ritus Sinenses.

. . . . . .

Tibi denique fausta cuncta et felicia precor a Domino.

Dies (30 aug. 1909). Romae, die 30 aug. 1909.

Tuus, Rev[me] Domine,
Addictissimus servus
Fr. H. M. Card. Gotti, *Praef.*
Aloysius Veccia, Secret.

Annotationes

1. Haec fuit causa facultates petendi. Dum itineri maritimo per varias generales facultates est satis provisum, nullo peculiari regimine fruuntur qui via ferrea, per immensas quandoque regio-

nes, iter ita instituere debent ut nulla copia sit adeundi Ordinarios locorum. In praesenti causa agebatur de sacerdotibus Instituti votorum simplicium qui via ferrea quae *transsiberiana* appellatur ad Sinenses Missiones contendebant. Institutum cum non sit exemptum nullam, ne pro mutua quidem confessione, suis alumnis conferre poterat iurisdictionem, qui hanc ab Ordinariis locorum debebant impetrare. Hinc, recursus factus et concessa gratia. Huius tamen clausula *dummodo legitime approbati*, satis obscura videtur. Quomodo enim in Russia possint esse legitime approbati nisi ab ipsis Russiae Ordinariis, quorum facultatem suppleri volebant? Ne tamen inutilis existimetur gratia concessa, clausulam hac ratione interpretamur, ut *legitime approbati* intellegantur ii qui ante discessum, in domo cui ultimo erant addicti, approbationem ad audiendas confessiones consecuti erant.

2. Quod additur de iis qui Sinas iam sint ingressi interpretationem nostram supra, p. (13). (14), propositam luculente confirmat.

---

348. — S. C. CONCILII

RESPONSUM 9 IUNII 1909

De abstinentia a carnibus in pervigilio Annuntiationis B. M. V.

Dubium. Ad S. Congregationem Concilii sequens circa abstinentiam propositum fuit dubium :

« Cum festum Annuntiationis B. M. V. occurrens anno proximo « in feriam VI in Parasceve, transferatur etiam cum feriatione in « feriam II post Dominicam in Albis tanquam in sedem propriam, « quaeritur, *an sequenti anno, 1910, servanda sit lex abstinentiae « a carnibus in pervigilio Annuntiationis B. M. occurrente in « feriam V in Cena Domini, vel transferri debeat.* »

Responsum. *(Dies 9 iun. 1909).* Eadem S. Congregatio, sub die 9 iunii 1909, respondit : *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

C. Card. GENNARI, *Praefectus.*
Basilius Pompili, Secretarius.

ANNOTATIO

Propositum dubium legem supponit particularem qua pridie Annuntiationis a carnibus abstinendum sit. Hoc autem proprium est festi Annuntiationis, ut quando occurrat feria VI in Parasceve, vel in Sabbato sancto, tunc cum ipsa feriatione transferatur in feriam II post Dominicam in Albis. Cum vero celebratio vigiliae cum feriatione cohaerere videatur, haec causa fuisse videtur cur de die abstinentiae sit interrogatum. Ratio autem respondendi haec esse potuit, austeritatem vigiliae hebdomada paschali esse excludendam.

DECRETA SUMMATIM RELATA

349. — I. — *SS. D. N. PII Pp. X. LITTERAE APOSTOLICAE*

A. *Erectio in Vicariatum Praefecturae Apostolicae « Basuto-Land », in Australia*

Litterarum argumentum.

Litteris in forma Brevis, 18 febr. 1909, SS. D. N. Pius Pp. X, sollicitudine sua universali motus, precibusque cedens Vicariorum apostolicorum Africae Australis, auditis Cardinalibus Prop. Fidei, motu proprio vicariatum apostolicum Basuto-Landensem erigit ex Praefectura eiusdem nominis eorundemque limitum. (Acta Apostolicae Sedis, 1909, p. 271.) Dein, brevi apostolico 27 febr. Vicarium Apostolicum renuntiavit R^mum^ P. Iulium Iosephum Cenez (qui simul nominatus est Episcopus titularis Nicopolitan.) ex Congr. Oblatorum Mariae Immaculatae, cuius curis Africana ista provincia est commissa.

Vicarius Apostolicus quisnam.

B. *De sodalicio Immaculati Conceptus a Sacro Numismate.*

Litterarum argumentum.

Litteris in forma Brevis, 8 iul. 1909, Superior generalis pro tempore Congregationis Missionis constituitur generalis director sodalicii Immaculatae Conceptionis a S. Numismate (quae vulgo dicitur *médaille miraculeuse*).

Verba quibus creatur director generalis,

Verba autem dispositionis sic sonant : « De Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum, ut sodalitatis Immaculatae Conceptionis a sacro numismate unitati non minus quam perennitati consulamus, decernimus ac praecipimus ut eius director generalis sit, nunc et in posterum, Superior generalis pro tempore exsistens congregationis Missionis nec non et Puellarum caritatis, praesertim cum dictum numisma uni ex his Puellis, nempe Ven. Dei famulae Catharinae Labouré, a Deipara fuerit revelatum. Tandem, ob difficultatem quam praebet sodalium inscriptio in albo societatis, potissimum tempore Missionum, super dictam inscriptionem, apostolica pariter Nostra auctoritate, benigne, praesentium tenore, dispensamus.

et ab inscribendis sociis dispensatur.

. . . . . .

« Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII iulii MCMIX, Pontificatus Nostri anno sexto. » (Acta Ap. Sed. p. 669.)

C. *De Assisiensi sacello Rosarum.*

In sacello Rosarum Missa votiva celebrari potest ea ratione qua in minoris ordinis sanctuariis Terrae Sanctae.

Litteris in forma Brevis, 12 aug. 1909, sicut 11 april. huius anni S. Pontifex concessit ut sacella Portiunculae et Transitus seraphici Patris Francisci, quod ad Missas votivas ibi celebrandas aequiperarentur sanctuariis *maioris ordinis* in Terra sancta, iam simili modo quod ad Missam votivam, sacellum Rosarum sanctuarii divae Mariae Angelorum in Portiuncula privilegiis decorat quae, in eadem Terra sancta, sanctuariis *minoris ordinis* sunt concessa. (Acta Ap. S. p. 671.)

D. *De sodalicio Bethleemitico ab infante Iesu.*

Sodalicium ab infante Iesu fit archisodalicium.

Litteris in forma brevis, 26 iul. 1909, sodalicium ab infante Iesu quod in Bethleem oppido apud Fratres a Scholis christianis est canonice erectum, ad gradum archisodalitatis evehitur cum facultate aggregandi alias eiusdem nominis societates et communicandi indulgentias et privilegia. Finis istius sodalicii est « impetrandi, fusis divino Infanti precibus, uberiores gratias ac caelestia praesidia omnibus infantibus ac potissimam iis qui ad scholas celebrandas coguntur in quibus nulla iis christianae doctrinae notio traditur, immo malis artibus ab ea arcentur. » Quotquot in orbe terrarum sunt parvuli catholici cooptari possunt. (Acta A. S. p. 757.)

Eius finis.

E. *De Nuscana confraternitate Imm. Conc. et Defunctorum.*

Archisodalicium honoris causa.

Litteris in forma Brevis, 31 iul. 1909, antiqua confraternitas quae in Nuscana dioecesi titulo Immaculatae Conceptionis ac Defunctorum est appellata, « titulo honoris tantum, ad archisodalitatis dignitatem » provehitur, « quin tamen facultate polleat cognomines societates sibi aggregandi. » (A. A. S. p. 759.)

F. *De Instituto ancillarum Mariae.*

Variae indulgentiae.

Litteris in forma Brevis, 11 aug. 1909, sororibus Instituti *ancillarum Mariae*, in piis domibus civitatis Parisiensis, Versaliensis et Tolosanae, ac mulieribus quae cum ipsis habitant, conceduntur variae indulgentiae et altare privilegiatum. (A. A. S. p. 760.)

G. *De Praefectura apostolica quae a Delta Nili appellatur*

Erigitur Vicariatus Apostolicus.

Litteris in forma Brevis, 17 septembris 1909, praefectura Apostolica quae Delta Nili appellatur, et concredita est missionariis societatis Lugdunensis Missionum ad Afros, in Vicariatum apostolicum erigitur iisdem confiniis contentum. (A. A. S. p. 763.)

350. — II. — *S. CONGREGATIONIS RELIGIOSORUM*

Institutum Taurinense abdicatur

Institutum abdicatur.

Monito 4 octobris 1909, declarat Taurinense quoddam Institutum, dictum a S. Maria, cuius membra simili modo quo Puellae a Caritate vestiuntur, nihil habere cum Instituto S. Vincentii a Paulo commune, nec ulla ecclesiastica approbatione esse insignitum. (A. A. S., p. 780).

351. — III. — *S. C. PROPAGANDAE FIDEI PRO RITU ORIENTALI*

Approbantur constitutiones Mechistaristarum

Approbantur novae constitutiones.

Decreto 6 aug. 1909 S. C. Propagandae Fidei pro negotiis ritus orientalis, probante SSmo, promulgavit approbationem in sex annos datam constitutionibus monachorum Armenorum Mechistharistarum, quae ope commissionis peculiaris recognitae erant. Priores Constitutiones approbaverat Clemens XIII, 4 dec. 1762. (A. A. S., p. 704-705).

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA ET RESCRIPTA [1]

---

352. — 15 sept. 1900. — **Ordinis S. Ioannis de Deo.** — *De usu bireti*

Orator

Vario proposito usu,

Rmus P. Cassianus Maria Gasser, Prior generalis et sacerdos Ordinis sancti Ioannis de Deo, sacrorum Rituum Congregationi humiliter exposuit, quod sacerdotes sui Ordinis in accessu ad altare et recessu, nec non in aliis exercitiis ecclesiasticis, ad instar sacerdotum saecularium, alii deferre solent biretum, alii vero caputium amictu coopertum capiti imponunt ; atque utraque pars recte agere censet. Attamen, ad omne dubium e medio tollendum, et ad obtinendam ac servandam etiam quod ad hoc punctum uniformitatem in Ordine, idem Rmus orator sequentis dubii solutionem ab ipsa sacra Congregatione efflagitavit, nimirum :

Quaerit *quisnam sit legitimus.*

An sacerdotes Ordinis sancti Ioannis de Deo, sive sint parochi sive non, sive in propriis sive in alienis ecclesiis, in accessu ad altare et recessu, nec non in aliis exercitiis ecclesiasticis ubi a sacerdotibus saecularibus deferendum est biretum, et ipsi illud deferre possint aut debeant, vel potius caputium amictu coopertum capiti imponere teneantur ?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit :

Responsum.

Ad dubium, quod ad primam partem *posse*, et ad uniformitatem servandam *debere ;* quod ad alteram partem, provisum in praecedenti.

Dies (5 sept. 1900).

Atque ita rescripsit, die 15 septembris 1900.

---

[1] Quae decretis coniunguntur annotationes benigna I. Pauwels S. I. manu sunt conscriptae. Ipsorum decretorum in posterum omittemus solitas subscriptiones, ita ut, nisi aliter notetur, singula intellegenda sint subscripta a Cardinali Praefecto et a Secretario S. C. Rituum.

Decreta autem a 15 sept. 1900 ad 10 ian. 1902 subscripsit Praefectus Emus D. Card. Ferrata ; a 24 mart. 1909, Praefectus Emus Fr. S. Card. Martinelli ; omnia vero, excepto ultimo, subscripsit Secretarius, Ill. D. Panici, Archiep. Laodicen.

Plura porro hoc loco exscribimus decreta quae, quamvis abhinc aliquot annis iam sint edita, primum tamen nunc sunt edita in Actis Apostolicae Sedis.

3531 — 26 april. 1901. — **Angelopolitana.** — *De cantu inter elevationem, de pluvialistis, de sede episcopali et de altari SS. Sacramenti*

Orator.

R^mus^ Decanus cathedralis ecclesiae Angelopolitanae in Republica Mexicana, nunc et Vicarius capitularis, sede vacante, a S. Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit, nimirum :

Dubia.

I. Invaluit mos in cathedrali ecclesia Angelopolitana ut quibusdam diebus, in Missa conventuali, ad elevationem SS^mi^ Sacramenti sub utraque specie, chorus puerorum canat strophan *O salutaris Hostia* etc. Quaeritur : haec consuetudo a pluribus annis invecta potestne continuari ?

I. De cantu inter elevationem.

II. An Caerimoniale Episcoporum observandum sit in Vesperis sollemnibus, etiam cum pluvialistae sint ex canonicis vel dignitatibus, ideoque teneantur iidem cum Celebrante incedere ad incensationem altaris et diaconorum officium adimplere ?

II. De pluvialistis.

III. Sedes episcopalis collocata prope altare maius deinceps remota fuit, et posita in loco ubi tegit suggestum in quo diaconus canit evangelium. Praeterea eadem sedes supra tres gradus elevata aequat altitudinem altaris ; quaeritur : quid agendum in casu ?

III. De sede episcopali.

IV. In quibusdam ecclesiis dioeceseos Angelopolitanae, SS^mum^ Eucharistiae Sacramentum asservatur in altari maiori, dum in aliis solet custodiri in aliquo ex altaribus et sacellis minoribus ; quaeritur : an utrumque admitti possit ?

IV. De altari SS. Sacramenti.

Responsa.

Et sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. Ad I. Servetur decretum generale n. 3827, diei 22 maii 1894, ad III.

Ad II. Ad II. Affirmative quod ad utramque partem, iuxta decretum n. 3839 *Angelopolitana*, diei 17 augusti 1894, ad II et III.

Ad III. Ad III. Quod ad utramque partem, standum Caerimoniali Episcoporum, lib. I, cap. XIII, n. 1, 2 et 3.

Ad IV. Ad IV. Affirmative, dummodo altare ubi continuo asservatur SS^mum^ Sacramentum non sit altare chori.

Dies (26 april. 1901). Atque ita rescripsit, die 26 aprilis 1901.

ANNOTATIO

Decreto n° 3827 de quo in responso ad 1, aliud (n. 2424 ad 6) reformatur, quo concedebatur ut ad elevationem SS^i^ Sacramenti in Missa sollemni cantaretur *Tantum ergo* vel aliqua Antiphona tanti Sacramenti propria. Generatim enim nunc decernitur, dum SS. Sacramentum sive sub una sive sub altera specie elevatur, cantoribus esse omnino silendum iuxta rubricas, iisdemque Sacramentum cum ceteris adorandum. Quae regula a Caerimoniali episcoporum (lib. 2. cap. 8, n. 70) iam tradita, iterum nunc inculcatur in *Graduali Sacrosanctae Romanae Ecclesiae*, n. 7.

Porro haec regula dicenda est omnino generalis ac proinde in omni Missa servanda. Quod si in missa sollemni, peracta ultima elevatione quam, iuxta rubricas, statim *Benedictus* subsequi debet, ad orationem dominicam usque, aliquid modulari libeat, decr. 3827 id permittit, dummodo de iis quae ex liturgia canenda sunt

nihil praetermittatur, celebrans a Missa continuanda haud impediatur, et quod concinitur ad Sacramentum pertineat. Idem indulgetur Motu proprio Pii X de musica sacra, n. 8.

---

354. — 16 maii 1901. — **Mexicana**. — *De calendario et de simplificando festo*

Orator. R^mus D^nus Prosper Ioseph Maria Alarcon, Archiepiscopus Mexicanus, sequentium dubiorum a S. Rituum Congregatione solutionem humillime expostulavit, nimirum :

Dubia.

I. De calendario. I. Ex decreto sacrorum Rituum Congregationis n. 3862 *Urbis et Orbis*, diei 9 decembris an. 1895, sacerdotes confluentes ad ecclesiam vel ad oratorium publicum debent Missas celebrare conformes Officio eiusdem ecclesiae vel oratorii. Cum autem ex peculiaribus Mexicanae regionis circumstantiis sanctimoniales loco ecclesiarum vel oratoriorum publicorum habeant in suarum domorum interioribus oratoria in quibus sacra celebrantur, hinc exortum dubium, num monialium cappellani et alii sacerdotes in praedictis oratoriis Missam celebrare teneantur iuxta tenorem decreti supracitati ?

II. De festo. II. Cum festum Apparitionis S. Iacobi Apostoli sub duplici minore ritu in Mexicana archidioecesi recolatur die 29 maii, quaeritur : quid agendum cum haec dies fuerit impedita : seu, an debeat reduci ad modum simplicis aut prorsus dimitti ?

Responsa. Et sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis liturgicae, reque accurate perpensa, respondendum censuit :

Ad I. Ad I. Si sanctimoniales in casu kalendario proprio rite utantur, huic conformare se debent sacerdotes in illarum oratoriis celebrantes ; si secus, sequi debent kalendarium dioecesis, et detur decretum n. 3910 *Ruthenen.*, diei 22 maii 1896.

Ad II. Ad II. Iuxta rubricas, Officium de quo agitur non posse transferri, et in casu iam provisum ab iisdem rubricis.

Dies (14 maii 1909). Atque ita rescripsit, die 16 maii 1901.

ANNOTATIO

Hoc responso iterum inculcatur principium de conformanda Missa cum kalendario ecclesiae vel oratorii publici in quo celebratur.

Si nuda verba decreti sumantur, primo aspectu videretur hanc regulam valere de omnibus prorsus oratoriis quae in interioribus domorum religiosorum vel sanctimonialium habentur. At si attenditur ad decretum 3910, quod praesens decretum appellat, patet sermonem tantum esse de oratorio principali, seu de oratorio in quod communitas seu eius pars convenire solet : reliqua vero interiora oratoria domus religiosae, quod ad hanc partem, habenda sunt ut privata, ac proin in iis Missa dicenda est conformis officio celebrantis.

---

355. — 27 iun. 1901. — **Montis Albani.** — *De imaginibus servorum Dei*

Orator, Memorata pecuniae collatione,

Hodiernus parochus loci vulgo *Sancti Romani*, intra fines dioeceseos Montis Albani, sacrorum Rituum Congregationi humiliter exposuit, quod a piis fidelibus pecunia collata est ad hoc, ut intra ecclesiam parochialem in vitris fenestrarum coloratis apponantur imagines tum beati Gerardi Maiella, congregationis SS. Redemptoris, tum venerabilis servae Dei Ioannae de Arc, Puellae Aurelianensis. Hinc expetivit : utrum hoc licite fieri possit, et sub quibus condicionibus ?

Quaerit, *de recto usu.*

Et sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis liturgicae, rescribendum censuit : Servetur decretum n. 3835, diei 27 augusti 1894.

Responsum.

Atque ita rescripsit, die 27 iunii 1901.

Dies (27 iun. 1901).

Annotatio

Saepius S. R. C. usum improbaverat exhibendi in ecclesiis imagines servorum Dei qui cum fama sanctitatis vel martyrii decesserunt sed nondum beatificationis vel canonizationis honores consecuti sunt. Sed decreto illo generali 3835 a S. Pontifice approbato, rem ita temperavit ut tales imagines neque altaribus utcumque imponi possent, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis, possent tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus ecclesiae seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, nec quicquam profanum aut ab ecclesiae consuetudine alienum proponant.

356. — 10 ian. 1902. — **Dubium.** — *De restitutione festorum apud Regulares*

Dubium *proponitur.*

A sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii resolutio expostulata fuit, nimirum :

An Regulares, qui festa quaedam Patronorum secundariorum loci, quadraginta abhinc annis, in proprio kalendario absque indulto apostolico inseruerint, et detecto antiquo errore duobus abhinc annis, eadem festae kalendario expunxerint, possint vel debeant ipsa festa in proprio kalendario seu directorio restituere ?

Responsum.

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicae, reque mature perpensa, ad propositum dubium respondendum censuit : Negative ad utramque partem.

Atque ita rescripsit, die 10 ianuarii 1902.

Dies (10 ian. 1902).

Annotatio

Regulares proprio kalendario utentes tenentur ad celebrandum sub ritu duplici primae classis festum *principalis* patroni loci, vel, si patronus particularis loci non habeatur, patroni dioeceseos (Decr. gen. 3863 ad 1) ; alios vero patronos celebrare non possunt absque indulto apostolico. Ac proin, si per errorem talia festa in

kalendario introducta fuerint, de iure expungi debent nisi tamen pro festo celebrando consuetudo invocari possit. Nihil mirum proinde si S. R. C. horum festorum restitutionem in kalendario non admisit.

---

357. — 12 feb. 1909. — **Belemen. de Para.** — *De benedictione nuptiali*

Orator,

R^mus D^nus Santinus Maria de Silva Continho, Archiepiscopus Belemensis de Para, sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit :

narrato usu Brasiliensi,

Iam multis abhinc annis, in archidioecesi Belemensi de Para in Brasilia, consuetudo viget celebrandi matrimonia post meridiem vel sub nocte, quae magis invaluit post introductam legem civilis matrimonii, quo fit ut coniuges saepissime neglegant et omittant benedictionem nuptialem in Missa alio tempore recipere. Hinc

Quaerit *de benedictione extra Missam.*

quaeritur : an, attentis expositis, et pro dicta dioecesi, in matrimoniis celebrandis, benedictio nuptialis, prout in Missa pro sponso et sponsa, etiam extra Missam in posterum impertiri possit ?

Responsum.

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, proposito postulato respondendum censuit : Negative.

Dies (12 febr. 1909).

Atque ita rescripsit, die 12 februarii 1909.

ANNOTATIONES

1. Mens ecclesiae est, ut omnis sponsa, quantum fieri potest, accipiat sollemnem benedictionem nuptiarum ; et si haec benedictio in ipso matrimonio dari non potest, ex decreto generali S. R. Univ. Inquisitionis 31 aug. 1881, impertienda est postea. Attamen S. R. C. decreto generali n. 3922 edixit illam benedictionem numquam a Missa separari posse sed infra eam omnino debere fieri. Quod praesens decretum ita urget ut, etiamsi secus benedictio illa nuptialis omittatur, tamen non possit extra Missam impertiri.

2. Notandum tamen est solam benedictionem de qua supra, et quae extra Missam fieri prohibetur, illam esse benedictionem nuptiarum proprie dictam quae habetur in missali romano in Missa pro sponso et sponsa inserta, non vero illas benedictiones improprie dictas quae in nonnullis pastoralibus inveniuntur. Illae proinde quae potius ad ipsum ritum matrimonialem pertinent extra Missam dari poterunt ; sed nihilo minus, quantum fieri potest, benedictio nuptiarum proprie dicta etiam impertienda est.

---

358. — 24 mart. 1909. — *Decretum de cantibus edendis concinnandisque ad officia propria alicuius ecclesiae vel instituti*

De cantibus officiorum propriorum, instructiones

Sacra Rituum Congregatio necessarium atque opportunum iudicavit, quasdam instructiones seu leges circa cantus concinnandos atque edendos, Officia propria alicuius ecclesiae vel instituti

respicientes, statuere ac evulgare. Quae quidem instructiones seu leges, in audientia diei 24 vertentis mensis martii a sanctissimo Domino nostro Pio Papa X approbatae ac sancitae, sunt quae sequuntur:

approbatae 24 martii

1° Praeter cantus, qui in editione vaticana habentur, alii exstant non pauci, qui, cum et ipsi ad usum liturgicum, licet peculiaris tantum loci, pertineant, propterea omnino debent (decr. 11 aug. 1905, V, VI) ad formam gregorianam concinnari, aut certe reduci, ut inde possint sacrorum Rituum Congregationis approbatione muniri.

1. Cantus isti sunt approbatione muniendi S. R. C.

2° Istiusmodi cantus, quamvis non universam spectent Ecclesiam, nihilo minus in potestatem cedunt Sedis Apostolicae, quae eos approbando facit suos, ac pleno prorsus iure potitur de forma usuque eorum admittendis, tollendis, limitandis et ita quidem moderandis, ut cantus etiam proprii singularum ecclesiarum cum typicis et inter se concordent.

2. Sedes Apostolica pleno iure de istis cantibus statuit quae sibi videntur.

3° Nec tamen ista suprema Sedis Apostolicae potestas super liturgicas cantilenas impedit, quominus firma maneant possessoribus consueta proprietatis iura, scilicet:

3. Quo pacto maneant possessoribus consueta proprietatis iura.

a) Ordinario, super ecclesiae suae Proprium, sumptum quidem universe; minime vero in partes, nisi omnino speciales;

b) auctori vel editori primo, si agatur de melodiis vel de aliquo Proprio cuipiam ecclesiae non reservatis, ut esset v. g. *Kyrie* in Ordinario Missae extra editionem typicam approbatum, aut Proprium regionale; quae tamen, decennio elapso, publici iuris fiant, salvo semper Sedis Apostolicae dominio.

4° Praedictorum autem iurium usus sic temperetur, ut nullus Ordinarius, auctor vel editor obstare queat, quominus alii, si condiciones infra notatas impleant, aliquem cantum proprium, suo verborum contextu, ut par est, instructum, typis pariter evulgent.

4. Iurium tamen istorum modus temperatur.

5° Quivis editor, cantus huiusmodi typis mandare cupiens, ad id admittatur a legitimo possessore, dummodo huic fidem faciat: *a*) de sufficienti ad rem perficiendam facultate et peritia; *b*) de praestanda eidem possessori debita remuneratione, cuius scilicet pretium excedere nequeat duplum expensae ad primam confectionem requisitae.

5. Quo pacto ab aliis typis scribi possint.

6° De moderatoribus supremis alicuius religiosi instituti idem valeat quod supra de Ordinariis sancitum est, peculiaribus tamen servatis privilegiis a Sancta Sede antehac concessis.

6. In supremos religionum moderatores per se cadunt dicta de Ordinariis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 martii, 1909.

Clausula. Dies (24 mart. 1909)

---

359. — 31 mart. 1909. — **Buscoducen.** — *Responsa varia*

Rev. D^nus^ A. Hermus, professor in Instituto Sordomutorum loci *Gestel* S. Michaëlis, et kalendarista dioecesis Buscoducensis in Hollandia, de consensu R^mi^ sui Episcopi, a sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit, nimirum:

Orator

Dubia,

I. Num in missa Rogationum, in festo S. Marci et tribus diebus Rogationum, occurrentibus in festo duplicis secundae classis, duplicis maioris vel minoris, si in ecclesia unica tantum celebratur

I. Quid efficiat festum duplex in missa Rogationum

Missa, post commemorationem duplicis, tertio loco addenda sit oratio de tempore, v. g. *Concede*, si nulla alia commemoratio est facienda?

II. et in missa pro sponso et sponsa.

II. An hoc idem obtineat in Missa pro sponso et sponsa, celebranda in duplici maiori vel minori?

III, IV et V. De Missis pro alumno defuncto, in oratorio Instituti.

III. In Instituto Sordomutorum loci *Gestel* S. Michaëlis unicum tantum habetur oratorium, in quo Missae celebrantur. Portam ad viam publicam non habet, et non nisi occasione quarundam sollemnitatum, v. g. primae communionis alumnorum, vel de speciali licentia superioris, extranei in illud admittuntur; quaeritur, attento S. R. C. decreto *Ordinis Fratrum Minorum provinciae Germaniae inferioris*, 10 novembris 1906, post mortem alicuius alumni, in dicto oratorio, singulo die ab obitu usque ad sepulturam, exceptis diebus in citato decreto enumeratis, pro illo defuncto legi possint Missae de requie quam diu nempe corpus praesens est in domo; an vere semel tantum?

IV. Et si semel tantum, utrum eiusmodi Missae tantum dici possint in die funeris, quasi concomitantes Missam sollemnem exsequialem; an vero insuper in una ex diebus sepulturam cum Missa exsequiali praecedentibus?

V. Sollemnes exsequiae cum Missa exsequiali in dicto oratorio, die sepulturae, pro illo defuncto habentur; an insuper in eodem oratorio Missam de requie pro eo liceat cantare prima die post eius obitum non liturgice impedita, ad normam decreti S. R. C. *Labacen.* 28 aprilis 1902, ad X?

VI. De Missis pro defunctis, cum recitandum est officium votivum.

VI. In tota dioecesi Buscoducensi, ex indulto apostolico et de praescripto Ordinarii, iam ab anno 1853 Officia votiva SS^mi Sacramenti pro feria V, et Immaculatae Conceptionis B. M. V. pro Sabbato, non impeditis festo novem lectionum, extra tamen Adventum, Quadragesimam, Quattuor Tempora et Vigilias, ritu duplici recitantur; quaeritur, utrum supradictis diebus liceat clero ad libitum dicere Missas de requie; an legere teneatur Missas conformes Officio votivo?

VII. De commemoratione pro defunctis, in missa privata votiva.

VII. Sacerdos, die in qua, iuxta tit. v. n. 1 vel 2 Rubricarum Missalis, in Missa de feria vel simplici commemoratio pro defunctis est facienda, legit Missam privatam votivam S. Antonii; num etiam in eiusmodi Missa votiva commemoratio pro defunctis est facienda?

VIII. De Missa S. Iuliani.

VIII. Dioecesi Buscoducensi concessum est pro die 28 ianuarii Officium proprium cum Missa propria S. Iuliani Episcopi et Confessoris, approbatum et concessum dioecesi Conchensi. Haec vero Missa non reperitur in novis editionibus Missalis romani et Gradualis; quaeritur, an in posterum, pro gratia, dici possit Missa *Statuit*, approbata pro dioecesibus, quibus non extenditur praedictum Officium proprium?

IX. De cantu et missis dum exponitur SS. Sacramentum per XL horas.

IX. Dominica Quinquagesimae et biduo sequenti, in pluribus locis dioecesis Buscoducensis habetur exercitium Quadraginta Horarum, quin tamen forma Instructionis Clementinae stricte observetur, cum nocte SS^mum Sacramentum in tabernaculo recondatur; quaeritur: 1° num, durante pio hoc exercitio, cantica in lingua vernacula coram Sanctissimo in ostensorio exposito canere liceat? 2° num, durante tali expositione in altari maiori, in altaribus lateralibus atque in sacellis eiusdem ecclesiae liceat celebrare Missas de requie, diebus quibus tales Missae per Rubricas permittuntur?

X. Utrum preces et hymni liturgici, v. g. Introitus, Communio, hymnus *Lauda Sion*, a choro musicorum in lingua vernacula cantari possint infra Missam privatam; an vero eiusmodi cantica tantum prohibita sint coram Sanctissimo exposito, ad normam decreti S. R. C. n. 3537 *Leavenworthien.*, 27 februarii 1882, ad III? *X. De cantu vernaculo hymnorum liturgicorum.*

XI. In quibusdam locis dioecesis festo S. Thomae a Villanova, proprio die impedito, ab Ordinario iuxta Rubricas assignata est, tamquam fixa, dies 3 octobris. Cum vero hodie festum SS. Angelorum custodum non amplius celebretur die 2 octobris, sed prima Dominica mensis septembris, dies 2 octobris iam nunc libera evasit pro assignatione alicuius festi perpetuo impediti; quaeritur, an nunc mutari debeat dies fixa S. Thomae, et ei assignanda sit, tamquam fixa, dies 2 octobris? *XI. De festo S. Thomae de Villanova.*

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, atque omnibus accurato examine perpensis, ita respondendum censuit: **Responsa.**

Ad I et II. Dilata. *Ad I et II.*

Ad III et IV. Standum decreto *Ordinis Fratrum Minorum provinciae Germaniae inferioris*, 10 novembris 1906, ad I, quod ad 1 et 2 quaestionem. *Ad III et IV.*

Ad V. Servetur decretum *Labacen.*, 28 aprilis 1902, ad X. *Ad V.*

Ad VI. *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam, in casu, iuxta decreta n. 1858, *Bergomen.*, 24 novembris 1691, et n. 3792, *Strigonien.*, 30 augusti 1892, ad VI. *Ad VI.*

Ad VII. *Affirmative*, iuxta Rubricas et decretum n. 2077 *Ordinis Eremitarum Sancti Augustini*, 13 augusti 1701; et quidem penultimo loco inter orationes omnes, quae eadem die tam ex Rubricarum praecepto, quam ex Ordinarii mandato, aut ad Celebrantis placitum adiungantur, iuxta Rubricas generales Missalis romani, tit. VII, n. 6. *Ad VII.*

Ad VIII. Non expedire; et Missa retineatur, quae respondet Officio iam concesso. *Ad VIII.*

Ad IX. Quod ad primam quaestionem, *affirmative*, nisi agatur de textibus proprie liturgicis et de functionibus insuper stricto sensu liturgicis. Quod ad alteram quaestionem, *negative* in omnibus; quia expositio, in casu, uti pro causa publica censetur effecta. *Ad IX.*

Ad X. *Negative* ad primam partem, iuxta decretum relatum n. 3537, *Leavenworthien.*, 27 februarii 1882, ad III; ad secundam iam provisum in prima. *Ad X.*

Ad XI. *Negative*, sed posse, si dies 2 octobris iuxta Rubricas et decreta, festo reponendo S. Thomae, etiam in reformatione perpetui kalendarii dioecesani competeret; secus non posse, sed exspectandum esse tempus reformationis praefatae. *Ad XI.*

Atque ita rescripsit, die 31 martii 1909. *Dies (31 mart. 1909).*

Annotationes

1. Quod ad primum et secundum quaesitum, si principiis generalibus stare velimus, dicendum est in utroque casu tertio loco addendam esse orationem de tempore. Ritus enim officii diei nihil mutat naturam missae ferialis vel votivae quae proinde semper dicenda est cum tribus orationibus. Id ceterum in specie decrevit Congregatio de missa pro sponso et sponsa (decr. gen. 2922 et decr. gen. 2582. Cfr. etiam annotationem ad hoc decretum in tomo 4 p. 166) et de missa Rogationum (decr. 2915 ad 2). Attamen nonnullis

in casibus decrevit Congregatio in Missis votivis ex privilegio celebrandis et in quibus commemoratio fit officii currentis, numerum orationum decernendum esse ex ritu huius officii (cfr. decr. *Ord. Fratr. min.* 12 maii 1905 [1] et aliud decr. *Ord. Fratr. min.* 10 nov. 1906 [2]).

Iam vero recte dici potest Missas de quibus in casu ad illam classem pertinere. Stantibus proinde rationibus in utramque partem, non mirum est a S. Congregatione rem maturiori examini esse remissam, antequam sententia definitiva de hac re proferatur.

2. Ex responsione ad 3 hoc eruere licet : respectu decreti *Aucto* (n. 3903), oratorium principale domus religiosae, etiam si nullam ianuam ad viam publicam habeat, aequiperari oratorio publico ; quod ceteroquin conforme est principiis in aliis decretis admissis. (Cfr. decr. 3910 et decr. 10 nov. 1906 ad 4 [3]).

3. Responsio ad 4 aliqualem explicationem affert decr. 10 nov. 1906 ad I [4].

Hoc scilicet decreto statuebatur in oratoriis publicis et ecclesiis Seminariorum, etc. non singulis diebus sed in uno tantum ex tribus ab obitu usque ad sepulturam decurrentibus, valere privilegium concessum decreto *Aucto*. Non tamen expresse definivit utrum ad ipsam diem exsequiarum restringeretur privilegium, an relinqueretur optio, et ideo auctores varie de hac re sentiunt, alii, uti cl. auctor. Period., optionem relinquentes, alii potius ad unam exsequiarum diem privilegium restringentes [5]. De hac re Congregatio interrogata ne nunc quidem clarum responsum affert, etsi tamen eius responsum nobis potius favere videatur iis qui tenent privilegium ad solam exsequiarum diem restringi. Unum saltem cum certitudine erui potest, scilicet haec verba praedicti decreti non posse sic intellegi quasi praeter diem sepulturae liceat praeterea in aliqua ex diebus intermediis privilegio uti.

Verum si diebus intermediis decreto *Aucto* frui non licet, an saltem non possit his diebus quispiam uti decreto generali 3755 ad III, quo conceditur ut certis diebus missa sollemnis de Requie celebretur prima die post obitum vel eius acceptum nuntium ?

Nullo decreto videtur prohiberi quominus talis missa in iis quoque ecclesiis celebretur in quibus fient exsequiae : auctores tamen plerumque id fieri posse negant. Profecto talis missa fieri non potest post exsequias : sed neque ante exsequias illam celebrari posse nulla ratio stringens suadet.

Porro de hoc in quaesito 5 Congregatio interrogata responsum dat quae rem nullo modo dirimit. Decretum enim Labacen. 28 apr. 1902 ad 10 ad quod remittit, unice enumerat explicite quosdam dies in quibus talis missa celebrari nequit, nihil ceteroquin edicens de ipsis ecclesiis in quibus missa permittatur. Sic enim sonant quaesitum et responsum : « X. Quaeritur : Utrum missa de requie cum cantu, quae ex praefato decreto generali n. 3755 ad III, « celebrari potest pro prima tantum vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, die quae prima occurrat non

---

1 Periodica, t. 2, p. 103.
2 Periodica, t. 3, p. 25.
3 Periodica, t. 3, p. 25.
4 Nouv. rev. théol. 1907, p. 213.
5 Ibid.

impedita a festo 1 vel 2 classis vel festo de praecepto », cantari possit feria IV cinerum, vigiliis nativitatis Domini et Pentecostes, feria IV, V, VI et sabbato infra octavas Paschatis et Pentecostes, cum licet hae dies neque festa sint de praecepto, neque ritum 1 vel 2 classis habeant, excludant tamen eadem duplicia 1 classis?.... Ad X. Negative in omnibus, iuxta decr. gen. n. 3922, diei 30 iun. 1896, § III, n. 2. »

4. Ad quaesitum 6. In duobus decretis in responso ad 6 allatis Congregatio iam responderat missam de Requie esse licitam in die in qua habetur officium duplex ad libitum vel recitatum est officium votivum Immaculatae Conceptionis sub ritu duplici. Ex iterato responso iam concludere licet sic statutam esse normam generalem pro quovis officio votivo sub ritu duplici concesso. Cum autem ratio huius regulae inde deducenda sit quod dignitas talis officii non ea sit quae exigat conformitatem missae cum officio, recte colligere posse videtur illis diebus non tantum missas de Requie sed et missas votivas quaslibet celebrari posse.

5. Ad quaesitum 7. Ex rubrica missalis (tit. 5, n. 1 et 2) certis diebus in missa diei facienda est commemoratio generalis pro defunctis. Hanc commemorationem his diebus in omnibus missis de die etiam privatis faciendam praescripsit Congregatio decreto 2077. Praesenti decreto idem extendit ad missas votivas his diebus celebratas.

Locus huius commemorationis ex rubricis (tit. 7, n. 6) est ut semper ponatur penultimo loco : quam rubricam ita auctores generatim intellegunt ut haec commemoratio pro defunctis ponatur penultimo loco inter orationes a rubricis praescriptas ac proin ordinarie secundo loco, etiam si dicenda sit imperata. Congregatio vero de hac re interrogata nullo modo praesenti decreto eam penultimo loco inter orationes omnes quae qualibet ex causa dicuntur ponendam esse decernit ac proin, si dicenda sit imperata et celebrans nullam orationem votivam addere velit, immediate ante imperatam, si celebrans orationes aliquas addere velit, oratio pro defunctis inter has orationes penultimum locum obtinebit.

6. In responsis ad 9 et 10 duo habentur.

Primo : quando tribus consequentibus diebus publice exponitur SS. Sacramentum pro oratione XL horarum etsi non in forma instructionis Clementinae, talis expositio censenda est pro causa publica effecta ac proin ea durante in tota ecclesia prohibentur missae de Requie quaecumque etiam exsequiales sollemnes praesente corpore. Idem omnino dicendum videtur de expositione quae in multis dioecesibus ex mandato episcopi in singulis ecclesiis fit per unam diem et *adoratio perpetua* vocatur.

Secundo : responsio datur de usu linguae vernaculae.

Hic usus prohibitus est in omni functione stricto sensu liturgica ut habet praesens responsum ad 9. Hoc tamen restringendum videtur ad solas functiones sollemnes (decr. 3496) quales sunt missae sollemnes, vesperae sollemnes. Durante tali functione proinde nihil prorsus lingua vernacula canere licet.

Extra functiones sollemnes liturgicas usus linguae vernaculae prohibetur si agatur de textibus proprie liturgicis cantatis coram SS^mo sollemniter exposito (praesens decr. ad 9 et decr. 3537 ad 3) vel durante missa privata (praesens decr. ad 10). Alios vero textus lingua vernacula cantare licet tum coram SS^mo exposito (decr. 3537

ad 3 et praesens decr. ad 9) tum cum consensu Ordinarii durante missa privata (decr. 3880).

7. Responsio ad 11 sat obscura apparet : sensus videtur esse sequens : Si post assignationem alicuius festi nova dies libera evadit inter diem propriam et diem assignatam, nulla obligatio habetur statim diem assignatam mutandi et novam diem liberam eligendi : haec mutatio tamen fieri potest si reapse in reformatione kalendarii perpetui nova haec dies libera huic festo reponendo competeret, scilicet si nullum aliud festum translatum ex rubricis vel decretis ius haberet ut in hac die assignaretur ; ac proin, si sine notabili perturbatione kalendarii omnia componi possent. Secus, cum mutatio diei assignati fieri non possit nisi vel contra rubricas et decreta vel cum magna perturbatione kalendarii, dies fixa mutari non deberet sed exspectandum esset tempus reformationis kalendarii.

---

360. — 23 april. 1909. — **Piae Societatis Missionum.** — *De usu calendarii Urbis et de quibusdam festis.*

Memorata facultate recitandi Breviarum Urbis,

Dubia.

De ritu quorundam festorum.

Pia Societas Missionum, ex benignitate Sedis Apostolicae, die 8 martii 1904 obtinuit facultatem, qua omnes sacerdotes, « in qua« cumque regione degentes, divinum officium recitare Sacrumque « peragere valeant iuxta kalendarium pro clero saeculari romano, « urbis Romae proprium ». Quocirca ad nonnulla dubia tollenda, sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, reverenter proposita sunt, nimirum :

I. Utrum ex decreto num. 3694 *Portus Principis* seu *Capitis Haitiani* 11 Augusti 1888, ad I, a sodalibus praedictae Societatis in quacumque regione degentibus festa Transfigurationis Domini et Dedicationis archibasilicae SS. Salvatoris sint sub ritu duplici primae classis recolenda, atque festum S. Catharinae Senensis ac S. Philippi Nerii sub ritus duplicis secundae classis ; item et commemoratio octavae santorum apostolorum Petri et Pauli quocumque occurente festo sit facienda ? Et quatenus *negative ;*

II. Utrum ab iis (utpote Regularibus) in Urbe degentibus festum Transfigurationis Domini celebrari debeat sub ritu duplici primae classis sine octava, festum vero Dedicationis cathedralis romanae sub ritu duplici maiori, et festum S. Catharinae Senensis ac S. Philippi Nerii sub ritu duplici tantum minori peragi debeant ?

De die celebrandi S. Bartholomaei.

III. Utrum, iuxta decretum num. 1432 *Umbriaticen.* 12 septembris 1671, festum S. Bartholomaei apostoli etiam ab alumnis piae Societatis Missionum, qui utuntur kalendario Urbis, celebrari debeat die 24 vel 25 augusti, prout in dioecesi vel regione, ubi versantur, moris est ?

S. Ioachim, purissimi Cordis B. M. V.

SS. Nominis B. M. V.

IV. Ubi festa Assumptionis et Nativitatis B. M. V., quotiens occurrent infra hebdomadam, Dominica subsequenti cum integro Officio ac Missa tamquam in sede propria, recoluntur (uti in Borussia, ex decreto diei 5 augusti 1904, a Regularibus quoque fieri debet), ibi festum S. Ioachim nec non festa Purissimi Cordis ac SS. Nominis B. M. V. sedem, quam in Ecclesia Universali obtinent, retinere nequeunt, nisi quando dies 15 augusti sicut dies 8 septembris sit Dominica. Ideo quaeritur : 1° utrum festa S. Ioachim et purissimi Cordis B. M. V. ibi celebrari debeant duobus diebus

dominicis insequentibus, ita ut si v. g. Assumptio B. M. V. celebretur die dominica 16 augusti, festum S. Ioachim recolatur die 23 augusti, et festum purissimi Cordis Dominica subsequenti, die 30 augusti; an utrumque fixe assignandum sit diebus proxime sequentibus liberis, in casu 22 augusti et 8 septembris respective? 2° utrum festum SS. Nominis B. M. V. ex Rubrica novissime reformata fixe die 12 septembris sit assignandum, translato festo inferiore ibidem occurrente?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis liturgicae sententia, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit : **Responsa.**

Ad I. *Affirmative*, exceptis octavis Titularis et Dedicationis archibasilicae Lateranensi. *Ad I.*

Ad II. Provisum in praecedendi. *Ad II.*

Ad III. *Affirmative*, ex causa feriationis ; quae, licet reducta, omnimodam uniformitatem ab universo eiusdem dioecesis vel regionis clero, etiam circa diem, in celebrando festo requirit. *Ad III.*

Ad IV. *Quod ad priorem quaestionem :* Festum S. Ioachim confessoris eadem celebretur die, qua communiter fit a clero saeculari regni Borussici ; et, hac communiter minime assignata, recolatur die 20 martii, qua festum annunciatur in Martyrologio romano. Festum vero purissimi Cordis beatae Mariae Virginis, ex gratia, celebretur Dominica III post Pentecosten, prouti iam recolitur in aliquibus locis. — *Quod ad posteriorum quaestionem :* Festum SS. Nominis Beatae Mariae Virginis die 12 septembris, tamquam, in sede propria, fixe reponatur. *Ad IV.*

Atque ita rescripsit, declaravit atque indulsit. Die 24 aprilis, 1909. *Dies (23 april. 1909).*

ANNOTATIO

Animadvertendum tantum est, principium in responso ad III allatum, scilicet, festum feriatum, etsi feriatio sit privilegio sublata, eodem die ab universo clero saeculari et regulari dioecesis celebrandum esse : quod consequentiam practicam habere potest in dioecesibus uti Mechliniensi, Gandavensi, Brugensi, in quibus festum Annuntiationis aliquando cum feriatione transfertur. Hi, proinde, regulares, in translatione festi sequi debent calendarium dioecesanum, ac festum in casu reponere non in feria II post dominicam in albis, sicut habet rubrica breviarii romani, sed in feria III, uti in his dioecesibus ex speciali indulto fieri consuevit.

---

361. — 12 maii 1909. — *De vaticana editione Officii defunctorum.*

De mandato SS^mi^ D^ni^ nostri Pii Papae X, sacra Rituum Congregatio declarat ac statuit praesentem Officii defunctorum editionem vaticanam, quae cantum gregorianum exhibet, ab ipso SS^mo^ D^no^ nostro feliciter restitutum, uti authenticam ac typicam habendam esse, atque ab omnibus Romanae Ecclesiae ritu utentibus in posterum observandam. Quaevis ideo eiusdem Officii nova editio, typis evulganda, huic adamussim conformis esse debet. Contrariis non obstantibus quibuscumque. *Editio authentica et typica declaratur. Aliae sint huic conformes.*

Die 12 maii 1909. *Dies.*

362 — 14 maii 1909. — *De Missa conventuali ac votiva*

Orator. R. P. Lucas a Maria SSma, Procurator generalis Carmelitarum Excalceatorum, sequentia dubia S. Rituum Congregationi pro opportuna solutione reverenter proposuit, nimirum :

Dubia.

I. De obligatione missae conventualis. I. An Religiosi, quorum constitutiones nihil disponunt circa Missam conventualem, teneantur dicere cotidie unam Missam conventualem, Officio diei correspondentem, iuxta decretum generale S. R. C. sub n. 3757, diei 2 decembris 1891 ?

II. De huius missae hora. II. Quatenus *affirmative :* utrum certis anni diebus a rubrica praescriptis teneantur hanc Missam, etiamsi choraliter non dicatur, celebrare post Sextam vel respective post Nonam, si ob praescriptum constitutionum hae horae recitentur immediate ante prandium ?

III. De missa votiva infra octavam. III. Si infra octavam alicuius festivitatis seu mysterii petatur Missa votiva de eodem festo, celebranda die qua non recitatur Officium de octava, an huiusmodi Missa votiva celebrari debeat more festivo, vel more votivo ?

Responsa. Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam Commissionis liturgicae suffragio, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit :

Ad I. Ad I. *Affirmative.*

Ad II. Ad II. Missa conventualis choraliter, id est cum assistentia communitatis omnino celebranda est, et quidem post recitatam in choro respectivam horam canonicam ; ipsa autem Missa et horae eandem praecedentes congruo tempore persolvantur.

Ad III. Ad III. More festivo, quamvis de diebus infra octavam nulla vel sola fiat commemoratio.

Dies (14 maii, 1909). Atque ita rescripsit, die 14 maii 1909.

Annotationes

Praesenti solutione, Congregatio denuo inculcat quod in praecedentibus decretis iam erat stabilitum. Decretum enim generale 3757 regularibus unam missam conventualem, Officio videlicet diei respondentem, singulis diebus imponit [1] ; diebus vero quibus ex rubricis plures missae conventuales essent dicendae, iure consuetudinis aut eorum Constitutionum secluso, alteram missam conventualem, nempe de feria vel vigilia, non quidem imponit sed permittit. In utroque tamen casu, exigit ut missa celebretur tempore a rubricis praescripto, id est ex decr. 9 apr. 1900 ad 3 et 4, immediate post recitatam in choro respectivam horam, iuxta rubricas Missalis tit. 15, n. 2. Assistentiam chori missae conventuali requiri satis patet, cum ipsa ad functionem chori pertineat : attamen, ubi regulares vi Constitutionum vel ratione consuetudinis ad id minime obligati, praeter missam de die aliam conventualem celebrant de feria vel vigilia, ad huius missae assistentiam regulares non tenentur (decr. 2514 ad 5), sed sufficit ut ipsis assistendi libertas fiat (decr. gen. 3757, III), et assistentes sunt laudandi (decr. 2514 ad 5).

Infra octavas mysteriorum vel festivitatum, missam de ipsa octava habendam esse tamquam non votivam sed festivam, Congre-

[1] Cfr. tamen observationes factas ex Monitore, Period. t. 4, p. 137.

gatio iam decreverat (decr. gen. 3922,V, 1), et ideo illa missa dicenda est cum *Gloria* et *Credo*. Si ipsa festivitas saltem *Credo* habet (vid. decr. III, 2 et decr. Ord. frat. min. 15 maii 1905, III, 1), immo si Missa festi habet sequentiam, illa quoque erit recitanda.

---

363. — 16 iun. 1909. — **Romana.** — *De Missis lectis in externa sollemn. S. Aloysii et SS. Cordis Iesu*

Quaestio *de diebus quae missas lectas excludant.*

Circa privilegia respectivae Missae propriae in externa sollemnitate de S. Aloisio Gonzaga confessore et de sacratissimo Corde Iesu, quae indulta fuere per decreta sacrorum Rituum Congregatis n. 3918, diei 27 iunii 1896, et n. 3960 *Romana*, 23 iulii 1897, nuper ab eadem sacra Congregatione exquisitum fuit : Quaenam sint Dominicae, feriae, vigiliae et octavae, quae excludunt Missas lectas proprias in utraque sollemnitate praedicta ?

Responsum.

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis liturgicae voto, ita respondendum censuit : Sunt Dominicae privilegiatae I et II classis, feria IV Cinerum, feriae maioris hebdomadae ; vigiliae Nativitatis Domini et Pentecostes ; octavae Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi.

Dies (16 iun. 1909).

Atque ita rescripsit. die 16 iunii 1909.

ANNOTATIO

Cum non numquam in ipsis diebus in quibus ab Ecclesia festa peraguntur tum SS. Cordis Iesu, tum S. Aloysii Gonzaga, difficillime devotioni populorum satisfieri possit, Sacra Sedes concessit ut praedictorum festorum sollemnitas externa in alia die, a locorum Ordinariis designanda, transferri queat etiam cum privilegio celebrationis missae propriae. Ex decretis tamen n. 3918 pro sollemnitate S. Aloysii et n. 3960 pro sollemnitate SS. Cordis, privilegio excluduntur, quod ad missas sollemnes, duplicia primae classis et dominicae primae classis, pro missis privatis insuper duplicia 2ae classis necnon dominicae, feriae, vigiliae octavae privilegiatae. Porro, praesens decretum explicat quaenam sint illae dominicae, feriae, vigiliae privilegiatae quae excluduntur a privilegio celebrandi missas lectas.

Si proinde stare velimus verbis praedictorum decretorum, dicendum esset praefatam sollemnitatem sed cum sola missa sollemni celebrari posse etiam diebus qui duplicia 1ae classis excludunt, v. g. in die octava Epiphaniae, feria IV Cinerum, feriis II. III et IV hebdomadae maioris; feriis IV. V. VI et sabbato infra octavas Paschae et Pentecostes, quod tamen principiis hac in re generatim admissis repugnare videtur.

Notandum quoque est, numquam licere huius sollemnitatis occasione omittere missam conventualem seu parochialem cum officio concordantem ubi huiusce missae adest obligatio. (Cfr. praed. decr. 3918 et 3960.) Neque licere huiusmodi indulta acceptare quod ad missas lectas tantum, ne duae missae sollemnes in choro cani debeant. (decr. 3461 ad 2). In missis sollemnitatis, commemoratio officii occurrentis omittenda est in missa sollemni, sed facienda in lectis. (Decr. Lauden. 17 iul. 1900 ad 4.)

364. — 25 iun. 1909. — Atrebaten. — *Varia dubia*

Orator

Dubia.

Onesimus Machez, ordinator kalendarii dioecesani, et magister caeremoniarum ecclesiae cathedralis Atrebatensis, a sacra Rituum Congregatione, de licentia sui Episcopi, insequentium dubiorum elucidationem humillime postulavit, nimirum :

I. De Missa votiva Apparitionis B. M. V.

I. Sacerdos, qui, voto fidelium aut propriae devotioni satisfacturus, celebrat Missam in honorem B. M. V. Immaculatae de *Lourdes*, potestne, diebus non impeditis, secluso indulto apostolico, dicere more votivo Missam propriam Apparitionis (11 februarii) ? — Et quatenus *negative*, debetne sumere Missam festi Conceptionis Immaculatae (8 decembris) ?

II. De oratione praeferenda in concursu Doctorum Pontificum.

II. Quando, propter translationem, concurrunt in Vesperis duo festa Doctorum Ecclesiae, quorum eadem est Oratio *Deus, qui populo tuo*, numquid, si fiat commemoratio sancti Doctoris Episcopi, potius eligenda est Oratio *Exaudi* de Communi confessorum Pontificum, quae recitatur in festis SS. Leonis, Athanasii ac Basilii magni ?

III. De responsoriis 1 nocturni.

III. Iuxta rubricas generales Breviarii, tit. XXVII, n. 7, responsoria primi nocturni Dominicae, in qua primo ponuntur, si in Dominica propter festum impediantur, alia die, in Officio feriali, ante alia responsoria recitanda sunt. Cum autem nonnulla initia habeant eadem responsoria, quod evenit exempli gratia pro quattuor libris Regum et duobus Machabaeorum, debetne rubrica sic intellegi, ut quotiens reponitur initium uniuscuiusque libri, totiens etiam iteranda sint responsoria primi nocturni, non obstante in casu verborum uniformitate ?

IV. De protonotario ad instar *celebrante in pontificalibus.*

IV. Protonotarius apostolicus *ad instar* celebrans in Pontificalibus, et Caeremonialis Episcoporum praescriptionibus inhaerere cupiens, 1° debetne in Vesperis albam induere, more Episcoporum, quamvis associatus a presbyteris, non dalmaticas, sed pluvialia gerentibus ? 2° debetne post psalmos eiusdem Officii capitulum ipse cantare ? 3° similiter in Vesperis, post turificationem altaris, debetne in cornu epistolae mitram assumens *per breviorem* ad sedem accedere ; vel, nudo capite, in medium altaris reversus, descendere, et post reverentiam in plano mitram accipiens, repetere viam per quam eo venerat ?

Responsa.

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, ita respondendum censuit :

Ad I.

Ad I. Quod ad primam partem, *affirmative ;* et quod ad secundam, provisum in prima.

Ad II.

Ad II. *Affirmative.*

Ad III.

Ad III. *Negative*, et sufficit ut impedita semel reponantur infra eam hebdomadam, in qua primum de feria fieri contigerit, iuxta rubricas Breviarii, tit. XXVII, n. 7.

Ad IV.

Ad IV. Quod ad 1um induat rochetum, amictum, crucem pectoralem et pluviale. Quod ad 2um *affirmative*. Quod ad 3um ad primam partem *negative*, et ad secundam *affirmative*, iuxta Motu proprio SSmi Dni nostri Pii Papae X *Inter multiplices*, 21 februarii 1905, III, 48.

Dies (25 iun. 1909).

Atque ita rescripsit, die 25 iunii 1909.

ANNOTATIO

Ex decreto generali 3922, V, Missae propriae de festivitatibus B. Mariae celebrari non possunt ut votivae sine speciali indulto qualis habetur pro festis Immaculatae Conceptionis et Septem Dolorum : his proinde et praesenti decreto ad I annumeranda est missa Apparitionis de *Lourdes*.

---

365. — 12 nov. 1909. — **Ordinis S. Benedicti**, *Congregationis Bavaricae. — De calendario loci* [1]

Orator,

Gregorius Danner, Praeses congregationis Bavaricae O. S. B. Sacrorum Rituum Congregationi humillime quae sequuntur exposuit :

relato facto, **dubium** *proponit.*

Ad prioratum *Weltenburg*, praedictae Congregationis, pertinet parochia non incorporata *Weltenburg*, cum quattuor filiabus, e quibus una, scilicet *Staubing*, ob penuriam sacerdotum monasterii, a sacerdote saeculari dioecesis Ratisbonensis administratur, ita tamen ut omnes functiones parochiales ab administratore regulari parochiae *Weltenburg* exerceantur. Nunc quaestio orta est, quodnam calendarium in praedicta ecclesia filiali *Staubing*, quod ad missae celebrationem, adhibendum sit, utrum regulare, id est monasterii *Weltenburg*, an dioecesanum Ratisbonense ?

Responsum.

Et sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, propositae quaestioni ita respondendum censuit : *Affirmative*, ad primam partem, ***negative***, ad secundam.

Dies (12 *nov. 1909*).

Atque ita rescripsit, die 12 novembris, 1909.

ANNOTATIO

Sicut non semel est declaratum, calendarium loci minus possessione quam administratione aliquo modo stabili definitur. Simul tamen administratio plus postulat quam habitualem celebrationem functionum sacrarum. Cfr. responsa S. Rituum Congregationis, 27 ian. et 3 febr. 1905 (PERIODICUM, n. **49**, t. 1, p. 138); et 31 maii 1907 (PERIODICUM, n. **216**, B. t. 3, p. 142).

Age porro, in praesenti causa, non sola possessio, sed ipsa administratio est in manibus Regularium. Est enim regularis administrator constitutus. Quare responsio *affirmativa* ad primam partem stylo Congregationis est plane consentanea.

---

[1] Cum Ill. D. PANICI vita sit functus, decretum istud, pro Secretario, subscripsit *Philippus* Can. *di Fava, substitutus*.

S. R. C. DECRETA SUMMATIM RELATA

366. — 1. *De rubrica addenda in Missali.*

Decreto 14 iul. 1909, promulgatur rubrica, a S. Pontifice approbata ac Missali inserenda. Sic autem sonat :

« *Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V.*

Rubrica nova. « Si hac dominica occurrat festum nobilius, eo anno festum SSmi Nominis Mariae celebretur die duodecima septembris, tamquam in sede propria : sicubi vero die duodecima occurrat festum nobilius, festum SS. Nominis Mariae transferatur in primam diem liberam iuxta rubricas. »

ANNOTATIO

Dies (14 iul. 1909). Decreto generali 8 iul. 1908 [1], novus statutus est modus transferendi festum SS. Nominis Mariae casu quo dominica infra octavam Nativitatis eiusdem fuerit impedita et secundum hanc normam rubrica in breviario reformata ; praesenti decreto eadem nova rubrica in Missali inseri iubetur.

2. *De officio dedicationis basilicae S. Mariae Angelorum in Portiuncula.*

Decreti argumentum. Decreto S. Rituum Congr. 14 iul. 1909, haec verba addenda praecipiuntur ad lect. VI officii dedicationis patriarchalis Basilicae B. M. V. Angelorum in Portiuncula (die 2 augusti).

In fine, post verba *evenisse cernimus*, haec addenda sunt :

Additio praecepta. « Haec omnia secum reputans Pius decimus Pontifex Maximus, eandem Portiunculae ecclesiam, quam sanctus Pius quintus amplissimo inclusam templo, aliique Pontifices innumeris auctam privilegiis voluerunt, iure caput et matrem universi seraphici Ordinis habendam esse confirmavit, ad eximiam basilicae patriarchalis et cappellae papalis dignitatem evexit, atque in ea plenariam indulgentiam singulis quibusque diebus lucrandam concessit. »

3. *De festis S. Paulini ac SS. Martyrum Perpetuae et Felicitatis, altiore ritu celebrandis.*

A. De festo S. Paulini, Confessoris Pontificis.

Acta de S. Paulino. Litteris in forma Brevis, 18 sept. 1908, SS. D. N. Pius Pp. X Episcopo Nolano permisit ut corpus S. Paulini Episcopi Roma Nolam transferret ; simulque, celebrato sancti huius elogio, auctoritate apostolica edixit ut festum sancti Episcopi, quod hactenus simplicis erat ritus, eveheretur « in Ecclesia universa ad festum ritus duplicis, celebrandum singulis in posterum annis die 22a mensis iunii ». In Nolana autem dioecesi, ubi festum iam agitur ritu duplici primae classis, mandavit ut, die ab Episcopo designanda, quot annis memoria sollemnis translationis ritu duplici maiore celebraretur. (ACTA APOST. SEDIS, 1909, p. 247-249).

---

[1] PERIOD. t. 4, p. 284.

Decreto dein Urbis et Orbis, die 9 iunii 1909, SS. D. N. Pius Pp. X, in posterum universim adhiberi mandavit officium novum, orationes proprias Missae, et verba in Martyrologio emendanda, qualia ea S. R. C. praeparaverat. Solus elogii finis ita praescribitur in Martyrologio mutandus: « Eius corpus Beneventum, inde Romam translatum, iussu Pii Pp. decimi Nolae restitutum fuit ». (ACTA APOST. SEDIS, 1909, p. 556-559.)

B. De festo SS. Martyrum Perpetuae et Felicitatis.

Acta de SS. Martyribus Perpetua et Felicitate.

Decreto 25 aug. 1909, SS. D. N. Pius Pp. X, preces audiens R^mi et D^ni Clementis Combes, Archiepiscopi Carthaginen. atque Algerien. occasionem nacti qua lapideum operculum cum inscriptione vetustissimi tumuli seu sepulcri inclytarum ecclesiae Africanae martyrum, SS. Perpetuae et Felicitatis (ac sociorum : Satyri, Saturnini, Revocati ac Secunduli) in lucem prodiit, « festum SS. Perpetuae et Felicitatis martyrum, sub ritu duplici minori in universa Ecclesia a modo die sexta martii quot annis celebrari mandavit, cum officio et missa de communi martyrum non virginum, et lectionibus secundi Nocturni quae ab eadem S. Congregatione (Rituum) revisae atque emendatae, huic praeiacent decreto, servatis rubricis ». (ACTA APOST. SEDIS, 1909, p. 706-708.)

ANNOTATIO

Si in aliqua ecclesia dies his novis festis affixi alio iam festo sint occupati, tota res componenda est secundum decr. gen. 3811, hoc modo : si antiquum festum sit tantum in die assignata, posthabitis ritu, qualitate primaria et etiam dignitate personali, omnino, die 6 martii, officium faciendum est de SS. Perpetua et Felicitatis, die vero 22 iun. de S. Paulino, et antiquum festum iuxta rubricas reponendum erit in prima die libera. Si vero antiquum festum est et ipsum in die propria et celebratur sub ritu qui duplici sit inferior, officium illud antiquum est pariter transferendum et in ipsa die officium celebrandum de novo. Si antiquum festum in die propria celebratur sub ritu duplicis maioris vel sub ritu altiore, tunc novum festum est transferendum et officium persolvendum de antiquo : idem obtinet si antiquum festum sit secundarium, vel si festum die 22 iunii celebretur in die *quasi natali* tantum.

4. *De materia ex qua ecclesia confici possit.*

Ecclesia ex « caemento armato ».

Rescripto [1] 12 nov. 1909, ad R^mum D. Iulianum Conan, Archiep. Portus Principis, S. Rit. Congr. declaravit ecclesiam ex materia quae *caementum armatum* (*béton armé*) nuncupatur, consecrari posse, dummodo duodecim crucium loca et postes ianuae principalis sint ex lapide. (A. A. S. p. 797.)

NOTANDUM

ACTA APOSTOLICAE SEDIS, distinctis paginarum numeris, acta Pontificii Instituti Biblici ad calcem referunt; id est, post ipsa decreta quibus Institutum istud conditur, a p. 10-16, nuntia generalia, ordinem lectionum et rationem studiorum.

[1] Rescriptum istud cum Em. Praefecto subscripsit *Philippus* Can. *Di Fava*, Substitutus.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Tractatus canonico-morales

Fr. Beringer, S. I. *De Congregationis marianis, documenta et leges.* 1 vol. in-16, VI-215 p. Craecii et Viennae, Styria, 1909.

PARS I. Brevis conspectus eorum quae a SS. Pontificibus, S. Congregationibus Romanis et Praepositis Generalibus S. I. statuta sunt de sodalitatibus B. M. V. I. Gregorius XIII; — II. Sixtus V; — III. Clemens VIII; — IV. Gregorius XV; — V. Benedictus XIV; — VI. Clemens XIII; — VII. Leo XII; — VIII. Acta sub Pio IX; — IX. Leo XIII.

PARS II. Generalia quaedam de Confraternitatibus statuta, quae ad Congregationes mariales spectant.

PARS III. Documenta quae in duabus prioribus Partibus breviter sunt indicata.

Madridius Bock, S. I. *De frequenti usu SS. Eucharistiae Sacramenti* libellus per R. P. Christophorum Madridium, Doctorem theologum S. I. Romae, in aedibus S. I. 1157. Denuo, praemisso praefatione de eucharistico apostolatu S. Ignatii de Loyola editus a P. I. Bock S. I. 1 vol. in-16, XXXV-79 p. Viennae Austriae, 1909. Sumptibus Ordinis.

Praefatio novae editionis et praeambula. C. 1. Propositio quaestionis, cum tribus documentis. — C. 2. Quam graviter peccent indigne accedentes. — C. 3. Argumenta adversariorum et ad ea responsiones. — C. 4. Probationes ad confirmandum frequentem Eucharistiae usum, ex S. Scriptura, ex vetere Ecclesiae usu et auctoritate. — C. 5. Probationes ex SS. Patribus et Doctoribus Graecis. — C. 6. Probationes ex Latinis. — C. 7. Rationes a causa, ab effectu, ab experientia ductae.

Gury-Ferreres, S. I. *Casus conscientiae.* Editio secunda hispana, correctior et auctior. 2 vol. in-8, XVIII-612 et XIV-644 p. Barcinone Subirana, 1908.

Casus sunt de omnibus tractatibus moralibus; utrumque volumen alphabetico ordine habet dispositum Indicem.

1 vol. De parte generali et Decalogo.

2 vol. De statibus, sacramentis, censuris et irregularitatibus.

Génicot, S. I. *Theologiae moralis institutiones.* Editio sexta, quam recognovit **I. Salmans**, ex ead. Soc. 2 vol. in-8, 630 et 730 p. Bruxellis, Dewit, 1909, Pretium 12 fr.

De Smet, Al. R. D. in maiore seminario Brugensi theologiae professor. *De Sponsalibus et Matrimonio, tractatus canonicus et theologicus*, 1 vol. in-8, XXVIII-564 p. Brugis, Beyaert, 1909.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

Lib. I. De Sponsalibus ; de natura sponsalium, effectibus, impedimentis, dissolutione et regimine (c. 1-5). De proclamationibus antenuptialibus.

Lib. II. De Matrimonio. Pars I. De matrimonio universim spectato : de contractu (natura, consensus) ; de sacramento (existentia, nexus cum contractu, natura, minister, effectus, caerimoniae) ; de vinculo coniugali (natura, effectus, proprietates) ; de regimine matrimoniali (Sect. 1-4). — Pars II. De impedimentis matrimonii, in genere et in specie (Sect. 1 et 2). De officio parochi et confessarii. De processu matrimoniali. — Pars III. De dispensationibus et matrimonii convalidatione. Dispensationis notio, auctor, causae, petitio, concessio, exsecutio, vitia, sanatio ; nullitas et convalidatio. (Sect. 1 et 2).

Allegata. Decretum *Ne temere* et decisiones ; formulae, index alphabeticus.

G. Arendt, S. I. *Analysis theologico-canonica decreti « Ne temere »*. 1 vol. in-8, XII-343 p. Romae, Analecta Eccl. 1909. Pret. 3.50 fr.

Pars I. Quaestiones generales : Potestas Ecclesiae, finis Decreti, auctor et forma, promulgatio, habitudo ad decretum tridentinum, ad consuetudines. Genus interpretationis. Subiectum legis passivum (c. 1-8).

Pars II. Particulares decreti dispositiones (c. 1-9).

Epilogus. Declarationes. Index alphabeticus.

J. Lahitton, Dr Th. Theolog. professor. *La vocation sacerdotale, traité théorique et pratique à l'usage des séminaires et des recruteurs de prêtres.* 1 vol. in-16, XII-450 p. Paris, Lethielleux, 1909.

Première Partie. Vraie notion de la vocation sacerdotale : définition, justification, objections, preuves nouvelles, réponse aux difficultés.

Deuxième Partie. Ceux qui donnent la vocation ou les appelants. Les appelants ordinaires ; les appelants délégués, les appelants auxiliaires.

Troisième Partie. Les appelés. L'intention droite. La science suffisante, une sainteté convenable.

Conclusions générales.

J. B. Ferreres, S. I. *Los esponsales y el matrimonio* según la novissima disciplina. Cuarta edicion. 1 vol. in-12, 380 p. Administracion de « Razón y Fe ». Madrid, 1909.

Importancia de este decreto. Texto. Comentario. Declaraciones auténticas. Applicaciones prácticas. Resumen comparativos de la antigua y la nueva disciplina. Si el decreto es aplicable á Espana, etc. Formularios.

Ascetica

A. Guillaume, S. I. *Les litanies de la T. S. Vierge.* Commentaire doctrinal de chaque Invocation. 1 vol. in-16, IX-666 p. Bruxelles, A. Dewit, 1909.

Avant-propos. Introduction historique et vue d'ensemble des Litanies. Commentaire.

Gillet, O. Pr. *Devoir et Conscience*. 1 vol. in-16, 322 p. Bruges-Paris, Desclée, De Brouwer et Cie. Prix 3.50 fr.

PREM. PARTIE. Généralités sur la conscience morale.

DEUX. PARTIE. L'éducation objective de la conscience morale.

TROIS. PARTIE. L'éducation subjective de la conscience morale.

Iuridica et Oeconomica

A. Ausson, R. D. *Sonxhon et son école professionnelle de dessin et mécanique*. Brochure in-16 de 48 p. Liège, Cormaux, 1909.

E. Waxweiler, *L'évolution de l'idée d'association des salaires aux profits*. Brochure in-16 de 33 p. (Extr. des BULLETINS DE L'ACADÉMIE ROYALE DE BELGIQUE). Bruxelles, Hayez, 1909.

Alb. Müller, S. I. *La querelle des fondations charitables*. 1 vol. in-8, de XIV-346 p. Bruxelles, Dewit, 1909. (École des sciences politiques et sociales de l'Université de Louvain).

Les origines éloignées de la controverse. — Initiatives communales. — La centralisation sous le régime français. — Le retour à la politique décentralisatrice. — La liberté des fondateurs après 1830. — Premier retour de la thèse centralisatrice. — La jurisprudence de M. de Haussy. — Les deux thèses aux prises. — A la recherche d'une solution législative. — Le projet Nothomb. — La loi des couvents. — Les fruits de la victoire libérale. — La nouvelle orientation de la controverse. — Vers la décentralisation. — Une nouvelle loi des couvents. — Conclusion. (ch. 1-15). Annexes.

(Sine nomine). *Semaine syndicale de 1908; de 1909*. Fayt-lez-Manage. Deux brochures. Gand, secrétariat général des Unions professionnelles chrétiennes, 1908-1909.

(Sine nomine). *Eerste vlaamsche sociale week*. Leuven, 1908. 1 vol. in-8, 282 bl. Gent, Meersteeg, 16, 1909.

C. Beyaert. *Industrie et religion*. Notes de voyages à travers des pays industriels. Brochure in-8 de 42 pages. Bruges, Beyaert, 1908.

La prospérité commerciale et industrielle doit-elle avoir pour conséquence la perte de la foi et de la vie chrétienne ?

Nouvelle revue théologique. Complément indispensable du *Bulletin Officiel du Saint-Siège*, cette Revue en reproduit les documents les plus utiles et s'attache, par des *explications claires et autorisées*, à *préciser leur sens et leur portée*. — Consultations, cas, études et notes de *théologie morale*, de *droit canonique* et de *liturgie*. *Actualités théologiques* et *mouvement des sciences sacrées :* information et discussion. — La Revue paraît en numéros mensuels de 64 pages, sous la direction de M. BESSON, professeur de droit canon à l'Institut Catholique de Toulouse. — **Abonnements** chez **CASTERMAN, 66, rue Bonaparte, Paris VIe**. Prix : 6 fr. 50 par an, pour toute l'Union postale.

QUAESITA VARIA

I. De vacatione beneficiorum propter simplicem professionem

Titius, sacerdos et beneficiatus curatus, Ordinem religiosum est ingressus ubi, ex privilegio speciali, Superiores possunt ultra tres vel quinque annos sollemnem differre professionem. Eamque iam diu nostro Titio dilata est. Hinc, ceteri beneficiati rogare coeperunt Episcopum ut beneficium vacare declararet, dum regulares contendebant beneficium pro vacante minime haberi posse.

R. Recte quidem senserunt Regulares. Receptum enim est beneficia simplici Regularium professione non vacare, quamvis, ex recentiore iure, ob perpetuam professionem Instituti votorum simplicium, vacent beneficia *residentialia*, minime tamen alia. Cfr. resp. S. C. Ep. et Reg. 3 maii 1839 et 25 aug. 1903. (*De Religiosis Institutis*, etc. t. 2, n. **198**, p. 400, n. **165**ter, p. 189.)

Nec obstat diuturnum spatium. Quamvis enim in Societate Iesu sollemnis professio diu differatur, BENEDICTUS XIV, litt. *Ex quo dilectus*, 14 ian 1747, demonstrat votis simplicibus scholasticorum Societatis Iesu nullam induci Beneficiorum vacationem [1]. Quamquam ipsi ex decreto Congregationis Generalis V, can. 19, beneficio renuntiare iubentur.

Sed cum, secluso speciali privilegio, renuntiationes istae fieri nequeant nisi duobus mensibus ante sollemnem Professionem, erit, in causa praesenti, ad ipsam S. Sedem recurrendum, ut dictus religiosus beneficium dimittere possit.

Cfr. casum istum pariter solutum in EL ARCHIVO RELIGIOSO HOSPITALARIO, 1909, p. 343. 344. De vacatione beneficii in Inst. vot. simpl. cfr. causam Pineriolen. THESAUR. RESOL. CONGR. CONC. 1833, p. 432 et 449 ; et MONITORE ECCLESIASTICO, t. 11 (1899), p. 173.

---

1 *De Religiosis Institutis*, etc. t. 2, n. **21**, p. 85.

II. De Ordinatione alumni regularis ante sollemnem professionem, vel alumni votorum simplicium ante tres annos a prima votorum nuncupatione

Ad ea quae supra, p. (15) de ordinatione regularis ante sollemnem professionem disputavimus, opponi potest difficultas profecto non spernenda, cum ex ipso stylo S. Congr. Episcoporum et Regularium sit collecta. Non semel enim Congregatio ista usum tituli patrimonii religiosis vel regularibus, post D. *Auctis admodum*, negandum duxit.

Verum istud considerandum venit, utrum necne, in praefatis casibus, cautio de consensu Episcopi proprii fuerit adhibita. In praesenti enim iuris oeconomia, religiosus vel regularis, peracto noviciatu, novae trium annorum probationi, sive per vota simplicia ante sollemnia, sive per vota temporaria ante perpetua, subicitur. Quare satis aperta ipsi manere debet via vel dispensationis vel dimissionis. Simul tamen eidem praesenti disciplinae repugnat ut religiosus in sacris ordinatus discedat non reperto episcopo benevolo receptore. Praeterea, religiosus nullum regulariter incommodum ex postposita, post sollemnia vel perpetua vota, ordinatione sufferre debet. Iam enim erit sollemniter professus vel perpetua fecerit vota, cum necessarium studiorum curriculum perfecerit.

Verum si Episcopus, suo assensu virtualiter spondeat fore ut discedentem religiosum recipiat in suam dioecesim, quodnam ius, quaenam iuris ratio obstat quominus alio legitimo titulo beneficii vel patrimonii sacrum ordinem recipiat qui omnibus aliis condicionibus satisfecit? Dicesne dedecere ut religiosus saeculari utatur titulo? At nonne ex ipsa iuris dispositione beneficiatus qui Institutum religiosum ingreditur, beneficium suum usque ad vota perpetua vel sollemnia servare potest et debet? Itaque nullum ius obstat. Maxima autem aequitatis ratione suadetur ut istiusmodi ordinatio pro legitima habeatur. Et re quidem vera, casum contemplemur qui solvendi dubii occasionem praebuit. Titius quidam, dioecesanum seminarium ingressus, ibi, peractis iam duobus theologicorum studiorum annis, subdiaconus factus erat. Deinde, studio vitae perfectioris in monasterium se contulit. Absoluto, post noviciatum, tertio theo-

logiae anno, cum sibi titulus maneret quo subdiaconus ordinatus fuerat, diaconatu et sacerdotio augeri cupivit. Si saecularis mansisset, iam ab anno, ut quod minimum est dicamus, utroque ordine esset insignitus. Ipse Episcopus promotionem sponte admittebat. Quam itaque ob causam negaretur ipsi normalis ille ad superiorem ordinem ascensus? Ut optimi seminaristae ab amplectenda vita religiosa deterreantur? Et sic, sine expressa lege, sine iuridica utilitate, inducatur, contra vitam regularem, temporalis irregularitas trium annorum? Huiusmodi sanctionem osores non autem amici vitae religiosae, suis votis expetere possunt.

Haec, cum iam nova Congregatio fatis religiosorum praesit facilius scribimus, et sapientiorum iudicio commendata velimus.

III. De parvo Monialium a Visitatione officio

Quanam obligatione debent moniales a Visitatione, in regionibus ubi sollemnia vota emittunt [1], sive in choro sive privatim recitare parvum Officium B. M. V. quod, pro magno Officio, Constitutionibus S. Francisci Salesii recitandum praecipitur?

R. Moniales votorum sollemnium, communi iure, magnum Officium in choro psallere debent, atque, ut habet communis sententia, absentes a choro officium privatim recitare iubentur. Utraque autem obligatio gravis perhibetur. Moniales sumas quae choro sunt addictae.

Sublata votorum sollemnitate, aufertur obligatio iuris communis, ita ut ea tantum maneat quam constitutiones induxerint. Cfr. respons. S. C. Ep et Regul. 19 april. 1844, et 26 nov. 1852. (*De Religiosis Institutis*, etc. t. 2, n. **96** et **98**, p. 238. 239.)

Quid autem si, ex privilegio, Monialibus sollemniter professis non imponatur nisi parvum Officium B. M. V.? Consuetudo gravem fecit obligationem Officii divini, nulla autem imponit parvum Officium B. M. V. Restat

---

[1] Sicut nuper accepimus, praeter quattuor monasteria (Georgestorense, Mobile, S. Aloysii et Baltimorense) quae *De Religiosis* t. 1, n. **86**, diximus in Statibus Foederatis Americae votis frui sollemnibus, quintum addendum est, in loco Springfield, Missourien. cui ex rescripto 3 dec. 1888 sollemnia vota indulta sunt.

itaque ut ad monumenta recurramus quae parvum officium recitare iubent. Quae si sileant, de obligationis natura consulenda erit ratio qua ceterae monumenti partes sunt praeceptivae.

Parvum autem Officium Monialibus a Visitatione recitandum praecipitur propriis Instituti Constitutionibus. Constitutiones autem S. Francisci Salesii obligationem sub peccato, — si vota demas, — nullam imponunt. Dicemus itaque hic perinde valere quod, 14 iun. 1836, S. C. Ep. et Reg. pronuntiavit de Monialibus S. Ursulae. « In Constitutione Pauli V, *In universa opera*, pro erectione monasteriorum sub nuncupatione S. Ursulae et regula S. Augustini, edita 10 april. 1669, inter cotidianas pietatis exercitationes, commemoratam quidem fuisse quod ad Matres, recitationem Officii parvi B. M. Virginis, sed fuisse pariter declaratum, nihil horum, praeter vota, obligare ad peccatum vigore Instituti aut Praecepti : Moniales tamen excitandas ad ea omnia diligentissime et perfectissime observanda, amore Dei et professionis studio. » Cfr. Bizzarri, Collectanea, 1 ed. p. 77. 78.

Ceterum, de eodem Officio parvo B. M. V. est in dicta causa Cenomanen. 19 april. 1844 universaliter observatum, novis votorum simplicium Institutis recitationem B. M. V. esse a S. Congregatione plerumque praescriptam, « at sine ulla gravi obligatione, cum passim declaratum sit regulas huiusmodi Institutorum obligare sub culpa in his dumtaxat quae vota respiciunt vel lege divina seu ecclesiastica praecepta sunt. » (Bizzarri, op. c. p. 547.)

Quibus vel exemplis vel rationibus nostra responsio confirmatur.

IV. De communi monasterii possessione

Inter locos ex quibus arguere consueverunt fautores istius placiti quo possessio bonorum communium subiecto quod *ficticium* dicitur *vere* adiudicatur, haec verba memoranda sunt Innocentii IV in c. Praesentium, 57. De testibus et attestationibus (II, 20) : « Cum collegium, in causa universitatis fingatur una persona.... » Quaeritur iam quomodo verba ista cum Supplemento VI t. 2 *De Religiosis Institutis et Personis,* componi

possint, cum iis praecipue quae p. 99 habentur : « Canonistae classici ea proferunt quae alias personas praeter physicas excludere videntur. »

R. Decretum istud paucis verbis exponere iuvabit. Observes, in corpore iuris titulum 20 libri 2 Decretalium 56 tantum constare capitibus ; sed quod 57um traditur in opere Innocentii IV. est in corpore iuris cap. 2, t. 10, l. 2, in 6 Iam nos monuit IOANNES ANDREAE decretalem istam, quae est Gregorii IX, suo loco excidisse.

Porro, ex ipsa facti specie quae decretali nostra attingitur, haec ad rationes nostras facilius capiendas utilia esse possunt :

Exorta lite inter duos conventus de subiectione cuiusdam prioratus, Pontifex mandat archiepiscopo Rothomagensi [1] quo genere probationis causa enodanda sit. Praescribit autem a) iuramentum de veritate dicenda, quod ambo superiores emittant « nomine suo et in animas conventuum eorundem, vel maioris et sanioris partis ipsorum » ; b) mutuas partium responsiones de singulis positionum articulis ; c) interrogationem syndici utriusque partis ; d) examen testium quos produxerint vel prior et conventus unus vel abbas et conventus alter; e) iuramentum a procuratore abbatis et conventus.

Quod nunc ad ipsam motam difficultatem attinet,

1. Eo quod quis dixerit « Collegium fingitur persona », minime nobis adversatur, nisi praeterea personam istam ut *verum* et *distinctum* iuris subiectum perhibeat.

Quare definitio a nobis retineri potest, qua collegium describitur societas quaedam hominum ita contracta ut ex pluribus personis veluti una persona et unum corpus fiat ; et dicta a CALVINO (*Lexicon*, voce *Universitas*) probamus : « Collegium personam quandam esse imaginamur, ex pluribus personis conflatam. » Et quae pertinent ad collegium ad socios non pertinent ut singulos, sed ut universos. Id autem negamus, in iure canonico vel romano agnosci societatem personarum quae ex lege habeat ut erigatur in personam distinctam a sociis universim sumptis. Quare CALVINUS, l. c. personam istam, quam *imaginamur*, conflatam dicit ex pluribus personis, statimque collegia dividit in licita

1 *Corpus iuris can.* Richter-Friedberg, in h. c.

seu lege permissa, et in illicita, ita ut ignorare videatur sodalicia quae, deficiente creatione legali, non fingantur personae, quamvis exsistant.

2. Sed ne hoc quidem habet INNOCENTIUS IV. Eius intentio in *numerum* non in verbum *persona* potissimum cadit. Quaerit si quidem quomodo Pontifex permittat ut per unum procuratorem abbas et conventus iurare possint, et respondit hoc ideo permitti quia collegium fingitur *una* esse persona. Ut hoc perspiciatur, satis est pauca INNOCENTII IV verba addere : « cum collegium in causa universitatis fingatur *una* persona, dignum est quod per unum iurent. »

3. Contexta autem oratione, INNOCENTIUS IV positionem adversariorum excludit.

a) Addit enim « licet per se iurare possint. » Iidem itaque per procuratorem iurant qui per se iurare possunt. Procurator igitur non subiectum quodpiam ficticium, sed personas quibus collegium concrescit, repraesentat. Ceterum, si pro uno ente ficticio ageret, eius *unitas* nullam difficultatem faceret.

b) Dum explicat cur decretalis in initio dicat causam agi inter *abbatem et conventum* S. Nicolai, ex una parte, et *priorem et conventum* de Paldigen. quasi abbas et prior a conventibus distinguantur, INNOCENTIUS IV observat abbatem et priorem, quamvis considerari possint ut quidam de conventu, qua ministri distingui quia negotia conventus administrant, non autem istorum negotiorum sunt domini. « Sed, sic pergit, pro conventibus et contra conventus in quibus comprehenduntur etiam ministri agitur proprio nomine, *quia ipsi domini sunt.* »

Conventus autem non est ficticium quodpiam ens. Singuli enim monachi dicuntur eius partes ; plerique monachi dicuntur maior eius pars ; ergo et monachi omnes omnem faciunt conventum, nisi velis partes non per se sed per formam a se distinctam efficere totum. Quin immo, Innocentius optionem linquit conventui ut agat per se vel per procuratorem. Si agit per se, omnes et singuli monachi nomine suo comparent. Ideo, sicut ipse observat, possunt v. gr. iurare per unum procuratorem « etiam propter facilitatem ponendi et respondendi, alias enim quilibet per se in animam suam iurare debet. » Nec alia desunt quae manifesto prodant

INNOCENTIUM esse a positione adversariorum valde alienum.

c) Ipsa decretalis, dum praecipit ut abbas et prior iurent nomine suo « et in animas conventuum eorundem » ex nostra sententia loquitur. Quid enim esset *anima* ista personae ficticiae ?

V. De noviciatu Fratrum vel Sororum

Proposita dubia ad tria capita pertinent, de quibus separatim dicemus.

1. *De noviciatus necessitate.* Bertha et Camilla, quae conventum quempiam Galliae ingressae erant ut probarentur tamquam *conversae*, post aliquot menses monitae sunt se non futuras esse nisi ianitrices (*tourières*), quae in praefato conventu, annua tantum vota faciunt, eaque *interiora*. Expedire enim ut exterioribus operibus libere vacare possint.

Mutatis autem vicibus, postquam a decem vel viginti annis extra Galliam communitas sedem posuit, Superiorissa velit fidelitatem Berthae et Camillae agnoscere utramque in conversas sorores cooptando.

Quaeritur iam utrum noviciatus sit votis praeponendus, an statim professio ipsis permitti possit.

R. Aeque necessarius est noviciatus ac si nunc ambae in conventum recipiantur. Fuit quidem inchoatus noviciatus dum limen intrarunt, sed post aliquot menses est formali intentionis retractatione interruptus. Neque etiam intra clausuram sicut ceterae noviciae sunt conclusae. Pro adiunctis, S. Sedes dispensationem concedere potest.

2. *De noviciatus regimine.* In domo quadam generalicia Sororum, erectus est noviciatus. **Quaeritur** iam :

1. Sintne noviciae et postulantes moderatrici locali subiectae annon.

2. Sitne magistra noviciarum moderatrici locali an generali subordinata.

3. Habeatne magistra noviciarum « praecedentiam » prae moderatrice locali, an contra.

4. Sitne magistra postulantium, quae alia sit a magistra noviciarum, huic iure aequiperanda.

R. Ad 1. *Noviciae* plerumque *mediate* moderatrici

locali, *immediate* vero magistrae noviciarum subiectae sunt, quatenus moderatrix sua, quam habet tamen, auctoritate exercenda, plerumque abstinere debet.

De *postulantibus* nihil in iure statutum est. Videantur itaque inducti usus. Si autem, ut fere fit, magistrae noviciarum regendae committantur, suadendum est ut in simili noviciarum condicione versentur.

Facilius tamen ratio aderit exceptionis, ob quam moderatrix localis de postulantibus quaedam habeat sive inquirenda sive disponenda.

Ad 2. Utrique per se subest. Sed moderatrix magistram in suo munere obeundo impedire nequit.

Ad 3. Profecto moderatrix localis prior incedere debet.

Ad 4. Provisum in praecedentibus.

3. In Instituto votorum simplicium, quod Romae approbatum est, tamquam novicii cooptati sunt quidam candidati qui legitimis natalibus carebant vel ultra 30 annos erant nati : quae ambo sunt impedimenta ingressus.

Mens autem fuit ut dispensatio a S. Sede ante vota peteretur.

Quaeritur utrum necne recta sit haec agendi ratio, et validum fecerint noviciatum.

R. *Per se negative*. In ipsis Normis enim, impedimenta haec dicuntur ipsi admissioni, non mere votis, obstare. Ac probe intellegitur nolle S. Sedem ut sine sua auctoritate inter novicios instituantur quos iudicavit per se Instituto arcendos. Id enim et aliis noviciis nocere potest, et causam dispensationis integram esse non sinit, cum ex bene facta probatione novicii, si aequitatis rationes audias, professionem fere ut ius suum postulare possint. Ceterum, simili ratione pro nullis habentur sponsalia inter personas impeditas etiamsi facta sint ut sponsi ante matrimonium dispensationem impetrent.

Quare ipse noviciatus a S. Sede sanandus erit.

MONUMENTA

367. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 2 FEBR. 1909

Specialis Congregatio ex religiosis Missionariis « Mariannhill » instituitur

Abbatiae Mariannhill origo, laus et difficilis condicio.

Inter monasticae familiae filios, qui, avitae traditionis aemuli, « lumen ad revelationem gentium » in dissitis plagis verbo et exemplo diffundere student, haud ultimum sane locum tenent, nec minimam merentur laudem, illi Cistercienses reformati qui, relicto coenobio de *Mariastern*, in Bosnia sito, duce Rev. Francisco Pfanner, in Africa meridionali, abbatiam de *Mariannhill*, anno 1882, condidere : indeque vastissimam regionem Natalensem, expanso veluti viginti stationum rete, complexi sunt. At difficultates non leves suscitavit haec ipsa diffusio, utpote quam cum strictiori monastica disciplina, qualis apud Cistercienses reformatos propria viget, vix sociabilem, experientia visa est ostendere. Quare, utrimque rogantibus, tum R^mo^ P. Abbate generali laudati Ordinis, tum monachis de *Mariannhill*, ut peculiari deinceps ratione regerentur, S. Congregatio negociis religiosorum Sodalium praeposita, approbante SS^mo^ Domino nostro Pio divina providentia PP. X, sequentia decrevit :

Hinc speciale regimen religiosis praescribitur

I. Separantur a Cisterciensibus. Professi sollemnia servant vota. Norma vivendi confirmatur. Quo ritu uti debeant.

I. Inter Ordinem Cisterciensium reformatorum et Religiosos missionarios de *Mariannhill* (hoc nomine deinceps appellandos) absoluta sit divisio, ita tamen, ut qui apud Cistercienses vota emiserunt sollemnia, eadem servent, atque privilegiis personalibus, huiusmodi professioni annexis, ad dies vitae fruantur. Insuper Regulae norma, nunc temporis apud *Mariannhill* vigens, ab omnibus usu teneatur, nisi aliter praesenti decreto statuatur. Sacram liturgiam, de licentia R^mi^ Abbatis generalis Ordinis Cisterciensium reformatorum, iuxta ritum Cisterciensium missionarii exerceant, saltem usque ad Capitulum generale, elapso triennio celebrandum. In administrandis vero Sacramentis, praesertim in stationibus missionum, Rituali utantur romano.

II. III. Exemptio. Nomen ac iura Praepositi, eiusque constitutio.

II. Ecclesia *Mariannhill* erigatur in ecclesiam collegialem, cuius titularis, Praepositus nomine, sit caput communitatis Religiosorum, ab Ordinarii iurisdictione exemptae, gaudeatque, ut Praelatus, pontificalium usu, exclusis tamen Ordinum minorum collatione, et privilegiis specialibus eiusdem rationis.

III. Praepositum omnes Religiosi in Sacris constituti, votorum numero absolute maiori, ad diem vitae eligant, excepto primo, a

Sede Apostolica ad nutum nominando. Sodales omnes, sive apud *Mariannhill* degentes, sive per missionum stationes dispersos, Praepositus paterne regat ; omnes officiales communitatis atque stationum superiores, de Decanorum consilio, nominet ; Capitulo plenario praesit ; stationes singulis trienniis ordinarie, extraordinarie vero pro opportunitate, vel visitet ipse, vel ab uno e Decanis visitandas curet.

IV. Administratio temporalis.

IV. Reditus et fructus rei familiaris una cum Cellerario administret, ea tamen lege ut, praeter solas necessitates, de summa maiore mille libellis italicis, sive quadraginta sterlingis, motu proprio disponere non possit ; sed indigeat consilio Decanorum, quorum voto astringatur, si de summa agatur quinque millia libellarum excedente. Fundus autem instructus et quaecumque ad fundationem pertinent nullatenus alienentur, nisi de Capituli plenarii consensu, atque Sedis Apostolicae licentia.

V. Duplex religiosorum ordo. Ratio votorum. Dimissio. Chorus.

V. Collegium universum Religiosorum missionariorum de *Mariannhill* duplici parte constet : altera sacerdotum atque ad sacerdotium aspirantium, altera conversorum. Omnes sodales vota emittant simplicia. Qui ad priorem partem pertinent, expleto noviciatus anno, vota emittant triennalia, dein perpetua. Conversi, duorum annorum emenso stadio, quorum saltem alter est apud *Mariannhill* transigendus, vota ad quinquennium, dein perpetua emittant. Noviciatus communis sit unicus, apud *Mariannhill* erectus. Ad vota temporalia admittet, voto decisivo, Praepositus cum Decanis, a quibus vota temporalia per dimissionem solvi possunt ; perpetua vero non nisi a Sede Apostolica. Officio integro cotidie in choro publice persolvendo non teneantur nisi sacerdotes degentes apud *Mariannhill*, qui illud ea decentia persolvendum curent, qualem ecclesiam collegialem huiusmodi decet.

VI. Duplex Consilium. Capitulum plenarium.

VI. Praepositi consilium esto duplex : alterum minus, Decanis constans ; alterum maius, omnes professos in sacris constitutos complectens. Decanorum Consilium sex membra habeat : de iure Priorem et Cellerarium, a Praeposito nominandos ; electione quattuor alios, a Praeposito duos, a plenario Capitulo duos, designandos. Qui Decani gaudeant voto consultivo, excepto casu superius expresso, quo ius habent emittendi votum decisivum. Capitulum generale, seu plenarium, quot annis saltem a Praeposito apud *Mariannhill* convocandum, omnibus coalescat professis, in sacris constitutis. Si quis, ne intersit, impediatur, scripto sese excuset. In deliberationem adducantur, quae a Praeposito, de consilio Decanorum, tractanda videntur, vel quae de iure ecclesiastico ad Regularium capitulum spectant, uti admissio ad emittenda vota perpetua, alienatio fundorum, cooptatio Decanorum, et hisce similia.

VII. Studia.

VII. Studia apud *Mariannhill* instituantur philosophica et theologica, iuxta normas a Sede Apostolica sancitas.

Visitator apostolicus constituitur. Eius munus.

Ill^mus^ et R^mus^ D. Gulielmus Miller, Episcopus Eumenensis, et Vicarius Apostolicus regionis vulgo dictae de *Transvaal*, qui tanta benevolentia iam Missionariorum coetui praefuit, novo Instituto adsit Visitator Apostolicus. Cogat Missionariorum coetum, praesens decretum legat atque illustret ; R^mum^ D. Gerardum Wolpert, primum Praepositum ad nutum Apostolicae Sedis nominet. Elapso triennio, Capitulum plenarium iterum convocet, cuius erit novas conficere constitutiones, supradictis normis accommo-

datas, nec non regulas sacerdotibus, qui apud stationes degunt; opportunas sancire. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, in festo Purificationis B. M. V., anno 1909. *Dies (2 febr. 1909).*

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus.*

D. L. Ianssens, O. S. B. Secretarius.

---

368. — S. C. PROPAGANDAE FIDEI

LITTERAE Emi CARD. PRAEFECTI, 20 MART. 1909

De temporalibus missionum bonis

Dubium primum. — In epistola diei 5 februarii 1894 Em. Cardinalis Praefecti legitur nº 1 partis 2 : « Circa alterum controversiae caput, scilicet circa bona temporalia, duplex, in primis, facienda est distinctio : alia sunt bona missionis, alia sunt bona Congregationis. Quod ad prima tum proprietas tum administratio Vicario Apostolico spectat ; quod ad secunda e contra Superioribus regularibus. » **Dubia.** *De varia bonorum ratione.*

Iam vero, iuxta Constitutionem Leoninam, triplex est categoria bonorum diverso regimini subditorum. Sunt in primis bona Ordinario vel Vicario Apostolico pleno iure collata, quorum ipse tum proprietatem, tum administrationem, servatis servandis, plene retinet ; sunt deinde bona regularibus qua talibus collata, quorum proprietas et administratio penes regulares residet, ita quidem ut neque rationes exigere de iis valeat Vic. Apostolicus. Sunt tandem bona intuitu missionum collata et missionariis regularibus concredita, quorum bonorum proprietas, iuxta regulas Concilii Westmonasteriensis 2 a Leone XIII probatas, non pertinet ad regulares, quamvis regulares haec bona administrent, sed cum obligatione reddendi rationes Ordinario vel Vicario Apostolico, « aeque ac parochi cleri saecularis. » Unde, praeter duas categorias bonorum quas agnoscit Epist. Em. Cardinalis Praefecti, videtur admittenda tertia categoria, bonorum scilicet a regularibus detentorum et quorum habent administrationem cum obligatione rationes reddendi Vicario Apostolico.

Quaero igitur utrum disciplina in Constitutione « *Romanos Pontifices* » sit simpliciter retinenda, aut ob laudatam Epistolam eidem fuerit derogatum. Et quatenus affirmative ad ultimum, quomodo haec derogatio sit retinenda ?

Dubium secundum. — Alia subdubitandi ratio est orta ex norma sequenti quam dat Ep. Card. Praef. nº 2 : « Congregationi pertinent quaevis dona et oblationes quae *expresse* vel personae religiosae vel eidem congregationi dantur, missioni e contra uti datum habebitur quicquid *non explicite* personae religiosae vel congregationi donetur. *De bonis quae ab Instituto possideantur vel non.*

Quae si ad tramites Constitutionis Leonianae et regularum Concilii West. 2 interpretari debent, sequentem sensum habere videntur : Bona quaecumque Regularibus qua talibus vel Congregationi expresse tributa, sunt proprietas Regularium et ab iis administren-

tur, excluso etiam iure Vicarii Apostolici rationem gestionis exigendi. Sed e contra, bona Regularibus tributa sed non qua talibus, sunt habenda tamquam data intuitu Missionum et consequenter pertinent ad missiones, et de his bonis Regulares Missionarii rationes reddere tenentur Vicario Apostolico... Haec interpretatio, mihi verior, attentis « expresse et explicite », quae sensum aliquem habere debent, non omnibus placet. Nec desunt qui opinantur oblationes omnes factas regularibus etiam intuitu missionis, fieri proprietatem Congregationis et bona missionis ea esse quae non regularibus sed ipso Vicario Apostolico dantur.

Quanti momenti sit solutio huius quaestionis statim apparebit. Nam Status Independens Congi olim concessit diversa territoria pro missionibus inter nigritas stabiliendis. Cum Vicariatus Apostolicus personalitate iuridica non gaudeat, gaudeat vero Congregatio, haec omnia bona, non exclusa residentia ipsius Vicarii Apostolici, inscripta sunt sub nomine Congregationis, quamvis indubium sit Statum noluisse facere donationem Regularibus, qua talibus vel Congregationi, sed respexisse ad missiones de facto Regularibus concreditas.

An ista territoria omnia sunt dicenda proprietas Congregationis? Item dona pecuniae, exceptis admodum paucis, quae fideles Belgii pro missionibus destinant, nec non subsidia Gubernii Congi, Congregationi committuntur. An ista pecunia et bona mobilia et immobilia ex ea in missionibus comparata, sint proprietas Congregationis?

Peto igitur, utrum stante Const. « *Rom. Pont.* » et Epistol. Cardin. Praef., interpretatio quam veriorem habeo sit retinenda, necne?

De iuridicis relationibus inter Vic. Apostolicum et Rectores missionum religiosarum.

Tertium dubium respicit iuridicas quae exsistunt relationes inter Vicar. Apostolicum et Rectores Missionarios quod ad eorum bonorum administrationem intuitu missionum datorum. Nemo sane negat Vicario Apostolico, ad tramites constitutionis « *Romanos Pontifices* », horum bonorum annuam rationem esse exhibendam, ac proinde aliquam tutelam exercendam esse a Vicario Apostolico super dicta bona. Verum difficultas oritur in definiendis indole et ambitu huius tutelae. Non desunt qui tenent Vicarii Apostolici legitimum interventum ita limitari ut a missionariis quidem edoceantur de pecunia intuitu missionum collata et de modo quo eadem impensa fuerit, sed ulterius nullum ius habeat. Quae interpretatio, si vera dicenda est, administrationem Vicarii Apostolici qui dicitur caput missionis ad nihilum fere redigit, cum maxima pars bonorum temporalium Regularibus committantur, utut intuitu missionis. Praeterea, dicta interpretatio non videtur quadrare cum principiis a D. D. communissime admissis in dicta materia, neque cum responsis Sedis Apostol. vg. 13 ianuar. 1794, 1 april. — 1816, 24 aug.) quibus consonant decreta Concilii Baltimor. III et Concil. plen. Americae latinae 1900.

Dies (20 mart. 1909).

Roma, 20 marzo 1909.

Oggetto

Dubbi sui beni della Congregazione e del Vicariato.

Ill^me^ ac R^me^ Domine,

Responsum quo ad C.« Romanos Pontifices » reicimur.

Litteras Amplitudinis Tuae datas die 23 superioris mensis februarii mature perlegi ac dubia perpendi circa bona temporalia Congregationis istius respective et tui Vicariatus.

Porro ambiguitatis caput in eo residet, quod vobis videtur explicationes in epistola huius S. Congregationis diei 5 februarii 1894 contentas non ad amussim concordare cum doctrina Constitutionis « *Romanos Pontifices* » ; ideoque dubitatis, ne forte huic aliquantulum per illam derogatum fuerit. Sed satago Amplitudinem Tuam certiorem facere, in praefata epistola S. Congregationis, quamvis aliis verbis eodem nihilo minus sensu doctrinam Constitutionis referri ; quam ob rem nulla adest ratio de re quam Amplitudo Tua exposuit dubitandi.

Interim, etc.

Fr. H. M. Card. Gotti.

Annotatio

Litteras istas, quamvis nullam directam responsionem contineant, hoc loco damus, quia difficultates illustrant quae in missionibus occurrunt et mentem patefaciunt S. Congregationis ut ad normas C. *Romanos Pontifices* [1] omnia in missionibus componantur. Insinuant porro litteras prius ab E^mo^ Cardinali missas, quibus varia dubia solvebantur.

---

369. — S. PAENITENTIARIAE

DECLARATIO [2] *EX AUD. SS^mi^ 20 AUG. 1909*

De lege promiscuos cibos vetante diebus ieiunii

Episcopus Gerundensis, in Hispania, relatis variis responsis Paenitentiariae, 28 feb. 1826 (apud scriptores, 8 feb. 1828), (2 maii 1839, 28 febr. 1855 et 28 febr. 1856) quibus permittebatur ut, diebus ieiunii, in eadem comestione usus fieret pulmenti carnis iure cocti et piscium, atque recitata opinione, secundum quam liceret etiam iusculum piscium carnibus in mensa coniungere, de generali vi istius facultatis has fecit interrogationes et hoc responsum obtinuit :

Quaeritur *de valore responsi S. Paenitentiariae pro Hispania ;*

I. An responsum Sacrae Paenitentiariae sub die 28 februarii 1826, quo fas est gaudenti indulto carnium diebus ieiunii vesci in eadem comestione pulmento carnis iure cocto et de cetero vesci piscibus, et iuxta opiniones auctorum, vesci carnibus in eadem comestione simul cum iusculo piscium, etiam valeat pro fidelibus Regni Hispaniae ubi haec consuetudo non viget ?

Et quatenus *Affirmative ;*

et pro opificibus et pauperibus Hispaniae.

II. Opifices et pauperes qui in Hispania ex concessione Apostolica aequiperantur indultariis ad edendas carnes in diebus ieiunii, dummodo substituant indultum carnium recitando orationem dominicalem quotiescumque utantur tali gratia, an possint considerari tamquam indultarii ad effectus quaesiti praecedentis ?

Et Deus, etc.

---

[1] Cfr. tom. nostrum 2, *De religiosis institutis et personis*, n. **277**.

[2] Boletin oficial eclesiastico del obispado de Gerona, 29 septiembre 1909, vel El archivo religioso hospitalario, ian. 1910.

Aud. SSi 20 aug. **Responsum.** *Dies (23 aug. 1909).*

In audientia SS^mi diei 20 augusti currentis anni, relatis suprascriptis dubiis ab infrascripto Sacrae Paenitentiariae Regente, Sanctitas Sua rescribi mandavit: enuntiatam commixtionem permitti, contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae in S. Paenitentiaria die 23 augusti 1909.

O. Giorgi, S. P. Reg.
A. Cavarri, S. P. Subst.

ANNOTATIO

Observes hoc loco de sola lege agi qua, diebus ieiunii, carnes et pisces simul apponi prohibentur (exceptis qui propter infirmitatem a lege abstinentiae excusantur). Utilitas factae declarationis huc spectat, ut iam constet nusquam legem istam violari qualitate liquidi iusculi seu ptisanarii *(la soupe)*, sive ex carnibus sive ex piscibus istud confectum sit.

---

370. — SS. D. N. PII PP. X ET S. RITUUM C.

INDULTUM 7 DEC. 1909 ET FORMULAE

De benedicendis numismatibus quae pro scapularibus gestari possunt

A. *Indultum SS. D. N. Pii Pp. X 7 dec. 1909*

Beatissime Pater,

Orator. Florentinus Mortier, Superior Generalis Missionum Belgarum (Scheut), ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus enixe postulat:

Petitio. Facultatem benedicendi Sacra Numismata [1] iisque applicandi indulgentias omnium Scapulariorum (non vero cuiuscumque Tertii Ordinis) secundum normas a Sanctitate Vestra impositas; subdelegandi eandem facultatem, in locis missionum, Superioribus provincialibus localibus prout iudicaverit utile ad diffusionem horum pretiosorum numismatum.

Gratia. *Dies (7 dec. 1909).* Ex Aedibus Vaticanis, die 7 decembris 1909. SS^mus D^nus benigne annuit pro gratia secundum preces.

Ioannes Bressan
ab Int^o Sec. S. S.

ANNOTATIONES

1. Interposita verba « non vero cuiuscumque Tertii Ordinis », satis demonstrant, quod aliunde etiam novimus, numismata ista pro scapularibus quidem proprie dictis, non autem pro iis quae habitum Tertii Ordinis efficiunt, gestari utiliter posse.

---

[1] De Numismatibus istis cfr. PERIODICA, t. IV, p. 348-350.

2. Verba *Superioribus provincialibus localibus*, omissa copula *et*, ea caligine sunt obducta quam declaratio S. Sedis sola discutere queat. Ut tamen sententiam nostram modeste aperiamus, designari hic videntur superiores provinciales missionum. Quamvis parum consueta sit haec appellandi ratio, suademur tamen vicinis verbis : *in locis missionum*, ut vox adiectiva *localibus* tantum valeat quantum haec : *provinciales istorum locorum.*

B. *Formulae S. Rituum Congregationis*

Formula pro Episcopis. **Supplex libellus.**

Beatissime Pater. — N. N.... ad pedes S. V. humillime provolutus, implorat facultatem benedicendi sacra Numismata, quae Beatae Mariae Virginis Imaginem praeseferant, substituenda uni vel pluribus e quinque Scapularibus, nempe S^mae Trinitatis, Passionis D. N. I. C., et Beatae Mariae Virginis sub respectivo titulo Immaculatae Conceptionis, Septem Dolorum et Montis Carmeli, ac gestanda a fidelibus, qui maluerint, rite pridem ascriptis : facta quoque potestate ad hoc subdelegandi.

Et Deus, etc.

Gratia.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Pp. X tributis, R^mo Oratori benigne ad proximum quinquennium potestatem fecit benedicendi unico signo Crucis Numismata B. M. V., iuxta preces Scapularibus substituenda, absque ullo Indulgentiarum et privilegiorum, quibus respective ascripti fideles perfruuntur, detrimento : indulta etiam facultate ad hoc subdelegandi suum Vicarium Generalem, Dignitates et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, Vicarios Foraneos, pro tempore quo R^mi Oratoris subdelegantis potestas perduret. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die ....

Formula pro Superiore Generali. **Petitio.**

Beatissime Pater. — N. N.... ad pedes S. V. humillime provolutus, implorat facultatem benedicendi sacra Numismata, quae Beatae Mariae Virginis Imaginem praeseferant, substituenda uni vel pluribus e quinque Scapularibus, nempe S^mae Trinitatis, Passionis D. N. I. C., et Beatae Mariae Virginis sub respectivo titulo Immaculatae Conceptionis, Septem Dolorum et Montis Carmeli, ac gestanda a fidelibus, qui maluerint, rite pridem ascriptis : facta quoque potestate ad hoc subdelegandi.

Et Deus, etc.

Gratia.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro.... tributis, R^mo Oratori benigne ad proximum quinquennium potestatem fecit benedicendi unico signo Crucis Numismata B. M. V., iuxta preces Scapularibus substituenda, absque ullo Indulgentiarum et privilegiorum, quibus respective adscripti fideles perfruuntur, detrimento : indulta etiam facultate ad hoc subdelegandi Moderatores uniuscuiusque Provinciae, aut Domus Religiosae, pro tempore quo R^mi Oratoris subdelegantis potestas perduret. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die ....

Formula pro sacerdotibus. **Petitio.**

Beatissime Pater. — N. N.... ad pedes S. V. humillime provolutus, implorat facultatem benedicendi sacra Numismata, quae Beatae Mariae Virginis Imaginem praeseferant, substituenda uni vel pluribus e quinque Scapularibus, nempe S^mae Trinitatis, Passionis D. N. I. C., et Beatae Mariae Virginis sub respectivo titulo Im-

maculatae Conceptionis, Septem Dolorum et Montis Carmeli, ac gestanda a fidelibus, qui maluerint, rite pridem ascriptis.

Gratia. Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro.... tributis, R. Oratori benigne ad proximum quinquennium potestatem fecit benedicendi unico signo Crucis Numismata B. M. V., iuxta preces Scapularibus substituenda, absque ullo Indulgentiarum et privilegiorum, quibus respective ascripti fideles perfruuntur, detrimento. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die ....

ANNOTATIONES

1. Observes gratiam ita concedi ut manifestum fiat numismatibus non solas indulgentias sed etiam privilegia scapularium coniungi.

2. Minus ampla gratia per S. Rituum Congr. conceditur quam in supra recitato indulto. Temporalis est, et subdelegata facultas cum facultate delegantis necessario abit. Substitutio non indulgetur nisi quinque scapularium consultorum, et condicio additur ut numismata Virginis imaginem exhibeant. Quare distincta facultas pro aliis scapularibus impetranda erit. Cfr. Errata, p. 108.

---

371. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSA 9-10 DEC. 1909

De competentia in Romana Curia

A. *De auctoritate S. C. C. in confraternitates et pias Uniones religiosorum*

Dubium. Proposito dubio, « utrum competentia super confraternitates a Constitutione *Sapienti consilio* tributa Sacrae Congregationi Concilii se extendat quoque ad confraternitates et pias uniones quae dependent ab Ordinibus et Congregationibus religiosis, vel erectae sunt in eorum ecclesiis seu domibus ; an potius haec reservata sit Sacrae Congregationi de Religiosis » ;

Responsum *9 dec. 1909.* E^mi^ Patres S. Congregationis Consistorialis, praehabito Consultoris voto, in generalibus comitiis diei 9 decembris 1909 respondendum censuerunt : *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Approbatio SSmi. Dies (10 dec. 1909). Facta vero, die insequenti, de his relatione SS^mo^, Sanctitas sua resolutionem E^morum^ Patrum ratam habuit et confirmavit.

C. Card. DE LAI, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, Assessor.

B. *De auctoritate S. C. de Propaganda Fide in non nullas societates Missionum*

Dubium *in conventu 9 dec. 1909.* In generali conventu diei 9 decembris 1909 propositum fuit resolvendum sequens dubium : « utrum S. Congregatio de Propaganda Fide etiam post Constit. *Sapienti consilio* suam iurisdictionem exercere debeat super societates, sive Lugdunensem pro missionibus ad Afros, sive Parisiensem pro missionibus ad exteras

gentes, nec non super seminarium Mediolanense S. Caloceri seu Institutum Mediolanense pro exteris missionibus, denique super pontificium seminarium SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe ad exteras missiones, praesertim quod ad ea quae respiciunt eorum regulas, administrationem, atque opportunas concessiones ad sacram alumnorum ordinationem requisitas ».

Responsum.

Et E^mi^ Patres S. Congregationis Consistorialis, votis duorum Consultorum aliisque perpensis, responderunt : *Affirmative in omnibus.*

Approbatio SS^mi^ 10 dec. 1909.

Die vero 10 decembris 1909, facta de his relatione SS^mo^, Sanctitas sua resolutionem E^morum^ Patrum ratam habuit et confirmavit.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, Assessor.

Annotationes

1. Ratio prioris dubii ea erat, confraternitates et pias uniones quae Religiosis subduntur, ad Religiosos ita referri ut eorum negotia religiosorum esse et qua talia ad S. Religiosorum Congregationem pertinere videantur.

Nihilo minus, quia maximam partem laicis seu saecularibus constant, quia provincia sodalitatum et piarum unionum S. C^i^ Concilii assignatur, quia Constitutio *Sapienti* tertios Ordines saeculares C^i^ Religiosorum expressis verbis addicendos iudicavit, sapienter respondit S. C. Consistorialis causas confraternitatum e manibus S. C. Concilii non excidere quia a religiosis regantur vel in religiosorum ecclesiis sint erectae.

Quod tamen de ipsorum Sodaliciorum constitutione seu regimine intellegendum esse arbitramur. *Quid* autem si de ipso iure vel privilegio erigendi vel aggregandi vel moderandi Confraternitates discidium inter Episcopum et Regulares oriatur? Atque, esse in *linea iudiciali* ad S. Romanam Rotam recurrendum non ambigitur. In *linea* vero *disciplinari*, nonne ex C. *Sapienti*, I, 5, 2, quae controversias inter Episcopos et religiosos a S. C. Religiosorum omnes definiendas dicit, arguas potius pro competentia huius Congregationis? In has certe partes inclinamus, cum hae causae minus Confraternitatum quam religiosorum intersint.

2. Gravior erat altera dubitandi ratio. Etenim, ex C. *Sapienti*, I, 6, S. C^is^ de Propaganda Fide « iurisdictio iis est circumscripta *regionibus* ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. » Iurisdictionem itaque *localem* obtinet. Verum societates de quibus agitur in locis versantur in quae S. C. de Propaganda Fide nihil potest, et sola destinatione regiones missionum respiciunt. Hoc tamen sufficere ut S. C. de Propaganda Fide intactam servet pristinam suam competentiam modo respondit S. C. Consistorialis.

Unde illud notabile colligendum putamus, sodales religiosos qui qua missionarii S. C^i^ de Propaganda Fide oboedire, qua vero religiosi S. C^i^ Religiosorum parere debent, non eos solos esse qui in locis missionum versantur sed eos etiam qui ex Instituto missionibus exteris deputantur. Controversiam fingas inter Vicarium Apostolicum et Superiorem religiosum europaeum de administratione pecuniae quae pro missionibus est collecta : disciplinaris sententia ad S. C. de Propaganda Fide pertinere videtur.

372. — SS. D. N. PII PP. X

LITTERAE 15 DEC. 1909

Stylus curiae de nomine Fratrum Minorum

Eminentissimo Signor Cardinale [1],

[1] Memoratis litteris superioribus, Pontifex iam usum definit curialem nominis O. F. Min. ab unione Leoniana.

Nelle [2] nostre Lettere Apostoliche sulle tre famiglie francescane [3] abbiamo stabilito, che quella dei Fratri Minori uniti da Leone X e Leone XIII di s. m. sia chiamata col glorioso cognome e nota storica e distintiva di *Unione Leoniana*, principalmente quando fosse opportuno per evitare ambiguità e confusione negli atti pubblici. Ora, volendo che nelle sacre Congregazioni della Romana Curia sia in perpetuo osservata una norma uniforme nella pratica di queste Nostre disposizioni, ordiniamo che il titolo di *Ordine dei Fratri Minori dell'Unione Leoniana* si debba dare alla detta Famiglia e ai suoi Moderatori ed alumni in tutte le Bolle, Rescritti ed altri documenti:

a) dove sono enumerate le tre Famiglie francescane simultaneamente e i loro Ministri generali;

b) dove sono concessi indulti, grazie, privilegi per la Famiglia dei detti Minori uniti da Leone X e Leone XIII;

c) nelle controversie e dispareri, che potessero nascere fra le tre Famiglie francescane.

---

[1] Em. Card. Vives.

[2] Id est latine. — Litteris Nostris Apostolicis de tribus familiis franciscalibus, decrevimus familiam Fratrum Minorum quos Leo X et Leo XIII s. m. ad unitatem redegerunt, glorioso nomine et nota historica et propria *Unionis Leonianae* appellaretur, praesertim cum vitanda in actibus publicis ambiguitas et confusio id suaderent. Age porro, ut in S. Congregationibus Romanae Curiae haec statuta nostra eodem modo in perpetuum observentur, iubemus ut titulo *Ordinis Fratrum Minorum ab Unione Leoniana* dicta familia, eiusque Moderatores et alumni designentur in omnibus Bullis, Rescriptis et aliis monumentis:

a) In quibus tres familiae franciscales eorumque Ministri generales simul percenseantur;

b) In quibus dictis Minoribus a Leone X et a Leone XIII coniunctis concessa sint indulta, gratiae et privilegia;

c) In controversiis et dissensionibus quae inter tres franciscales familias oriri possint.

In omnibus deinde aliis casibus, dummodo, secundum postremas Nostras Apostolicas Litteras, nota historica et propria Fratrum Minorum ab Unione Leoniana, qua a duabus reliquis familiis distinguuntur, semper tacite intellegatur, permittimus ut SS. Congregationes uti possint simplici titulo *Fratrum Minorum*, *Ordinis Fratrum Minorum*, *Ministri generalis Fratrum Minorum*.

Committimus Tibi, Domne Cardinalis, curam tradendi haec nostra statuta omnibus Romanis Congregationibus, ut plene exsecutione compleantur, ac Nostram in te voluntatem confirmamus.

Ex aedibus Vaticanis, die 15 decembris 1909, Pius Pp. X.

[3] Litt. **Septimo**, 4 oct. 1909. Cfr. Periodica, n. **337**, t. 5, p. 27 sqq.

In tutti gli altri casi poi, purchè a norma delle ultime Nostre Lettere Apostoliche si sottintenda sempre la nota storica e caratteristica di Fratri Minori dell'Unione Leoniana, che li differenzia dalle altre due Famiglie, concediamo che le SS. Congregazioni possano usare del simplice titolo di *Frati Minori*, *Ordine dei Frati Minori*, *Ministro generale dei Frati Minori*.

Exceptis his casibus, simplici nomine uti fas est.

Incarichiamo Lei, Signor Cardinale, di comunicare queste Nostre disposizioni a tutte le SS. Congregazioni Romane per la piena osservanza, e Ci confermiamo a Lei affmo.

Intimatio statuti.

Dal Vaticano, li 15 dicembre 1909.

Dies (15 dec. 1909).

PIUS PP. X

ANNOTATIO

Ne ex simplici *Fratrum Minorum* nomine quod, a Leone X acceptum, Fratres Minores etiam dicti *ab Observantia* retinebant ex Ce *Felicitate quadam* Leonis XIII, viderentur soli esse genuini divi Francisci filii, solique omnem Ordinem Minoriticum componere, SS. D. N. Piis Pp. X, nuperrimo brevi *Septimo*, 4 oct. 1909, iussit ut, ubi ambiguitas tollenda esset, in actis praesertim publicis, *ab Unione Leoniana* vocarentur. Hinc iam progressus est ut accurate usum S. Sedis praescriberet.

Definit itaque praesentibus litteris, quandonam SS. Congregationes ad nomen *Fratrum Minorum* addere debeant: *ab Unione Leoniana*, quandonam vero simplici *Fratrum Minorum* nomine eosdem regulares designare possint. Tunc tamen tacite intellectam vult historicam et propriam notam qua *Unionem Leonianam* componunt.

Inter ipsos huius Unionis Fratres, usus simplicis nominis Fratrum Minorum esse poterit, ad arbitrium Ministri sui generalis, magis perpetuus, cum nulla tunc ambiguitatis ansa detur.

---

373. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO 15 DEC. 1909

Ex Instituto Filiorum Sacrae Familiae, instauratur Congregatio Theatinorum

Auspicato, per dilectum Filium Nostrum Iosephum S. R. E. Cardinalem Vives, Instituti Filiorum sacrae Familiae Protectorem, parata unione et incorporatione eiusdem Instituti Congregationi Clericorum regularium, vulgo Theatinorum, sollemniter declaramus, decernimus et dicimus, dilectos filios Nostros Bonaventuram Mullol eiusque Consultores generales universosque eiusdem Instituti sodales, ab hac die, Octavae sollemnitatis Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis sacra, esse veros legitimosque filios S. Patris Caietani, veros legitimosque alumnos congregationis Clericorum regularium, vulgo Theatinorum, cum omnibus iuribus et privilegiis, iisdem Clericis regularibus a S. Sede concessis et concedendis.

Paratam sanciens incorporationem, Pontifex Instituto Filiorum Sacrae Familiae filiationem, nomen ac iura tribuit Theatinorum.

Cultus Sacrae Familiae et scapularis caerulei novi Theatini sunt promotores.

Volumus autem, ut praedictus dilectus filius Bonaventura Mullol eiusque subditi cum tota Clericorum regularium congregatione, filiali affectu, cultus sacrae Familiae et scapularis caerulei Immaculatae Conceptionis assidui promotores et perpetui zelatores ubique terrarum exsistant, servatis de iure servandis.

Speciali facultate C. Vives universae Clericorum regularium familiae praecst.

Praefatum autem Cardinalem, hactenus Instituti sacrae Familiae Protectorem, universae Clericorum regularium congregationi praeesse mandamus, facta eidem potestate, ut auctoritate Nostra, instaurationi et reformationi eiusdem congregationis ad nutum Nostrum, etiam in futurum providere possit, cum opportunis et necessariis facultatibus.

Clausula.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Dies (15 dec. 1909).

Datum Romae apud S. Petrum, die XV decembris, Octava sollemnitatis Immaculatae Conceptionis B. M. V., anno MCMIX, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X.

---

374. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECLARATIO 17 DEC. 1909

De studiis quae a religiosis peragenda sunt

Immediatae exsecutioni decreti de studiis obiectae difficultates.

Non nulli Superiores generales Ordinum et Institutorum huic S. Congregationi Negotiis Sodalium Religiosorum praepositae humillime exposuerunt difficultates quas parit immediata exsecutio recentiorum declarationum circa studia, d. d. 7 septembris 1909, sive quia alumni in propriis illorum collegiis degentes, qui ad noviciatum ingrediendum iam existimabantur sufficienter apti, in collegiis ipsis, ad statum curriculum studiorum perficiendum adhuc permanere debent ; sive quia ipsae noviciorum domus per aliquod tempus claudendae erunt, cum haud facile sit reperire alumnos ad tramitem declarationum undequaque instructos.

Inde **preces** *oblatae.*

Ideoque supplices preces dederunt, ut, quousque iuxta placita huius S. Congregationis res apprime ordinentur, praefatas declarationes benigniori quadam ratione interpretari fas esset.

Pontificis rationes, propter quas

Sanctissimus autem Dominus Pius Papa X, cui haec omnia infrascriptus Cardinalis Praefectus rettulit in audientia diei 21 decembris 1909, rem mature perpendere dignatus est, aequa lance cum expositis difficultatibus bona librando quae ex immediata exsecutione dictarum declarationum Ordinibus et Institutis provenient, quae quidem bona non potest esse quin cedant in utilitatem ipsius Ecclesiae Universae. Et sane, hisce praesertim difficillimis temporibus, aequali ac sacerdotes saeculares debent scientia pollere sacerdotes regulares, quorum consilia fideles non minore sane fiducia expetere constat ; scientia veris vocationibus nedum adimat, potius confert stabilitatem ; quod si non nullos abuti contingat scientia, Ordinis vel Congregationis sumptibus acquisita, et ante ingressum in Noviciatum discedere, melius est illos abire, quos ex hoc ipso patet non habuisse propositi constantiam, immo

nec amplectendae vitae religiosae animum vere sincerum ; longe minor est Ordinibus et Institutis timenda iactura, si minus frequentatae, vel prorsus vacuae per aliquod tempus noviciorum domus exsistant, quam si plenae sodalibus non adaequate institutis ; praestat selectus numerus alumnorum stabilium, quam magnus praetereuntium ; integre [1] summopere curandum, ut id quod numero erit inferius, spe reddatur uberius.

His igitur aliisque permotus argumentis, idem Sanctissimus Dominus Noster, minoris faciens difficultates expositas, supplicibus precibus haud annuendum, idque omnibus Superioribus Generalibus Ordinum et Institutorum in normam et regulam significandum duxit. *gratiam* **negat,** *idque vult significari.*

Contrariis quibuscumque minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis. *Clausulae. Dies (17 dec. 1909).*

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
D. L. Ianssens, O. S. B. Secretarius.

Annotationes

1. In dilucido monumento interpretando minime nobis immorandum est. Sed operae pretium est illud observare, obiectas difficultates ex eadem radice pendere, id est ex more conquirendi novicios ferme omnes inter eos qui studia nondum peregerunt vel eadem impendiis religiosorum in quadam schola apostolica facere coeperunt. Hinc timor ne litteris eruditi conventum factis impendiis discedendo defraudent, nisi votorum vinculo discedere prohibeantur.

Sane non ii sumus qui utilitatem scholarum apostolicarum vel huiusmodi institutorum infitiemur, vel minoris faciamus humili loco selectos iuvenes qui ad fastigia virtutis et fecundissimam actionem, vocante Deo, interdum ascendunt. Simul tamen ipsis motis difficultatibus monemur esse in hoc delectu a periculis cavendum, ne cooptati adulescentes minus pura seu sublimi ducantur intentione, ne ultronea vitae religiosae voluntas, quae ad concipiendum vel servandum fervorem plurimum efficit et hodie tanto est pretio habenda, ipsos deficiat, ne alia cooptationis ratio, quae postulantes dat magis rerum praesentium peritos vel neglegatur vel saltem minus intendatur.

2. Iuvat etiam documentum istud Pontificiae sapientiae alte in animo insculptum tenere, selectis hodie opus esse religiosis, damnum pecuniae aequius quam infirmiorem virtutem esse tolerandum; et longe satius esse ut qualitate praestent potius quam numero abundent, qui nomine Ecclesiae vitam perfectiorem et proinde christianam sanctitatem profitentur.

---

[1] Sic scriptum, ni fallimur, pro *indeque*.

375. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

INDULTUM 29 DEC. 1909

De religiosis ad militiam vocatis

Beatissimo Padre [1],

Orator. Fr. Benedetto Menni, Visitatore Apost. dell'Ordine di S. Giovanni di Dio, prostrato al bacio del Sacro Piede, espone alla S. V. quanto segue:

Petitio. Poichè i nostri Novizi, compito l' anno canonico del Noviziato, entro tre mesi devono emettere la professione dei voti semplici, succede che alcuni di quelli che dopo la professione vengono chiamati sotto le armi, perdono ivi la loro vocazione religiosa. Perciò l' umile esponente implora dalla S. V. una facoltà simile a quella che dalla Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari in data 21 d'aprile 1871 fu concessa ai Trappisti, cioè di far fare ai Novizi la professione di semestre in semestre, finchè sia cessato il pericolo, del quale Rescritto unisce la copia fedele, come fu data nella risoluzione dei dubbi, il giorno 2 settembre 1896, relativamente al detto Rescritto del 21 aprile 1871 ai Trappisti.

Che della grazia,

Gratia. Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attentis expositis, vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X sibi tributarum, expetitam facultatem impertita est iuxta preces, ad tramitem Rescripti, die 21 aprilis 1871 Ordini Cisterciensium Reformatorum de Trappa concessi et responsionum ad dubia d. d. 2 septembris 1896. Contrariis quibuscumque minime obstantibus. Romae, die 29 decembris 1909.

Dies (29 dec. 1909).

Fr. I. C. Card. Vives. *Praefectus.*

D. L. Ianssens, O. S. B., Secretarius.

Beatissime Pater,

Annexa superior declaratio pro Cisteriensibus reformatis. Fr. U. Benedictus, Procurator Generalis Ordinis Cisterciensium Reformatorum de Trappa, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, quae sequuntur humiliter exponit: supplex libellus ad S. Congregationem EE. et RR. iam abhinc viginti quinque annis ab Ordine nostro delatus, ferebatur his verbis:

---

[1] Id est latine: *Beatissime Pater.* Fr. Benedictus Menni, Visitator Apostolicus Ordinis S. Ioannis de Deo, ad osculum sacri pedis prostratus, S. V. proponit id quod sequitur: Fit ut ex noviciis qui, completo canonico noviciatus anno, intra tres menses simplicem professionem facere debent, non nulli, dum post professionem milites conscribuntur, ipsam religiosam vocationem amittant. Quocirca humilis orator a S. V. gratiam implorat qualem die 21 aug. 1871 Patres Trappenses a S. C. Episcoporum et Regularium impetrarunt; id est, ut noviciis istis semestrem praecipere possent professionem, donec periculum finem haberet. Rescriptum hic iuxta reperitur fideliter exscriptum, sicut exstat in responsis 2 septembris 1896 quae declararunt rescriptum 21 april. 1871 PP. Trappensibus concessum.

« Post completum noviciatum, novicii debent professionem facere intra sex menses ; porro ob vicissitudines temporum iuvenes ad militiam omni momento vocari possunt..... Idcirco Orator supplex enixe deprecatur Sanctitatem Vestram ut concedatur superioribus facultas noviciatum continuandi donec cesset periculum ». — Ita quidem rescribendum censuit eadem S. Congregatio :

... « Ex audientia SS^mi habita ad infrascripto subsecretario Sacrae Congregationis EE. et RR. sub die 21 aprilis 1871, Sanctitas Sua gratiam, ut petitur, haud concedendam esse existimavit ; sed potius indulsit, ut donec praefatum periculum perduraverit, novicii qui tempus noviciatus rite expleverunt, admittantur ad professionem votorum simplicium ad sex menses valituram ac de semestri in semestre renovandum. »

Cum autem de vero sensu et intellegentia huius Rescripti saepe inter nos fuerit dubitatum, cumque etiam nunc in Gallia alumni nostri sicut et ceteri cives legi militari obtemperare cogantur, praefatus Orator sequentia dubia Sanctitati Vestrae solvenda reverenter proponit :

I. An professus, de quo in Rescripto, teneatur suam Professionem renovare ad sex menses, si certo sciat se ad militiam vocatum iri, antequam hoc spatium sex mensium absolvatur ? Et quatenus affirmative :

II. An talis professio sit caduca ipso facto quod professus, ad militiam vocatus, e monasterio discedit ? Et quatenus negative :

III. An talis professio sit caduca ita ut professus, qui iam ad militiam vocatus ac profectus fuerit, ab omni vinculo votorum sit, his sex mensibus expletis sub armis, ipso facto solutus et liber ? Et quatenus negative :

IV. Utrum enuntiatus professus teneatur, peracto militiae eius tempore, in Religionem regredi et professionis simplicis triennium, si opus sit, complere, antequam ad sollemnem professionem admittatur ?

Vigore specialium facultatum a SS^mo D. N. concessarum, Sacra Congregatio E^morum S. R. E. Cardinalium EE. et RR. negotiis praeposita, super praemissis dubiis respondendum censuit, prout respondet :

Ad I. affirmative, ita tamen ut enuntiata vota eo ipso cessasse intellegantur, quo professus e monasterio egredi adigatur, militaris servitii causa.

Ad II et III. Provisum in primo.

Ad IV. Regredi non teneri, et quatenus regredi velit, constito Superiori de perseverantia vocationis, teneri emittere novam professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum remanere, prius quam ad nuncupanda sollemnia vota admittatur, ad formam Litterarum Apost. Pii IX februarii 1862 quae incipiunt : *Ad universalis Ecclesiae regimen.*

Romae, 2 septembris 1896.

I. Card. VERGA, *Praefectus.*
A. Trombetta, Pro-Secretarius.

376. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSA 29 DEC. 1909

De clausura

Oratores.

Dubia *de locis quae ex S. Sedis gratia, mulieres visitare possint et modo visitationis.*

I Superiori Generali [1] degli Eremiti Camaldolesi di Monte Corona umilmente domandarono a questa Sacra Congregazione dei Religiosi la soluzione dei seguenti dubbi :

1°. Se le donne, che visitano gli Eremi della Congregazione con Indulto scritto ovvero orale della Santa Sede, debbano sempre essere accompagnate dal Superiore o da altro Religioso, *comitantibus probatis viris.*

2°. Se le dette persone di sesso diverso possano entrare nelle celle dei Religiosi, o almeno in quella del Superiore locale.

3°. Se le stesse possano ricevere dai Religiosi qualche refezione o rinfresco, entro la clausura.

4°. Se possano entrare in quelle località, alle quali è vietato l'accesso agli stessi Religiosi senza licenza del Superiore, quali sono la cucina, la cantina, la dispensa, ecc.

5°. Se possano essere ammesse a visitare il Noviziato o Professorio, luoghi di clausura speciale.

Responsa.

E questa Sacra Congregazione dei Religiosi, dopo maturo esame, ha risposto, come risponde :

Al 1°. Affermativamente ; eccetto per l' Eremo di monte Argentino presso Cracovia, in quei dodici giorni dell' anno, nei quali, giusta la Bolla di fondazione, è concesso a tutte le persone di visitare la Chiesa.

Al 2°. Negativamente alla prima parte ; affermativamente alla seconda, purchè sia sempre presente uno de' Padri più anziani.

---

[1] Latine sic : Superiores Generales Eremitarum Montis Coronae ab hac S. Religiosorum Congregatione petierunt ut sequentia dubia dissolverentur :

1. Mulieres quae scripto vel verbo data S. Sedis facultate Eremitas illius Congregationis visitare permittuntur, debentne semper Superiore vel alio Religioso stipari, « comitantibus probatis viris. »

2. Possuntne personae istae alterius sexus ingredi cellas Religiosorum, eam saltem Superioris localis.

3. Possuntne, intra clausuram, a religiosis aliquo cibo vel potu recreari ?

4. Possuntne in illa loca inire ad quae ipsis Religiosis accessus non est sine Superioris venia concessus, puta culinam, cellas vinarias vel cibariorum, etc.

5. Possuntne Noviciatum vel Professorium visitare, quamvis loca ista speciali clausura munita sint.

S. haec Religiosorum Congregatio, re mature examinata, hoc modo respondendum censuit :

Ad 1. Affirmative, si eremum excipias Montis Argentini prope Cracoviam, in duodecim diebus quibus, ex fundationis bulla, omnes personae ecclesiam visitare possunt.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, dum modo semper Pater aliquis ex antiquioribus comes assistat.

Al 3°. In qualche caso speciale il P. Maggiore potrà permetterlo, purchè non vi prenda parte nessun Religioso e solamenente nella Foresteria.

Al 4°. Negativamente.

Al 5°. Negativamente, anche quando i Chierici o Novizi non siano presenti.

Tutte le quali prescrizioni e restrizioni si intenderanno incluse, benchè non espresse, in ogni permesso o Rescritto di visita agli Eremi.

Avendo poi il sottoscritto Cardinal Prefetto, nell'Udienza del 21 dicembre 1909, riferito la risoluzione dei sopraddetti dubbi al S. Padre, Questo si è degnato di confermarla in tutto.

Dato a Roma, dalla Segretaria della Sacra Congregazione dei Religiosi, il 29 dicembre 1909.

Fr. G. C. Card. VIVES, *Prefetto.*
D. L. Ianssens O. S. B., Segretario.

---

377. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSA 4 IAN. 1910

Dubia circa professionem religiosorum

Dubia

Ab hac S. Congregatione, negotiis religiosorum sodalium praeposita, sequentium dubiorum solutio expostulata fuit, nimirum:

I. De religioso dimisso qui post 7 sept. professionem simplicem fecit.

I. Quidam Religiosus, dimissus ab una domo Ordinis, de consensu Superioris Generalis, in alia domo eiusdem Ordinis ad noviciatum admissus fuit ante decretum d. d. 7 septembris 1909, quod incipit *Ecclesia Christi*, sed post eiusdem decreti publicationem, professionem votorum simplicium emisit, non implorato indulto apostolico. Quaeritur, utrum valida sit professio, an vero sanatione indigeat.

II. De dispensato qui in alio ordine est novicius.

II. Quidam Religiosus, dispensatus a votis emissis in alio Ordine, Congregatione, vel Instituto, ad noviciatum in diverso Ordine admissus fuit ante publicationem supradicti decreti. Quaeritur, utrum ad professionem votorum simplicium indigeat indulto apostolico, an vero absque indulto valeat professionem emittere.

Responsa.

Et Sacra eadem Congregatio respondendum censuit, prout respondet:

Ad I.

Ad I. *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

Ad 3. In casu speciali poterit P. Maior id permittere, sed in hospitio tantum, ac dum modo nullus Religiosus simul cibum vel potum capiat.

Ad 4. Negative.

Ad 5. Negative, etiam si absint novicii vel clerici.

Quae praescriptiones vel exceptiones semper in omni rescripto vel indulto visitandi eremos tacite contentae censebuntur.

In audientia 21 decembris 1909, cum infrascriptus Card. Praefectus haec responsa rettulisset SS. Patri, Ipse eadem plene approbare voluit.

Datum Romae, ex secretaria S. C. Religiosorum, die 29 dec. 1909.

Ad II. Ad II. *Affirmative* ad primam partem ; *Negative* ad secundam.

Dies (4 ian. 1910). Atque ita rescripsit, die 4 ianuarii 1910.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
D. L. Ianssens, O. S. B. Secretarius.

Annotationes

1. Memorato decreto *Ecclesia Christi*, quod habetur in Periodicis nostris, supra n. **346**, p. 53, huius tomi, *valide*, absque speciali S. Sedis venia « sive ad noviciatum, sive ad emissionem votorum postulantes » admitti nequeunt: (n. 3 et 4) cum qui ab una Ordinis provincia dimissi in aliam eiusdem Ordinis recipi nitantur, tum qui, obtenta votorum dispensatione, aliud Institutum ingredi cupiant. In his sanctionibus explicandis versantur ambo dubia et responsa, eandemque difficultatem attingunt. In utroque enim casu de religioso quodam agitur qui noviciatum ante praefatum decretum est ingressus, sed post eius promulgationem (15 sept.), professionem simplicem vel fecit vel facturus est. Hinc quaeritur quo iure, utrum priore iure an praesenti, condiciones professionis sint aestimandae. Et ratio dubitandi peti potuit tum ex ipso inchoato noviciatu, qui certe legitime fieri coepit et ius quoddam dare videtur, ut novicio non demerenti viam ad professionem sternat, tum ex verbo *postulantes*, quo decretum utitur ad eos designandos qui in eius sanctiones incurrunt. *Postulantes* enim non iam sunt *novicii*.

2. Quia tamen decretum utramque cooptationem, qua quis novicius et qua simpliciter professus fit, diserte memorat, et utramque dicit dimissione vel dispensatione impeditam ; et quia novicio nullum ius strictum obtingit [1], S. Congregatio severiores partes amplexa est.

3. Itaque, quod probe est retinendum, quotquot nondum vota fecerunt, si quod ex quattuor decreti impedimentis ad ipsos pertineat, vim novi iuris minime effugiunt ; nec possunt, nisi ex S. Sedis auctoritate, valida facere vota.

Vota intellegas *prima*. Qui enim ante decretum vota fecerit, etiamsi fuerint mere temporaria, decreti lege prorsus exemptus est.

---

378. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECLARATIO EXTENSIVA 4 IAN. 1910

Decreti « de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis » (A. A. S. 15 feb. 1910)

Audientia SSmi. Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in audientia, die 4 ianuarii 1910 infrascripto Cardinali Praefecto benigne concessa,

Decretum *quo ad mulieres transfertur edictum* decernere dignatus est, ut dispositiones Decreti Sacrae Congregationis de Religiosis, d. d. 7 septembris 1900, *De quibusdam postulantibus in Religiosas Familias non admittendis*, ad mulierum

---

[1] Cfr. nostrum t. 1, *De religiosis institutis et personis*, n. **199**,2, cuius doctrina praesenti responso confirmatur.

quoque Religiosas Familias in posterum extendantur. Ideoque, absque speciali venia Sedis Apostolicae et sub poena nullitatis professionis, non excipiantur sive ad Noviciatum, sive ad emissionem votorum, postulantes : *7 sept. 1909 de exclusione quorundam postulantium.*

1°. quae, propria culpa, e collegiis etiam laicis, gravi de causa, expulsae fuerint ;

2°. quae a scholis domesticis, in quibus puellae speciali cura in spem amplectendae vitae religiosae educantur, quacumque ratione dimissae fuerint ;

3°. quae, sive ut professae, sive ut noviciae, ab alio Ordine vel Congregatione religiosa dimissae fuerint ; vel, si professae, dispensationem votorum obtinuerint ;

4°. quae iam admissae, sive ut professae, sive ut noviciae in unam provinciam alicuius Ordinis vel Congregationis et ab ea dimissae, in eandem vel in aliam eiusdem Ordinis vel Congregationis provinciam recipi nitantur.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 4 ianuarii 1910. *Dies (4 ian. 1910).*

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus.*
D. L. Ianssens O. S. B., Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Decretum istud, quo fere verbotenus alterum, de religiosis viris, exscribitur, huius interpretatione declarandum est. Quare cfr. dicta supra, p. 54.55, n. **346** ; et p. 97. 98 n. **377**.

Quare valebit in mulierum instituta quae, ex declaratione 4 ian. 1910, modo de viris dicta sunt, id est novo impedimentorum iure regi quotquot 15 febr. 1910 nondum vota fecerint. Dicimus *15 febr.* quia declaratio quartae diei ianuarii, in Commentario officiali 15 febr. est *promulgata*. Ante promulgationem autem vim habere non potuit.

2. Altero articulo, quo « scholae domesticae in quibus puellae speciali cura in spem amplectendae vitae religiosae educantur » suppositae sunt pro « seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis, » (art. 2 decreti 7 sept. 1909) confirmatur nostra interpretatio, secundum quam collegia non ex qualitate moderatorum sed alumnorum *ecclesiastica* vel *religiosa* appellantur. Cfr. p. 54, 1.

3. *Quaeres*, utrum « religiosae mulierum familiae » sint eae tantum quae pontificio regimine utantur, an etiam dioecesanae ? Verba quidem valde ampla sunt. Quia tamen correctio iuris odiosa iudicatur, existimamus, ex C. *Conditae*, 8 dec. 1900, et Motu proprio *Dei providentis* [1], 16 iul. 1906, dioecesanas leges esse solas attendendas, nisi clare aliter statuatur. Sed, ex ipso motu proprio *Dei providentis*, Episcopi iubentur novas constitutiones ad S. Sedis statuta exigendas curare. Quare, ex mente S. Sedis faciet Episcopus qui dioecesanis Institutis similia impedimenta sanxerit, sua tamen auctoritate in speciali casu relaxanda. (Cfr. GENNARI, *Quist. canon.* n. 53).

[1] Cfr. *De Religiosis*, t. 2, n. **2** et **2**bis, p. 15-21.

379. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSUM 1909 [1]

De competentia S. Officii in matrimonia mixta

A S. Officio propositum **dubium.**

S. Congregatio S. Officii, litteris diei 27 martii 1909, a S. Congregatione Consistoriali formalem declarationem petiit circa competentiam relate ad matrimonia mixta. Itaque, proposito dubio in terminis ab Assessore S. Officii statutis, hoc est : « quale sia la competenza « del S. Offizio in fatto di matrimonii misti, sia tra battezzati e non « battezzati, sia tra cattolici ed acattolici, tanto dal lato pratico, « ossia per la concessione delle dispense, quanto dal lato teorico, « ossia per la risoluzione dei dubbi che possono sorgere su tale « materia, anche nei riguardi del recente decreto *Ne temere* » [2],

Responsum.

Emi Patres, perpensis consultorum votis et re mature considerata, respondendum censuerunt : « Competentiam S. Officii se extendere ad omnia quae sive directe sive indirecte, in iure aut in facto se referunt ad Privilegium Paulinum et ad praefatas dispensationes. Et ad mentem, quae est : supplicandum SSmum ut statuat ac decernat ut quaelibet quaestio circa praefata matrimonia deferatur Sacrae Congregationi S. Officii, salva huic Sacra Congregationi potestate, si ita censeat et casus ferat, quaestionem ipsam remittendi ad aliud S. Sedis officium ».

Approbatio SSmi.

SSmus, audita relatione infrascripti Cardinalis Secretarii, resolutionem ratam habuit et confirmavit, mandavitque ut in posterum quaelibet quaestio circa matrimonia mixta deferatur S. Congregationi S. Officii iuxta petita, sub lege tamen ut firma semper et in omnibus maneat dispositio decreti *Ne temere* in art. XI n. 2° et 3° statuta.

C. Card. De Lai, *S. C. Consistorialis Secretarius.*
Scipio Tecchi, S. C. C. Assessor.

Annotationes

1. Notabile illud in primis est, ipsius S. Officii litteris petitam esse declarationem de sua competentia. Etenim, ex normis peculiaribus quae 29 sept. 1908 promulgatae sunt, dubia de sua competentia, qualis est C° *Sapienti* definita, ipsa S. Officii Congregatio dirimere pergit. (Cfr. normas pecul. c. 7, n. 6. Period. t. 4, p. 301.)

2. Ex C. *Sapienti* I, 1, « integra manet S. Officii facultas ea cognoscendi quae circa privilegium, ut aiunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur. » Quare dubium proponitur de generaliore competentia in his negotiis, sive ad solvenda dubia quae de matrimoniis mixtis v. gr. ex ipso decreto *Ne temere*, oriri facile possunt. Hactenus enim,

---

[1] In Actis Apostolicae Sedis, t. 2, p. 56 dies et annus omissi sunt.

[2] Id est, latine : « Quaenam sit provincia S. Officii in matrimoniis mixtis, sive inter baptizatos et non baptizatos sive inter catholicos et acatholicos contractis, tum quae in usu, i. e. ad dispensationes largiendas, tum quae in cognitione versatur, i. e. ad dubia solvenda quae de argumento isto, etiam ex recenti decreto *Ne temere*, nasci possunt.

ante reformatam Curiam, dubia plura huiusmodi soluta sunt per S. Congregationem Concilii, per quam ipsum decretum latum est. Cfr. v. gr. responsa 1 febr. 1908, ad V; 28 mart. 1908, ad II [1]; 8 iul. 1908, ad I et ad II [1]. Post promulgatam autem C. *Sapienti*, causae istae ad S. C. de disciplina Sacramentorum delatae sunt. Cfr. resp. 18 iun. 1909 [2]. Quae responsa causam fortasse dederunt quaerendi de statuto iure.

3. Porro S. Congregatio Consistorialis ius ex parte declaravit, ex parte mutatum optavit. Declaravit, cum Privilegium Paulinum et dispensationes ad S. Officium adiudicanda dixit; mutatum optavit, quando petiit ut omnis quaestio de his matrimoniis ad S. Officium deinceps deferretur.

4. Quia tamen facile expedit ut decretum per eandem Congregationem declaretur per quam confectum est, ideo simul cautum est ut S. Officium, ad arbitrium suum, quaestionem ad aliud dicasterium reicere posset.

---

380. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSUM EX AUD. SS^mi 21 IAN. 1910

De relatione S. Sedi exhibenda ab alumnis Collegii Iosephini

Dubium. Proposito dubio, utrum veteres alumni Collegii Iosephini civitatis *Columbus* in America, adhuc teneantur quolibet anno relationem S. Sedi exhibere, iuxta iuramentum ab iis emissum, SS^mus D^nus Noster, in audientia concessa E^mo Cardinali Secretario die 21 ianuarii currentis anni 1910, attenta nova rerum condicione inducta a Const. *Sapienti Consilio*, benigne dignatus est alumnos memorati Collegii dispensare et eximere ab annua relatione peragenda.

Resp. SS^mi.

Carolus Perosi, S. C. C. Substitutus.

ANNOTATIO

Reformata iuramenti formula (decreto 6 aug. 1909) obligatio suppressa est qua ex superiore formula spondebant relationem de persona sua, statu, loco, etc., quolibet auno vel quolibet biennio S. Congregationi de Propaganda Fide exhibendam. (Utramque iuramenti formulam cfrs. PERIODICA, t. 4, p. 354 et 357.) Nihil autem de iis statutum erat qui iuramenti religione iam erant obligati. Praesenti gratia, Summus Pontifex veteres alumnos hac parte suarum promissionum exemit.

---

[1] Cfr. PERIODICA, t. 4, n. **255**, p. 171-173; t. 5, n. **338**,A, p. 36.
[2] Cfr. PERIODICA, t. 5, n. **338**,B, p. 36.

DECRETA SUMMATIM RELATA

381. — I. — *S. CONGR. S. OFFICII (pro indulgentiis)*

Indultum pro Tertiariis et Confratribus Ord. Redemptorum B. M. V. de Mercede.

Indultum ad obtinendam in Dominica benedictionem cum indulg.

Ex aud. SSi 9 dec. 1909 concessum est Ordini B. M. V. de Mercede ut « Tertiarii et Confratres Ordinis legitime impediti quominus ecclesiam adeant accepturi Benedictionem cum indulgentia plenaria diebus assignatis qui in Dominicam non incidant, illam accipere valeant in Dominica sequenti » atque ut idem liceat quotiescumque sollemnitas festi cui benedictio annexa est, in Dominicam sequentem transferri contingat. (A. A. S. 2, p. 55.)

382. — II. — *S. C. CONSISTORIALIS*

De relationibus dioecesanis et visitatione SS. Liminum.

Decreti argumentum et summa.

A. Summa decreti quo nova instauratur disciplina de visitatione SS. Liminum (A. A. S. 2, p. 13-16.)

Ipso titulo decretum servandum dicitur ab omnibus locorum Ordinariis qui Saе Ci de Propaganda Fide non sunt obnoxii.

De visitatione SS. Liminum.

Memoratis historicis visitationis SS. Liminum et relationis dioecesanae vicibus, hactenus vigens lex penitus abrogatur, omnibusque praestituitur quinquennalis relatio facienda ab anno 1911, ita ut singulis annis de definitis partibus catholici orbis ad S. Sedem referatur.

Latine scripta imperatur relatio, quae primum singulis annexi Ordinis quaesitis distincte satisfacere debet. In subsequentibus relationibus sufficiet ea notare quae variaverint, et indicare fructum ex monitis et mandatis S. Sedis collectum.

Eodem relationis anno « beatorum apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi ad Urbem accedant et Romano Pontifici se sistant ». Ordinariis tamen qui extra Europam sunt permittitur ut alternis tantum quinquenniis Urbem petant.

Obligationi visitationis potest Episcopus per se vel per Coadiutorem aut auxiliarem Episcopum satisfacere ; ut per alium sacerdotem *in sua dioecesi stabiliter commorantem* faciat, veniam S. Sedis reportare debet.

Praeterea quaedam ad tempus statuuntur de proxime futura relatione et visitatione.

Inito dioecesis regimine, Ordinarius abstinere potest relatione et visitatione quae, ex constituto ordine, intra biennium fuerit facienda.

De visitatione dioecesana.

Demum caput Tridentinum de visitatione dioecesis facienda confirmatur et inculcatur.

B. Simul promulgatur servandus in relatione Ordo, qui 150 constat articulis et in 16 capita digeritur. Exscribimus hic capita quae ad nostrum argumentum pertinent, seu articulos 102-113. (A. A. S. 2, p. 17-34.) *Annexus Ordo.*

Cap. IX

DE INSTITUTIS RELIGIOSIS VIRORUM

102. Utrum vitam communem servent, vel habitent soli aut in domibus privatis cum saecularibus : quo habitu incedant : quomodo sustententur : quae sit eorum fama : utrum aliqui in maioribus ordinibus constituti adsint in dioecesi a suis Praepositis eiecti vel dimissi ; et quaenam sit eorum agendi ratio. *Vita, habitus, eiectio, dimissio.*

103. Quibusnam muneribus obeundis se addicant in dioecesi : quo fructu, qua fama : an eorum hospitalia, orphanotrophia, scholae, etc. iuxta canonicas praescriptiones Ordinarii vigilantiae subsint. *Munera, dependentia ab Ordinario.*

Qui curam animarum in parochiis sibi addictis exercent, an in omnibus, quae ad istam curam spectant, ab Ordinario dependeant.

104. Si religiosi adsint quaestuantes, utrum opportuna S. Sedis decreta hac de re edita ab iis serventur, et an aliquid inconveniens in his acciderit. *Quaestuatio.*

105. Utrum aliquod habeat Episcopus cum regularibus offendiculum in exercitio iurisdictionis sive suae, sive sibi a iure delegatae. *Offendicula.*

106. Si congregatio aliqua dioecesana adsit, dicatur in quem finem fuerit instituta, an fini suo respondeat, et quo fructu. An in alias dioeceses se diffuderit, et quo vinculo domus extradioecesanae cum dioecesanis nectantur. *Dioecesana congregatio.*

Cap. X

DE INSTITUTIS RELIGIOSIS MULIERUM

107. Utrum generatim ita religiose vivant ut fidelium exemplo sint : an forte aliqui abusus irrepserint, praesertim post ultimam relationem et quinam. *Conversatio religiosa.*

Utrum in monasteriis monialium Praelatis regularibus subiectis, omnia prout de iure procedant, an aliter ; et, hoc in casu, quomodo provisum fuerit. *Moniales sub Regulari.*

108. Utrum circa clausuram serventur leges canonicae. *Clausura.*

109. Utrum monasteriorum reditus fideliter administrentur : an monialium dotes fuerint persolutae et investitae, et quomodo administrentur. *Reditus, dotes, administratio temporalis.*

An ipsae quoque moniales exemptae Ordinario rationem reddant de bonorum administratione, iuxta canonicas leges.

110. Utrum pro confessione monialium, constitutiones et decreta apostolica serventur. *Confessio.*

111. Quae *vitae activae* addictae sunt, quibus operibus incumbant, quo spiritu, qua fidelium utilitate et Ecclesiae aedificatione. *Vita activa.*

112. Si adsint quae infirmis in privatorum domiciliis inserviant, aut rem domesticam in hospitalibus aliisque virorum domibus gerant, quomodo caveatur ne quid inconveniens accidat : an *Sorores hospitalariae.*

cautelae ipsae rite custodiantur ; an aliquid hac in re deplorandum sit.

Quaestuantes. Si religiosae adsint quaestuantes, utrum opportuna S. Sedis decreta hac de re edita ab iis serventur et an aliquid inconveniens in his acciderit.

Dioecesanae. 113. Si instituta mere dioecesana habeantur, an haec cohaerenter ad canonicas leges regantur, in quem finem fundata sint, quo fructu vivant, an etiam extra dioecesim diffusa sint, et an variae domus ab invicem sint independentes, an non.

383. — III. — *S. CONGR. CONCILII*

Interpretatio decreti « Cum recenter » 5 dec. 1894, pro Lusitania.

Decreti argumentum. In generali conventu 11 dec. 1909, instante archiepiscopo Bracarensi (Braga), S. C. Concilii negative solvit varia dubia proposita de decreto *Cum recenter*, 5 dec. 1894, quod ieiunia et abstinentias moderatur. (A. A. S. 2, p. 58-60.)

384. — IV. — *E SECRETARIA STATUS*

De Commentario Officiali.

Decreti argumentum. Decreto quod, speciali SS^mi^ mandato, die 5 ian. 1910 est datum, definitur ratio qua diarium sit moderandum, qua secreti iurati lege Officiales teneantur, quo modo sibi a variis discateriis monumenta comparare debeant. Vetatur ne aliis periodicis libellis tradatur monumentum antequam Actis Apostolicae Sedis vulgatum sit.

Commentarii officialis administratio et divisio. Bis fere in mense, in initio et in medio, prodire debet.

Quod magis nostra sane interest, *binae* iubentur esse partes Commentarii : altera qua continebuntur omnia acta, dispositiones, decreta et instructiones quae a S. Sede proficiscuntur et promulgari debent ut vim legis habere queant, ad tramites C. *Promulgandi* et *Specialis Ordinationis* Curiae Romanae, c. 6, n. 1, altera decreta et sententias referet quae utilia esse possunt ad cognoscendum usum Curiae, ad informandam iurisprudentiam canonicam, etc. praeter vota consultorum, promotiones, etc.

De « Gerarchia cattolica. » Denique memorialis liber : *la Gerarchia cattolica*, iisdem rectoribus et scriptoribus parandus et edendus committitur.

S. R. C. DECRETA SUMMATIM RELATA

385. — 1. *De officio, missa et elogio B. Ioannae de Arc, Virg. pro Galliae dioecesibus.* (A. A. S. 2, p. 64-74)

Decreto *Aurelianen.* 25 aug. 1909 approbata sunt officium, ex parte proprium, B. Ioannae de Arc, virg., missa, et, pro singulis Galliae martyrologiis sequens elogium : *Decreti argumentum.*

DIE XXX MAII

Rothomagi, Ioannae, Virginis Arcensis, Puellae Aurelianensis nuncupatae, a Pio decimo Caelitum catalogo ascriptae, cuius festum in tota Gallia, de speciali gratia, Dominica infra octavam Ascensionis quotannis recolitur. *Elogium.*

Dominica infra Octavam Ascensionis

Officium Beatae Ioannae, Virginis Arcensis, cuius Natalis die trigesima maii recolitur.

2. *Additiones breviario et martyrologio inserendae*

Referente Emo Cardinali Sacrorum Rituum Praeposito, SS. D. N. Pius Pp. X varias approbavit additiones, breviario vel martyrologio inserendas, quae binis decretis 10 nov. 1909 sunt approbatae (A. A. S. [1], p. 793 et 795.) *Dies decretorum (10 nov. 1909).*

Quod ad *breviarium*, *De* breviario

a) *In festo S. Ioannis Chrysostomi* (27 ian.) ad calcem lect. VI, addatur : « Hunc vero praeclarissimum universae Ecclesiae Doctorem Pius decimus, Pontifex maximus, caelestem oratorum sacrorum patronum declaravit atque constituit. » *Sti Ioann. Chrys.*

b) *In festo pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.* (dom. 1 iulii), si extra dominicam transferatur, deficiente alia lectione IX, propria praescribitur. *Pretiosissimi Sanguinis.*

c) *In festo SS. Nominis Mariae* (dom. infra octavam nativ. B. M. V.), si extra dominicam recolatur, deficiente alia lect. IX, propria praescribitur. *SS. Nominis Mariae.*

d) *In festo VII Dolorum B. M. V.* (dom. 3a sept.), si extra dominicam reponatur, deficiente alia lect. IX, propria praescribitur. *Festi VII Dol. B. M. V.*

e) *In festo S. Francisci Xaverii* (3 dec.), ad calcem lect. VI, addatur : « Pius autem decimus ipsum sodalitati et operi Propagandae Fidei caelestem patronum elegit atque constituit. »

Simul *monemur*, in novo officio S. Paulini, ut dicamus sub finem lect. VII *quicquid de suis donis* ; et sub initium lect. VIII, *in die malo ab ira*, et infra, *in die malo liberabit.* *S. Paulini.*

---

[1] Decreta hic apposita subscripserunt Praefectus Emus Fr. S. Card. MARTINELLI, et Substitutus Secretarii, PH. CAN. DI FAVA.

De martyrologio S. Ioann. Chrys.

Quod ad *Martyrologium romanum*,

Die 27 ianuarii, ad calcem elogii sancti Ioannis Chrysostomi, post verba « conditum fuit », addatur : « Hunc vero praeclarissimum divini verbi praeconem Pius Papa decimus oratorum sacrorum caelestem patronum declaravit atque constituit. »

SS. Perpet. et Felicitatis.

Die 6 martii, primo loco legitur : « Sanctarum Perpetuae et Felicitatis martyrum, quae, nonis martii gloriosam martyrii coronam a Domino receperunt. »

Die 7 martii, ad calcem elogii sanctarum Perpetuae et Felicitatis, post verba « sub Severo, » addatur : « Sanctarum vero Perpetuae et Felicitatis festum pridie huius diei recolitur. »

S. Clementis Hofbauer.

Die 15 martii, ultimo loco legitur : « Vindobonae in Austria, sancti Clementis Mariae Hofbauer, sacerdotis professi congregationis sanctissimi Redemptoris, plurimis in Dei gloria et animarum salute promovenda ac dilatanda ipsa congregatione exanclatis laboribus insignis ; quem virtutibus et miraculis clarum Pius decimus Pontifex maximus in Sanctorum canonem rettulit. »

S. Iosephi Oriol.

Die 23 martii, ultimo loco legitur : « Barcinone in Hispania, sancti Iosephi Oriol presbyteri, ecclesiae S. Mariae Regum beneficiarii, omnigena virtute, ac praesertim corporis afflictatione, paupertatis cultu, atque in egenos et infirmos caritate celebris ; quem in vita et post mortem miraculis gloriosum Pius Papa decimus Sanctorum numero accensuit. »

S. Fr. Xaverii.

Die 3 decembris, ad calcem elogii sancti Francisci Xaverii, post verba : « hac die celebratur », addatur : « Pius vero Papa decimus ipsum beatum virum sodalitati et operi Propagandae Fidei caelestem patronum elegit atque constituit. »

3. *De postcommunione in missa Sanctarum Martyrum, et Communione in missa S. Agnetis secundo.* (A. A. S. 2, p. 75.)

Postcomm. Sanctarum martyrum ; communio S. Agnetis secundo.

Interrogante Fr. Pustet, rescripsit S. Rituum Congregatio, die 3 dec. 1909, in Missa *Me exspectaverunt*, si fuerint plures martyres, sive virgines, sive non virgines in Postcommunione, post verba *Martyribus tuis* addenda esse *N. et N.* ; — et in *commuuione* S. Agnetis secundo, post verbum *inventa* omittendum esse verbum *autem*.

4. *Beatificationes et Canonizationes.* (A. S. S. 2, p. 76-81.)

Causa introducta vel reassumpta.

Decreto diei 9 dec. 1909 introducta est causa Beatificationis et Canonizationis ven. servae Dei Philippinae Duchesne, e Societate Sororum a S. Corde Iesu ; alio eiusdem die decreto reassumpta causa B. Bonaventurae a Barcinone, laici professi O. F. M., fundatoris sacri recessus S. Bonaventurae de Urbe.

ERRATA

1. *De numismate quod est pro scapulari.* Contra ac scripsimus t. IV, n. **324**, p. 349, nuperrime accepimus, opus esse ut numismata quae quinque consuetis scapularibus substituuntur imaginem praeferant Beatae Mariae Virginis ; quae vero reliquis scapularibus substituuntur effigiem exhibeant Christi Domini. Quare numisma quod ex altera parte Salvatorem, ex altera B. Virginem repraesentet pro omnibus scapularibus gestari potest.

2. *De Ritibus.* In postremo fasciculo, p. 69, l. 29, irrepsit error qui significationem penitus mutavit. Sic porro legendum est : Congregatio vero, etsi de hac re nullo modo interrogata, praesenti decreto.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Tractatus canonico-morales

A. Boudinhon, R. D. *Biens d'Église et Peines canoniques.* 1 vol. in-8, 162 p. Paris, Lethielleux, 1909.

I. Les lois attentatoires aux biens d'église. — II. Peines canoniques contre les lois attentatoires aux biens d'église. — III. Restitution et Censures. — IV. Composition, absolution, réconciliation. — V. Actes du Saint-Siège concernant les biens d'église en France.

P. Valls Tarragò, R. D. *Manual de Pedagogia Ecclesiastica.* 1 vol. in-12, 454 p. Barcelona, Subirana, 1909.

I. Principios generales. — II. El espiritu. — III. El estudio. — IV. La disciplina.

P. Castillon, S. I. *Un problème moral:* Éducation de la Pureté. Extrait des ÉTUDES, 1909. Paris, Bureaux des ÉTUDES.

Ascetica

Ch. Sauvé, S.-S. *Le chrétien intime* : T. V : Le Culte de Saint Joseph. Élévations. 1 vol. in-12, 460 p. Paris, Vic. et Amat., 1910.

Ch. I. Les divines préparations de Saint Joseph. — Ch. II. Les divines affinités de Saint Joseph. — Ch. III. Les divines grandeurs de Saint Joseph. — Ch. IV. Les divines intimités de Saint Joseph. — Ch. V. Les divines gloires de Saint Joseph.

Th. Van Kempen, O. S. B. *Kleine Meimaand voor het vrouwvolk*, of 31 overwegingen over de deugden der allerheiligste Maagd en Moeder Gods Maria. 1 vol. in-16, 100 p. Brugge, Verbeke-Loys en Cie, 1909.

Iuridica et Oeconomica

(Sine nomine). *Action Populaire. Année sociale internationale.* 1 vol. in-8, 768-198* p. Reims, Action Populaire, 1910.

P. I. La Famille : La population. — L'habitation. — L'hygiène. — L'éducation morale et sociale. — Le budget familial. — Appendice : la femme.

P. II. Le syndicalisme : Le syndicalisme ouvrier. — Le syndicalisme patronal. — Fonctionnaires et syndicalisme. — Les syndicats agricoles. — Représentation nationale des syndicats. — La solution des conflits du travail.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

P. III. L'État et les conditions du travail : Généralités. — Hygiène industrielle et sécurité des travailleurs. — Durée du travail et temps du travail. — La protection des salaires. — Le travail des femmes et des enfants. — L'État entrepreneur. — L'État et l'assistance.

P. IV. Le socialisme français, 1908-1909.

P. V. La coopération : La coopération de consommation. — Coopération professionnelle.

P. VI. L'assurance contre les Risques. Mutualité et assurances sociales : La Mutualité. — Assurance contre les risques professionnels. — Les assurances sociales.

Étranger : Allemagne, Angleterre, Autriche, Belgique, Danemark, Espagne, Hollande, Italie, Grand-duché de Luxembourg, Norvège, Portugal, Russie, Suède, Suisse. — Europe Orientale : Bulgarie, Serbie, Turquie d'Europe. — Amérique : Canada, États-Unis. — Asie : Chine, Japon. — Océanie : Nouvelle Galles du Sud, Queensland.

(Sine nomine). *Action Populaire. Manuel social pratique.* 1 vol. in-8, XXXIX-440 p. Reims, Action Populaire et Paris, Lecoffre, 1910.

Historica

Maillet-Hanquet. *L'Église et la répression sanglante de l'hérésie.* 1 vol. in-8, XI-109 p. (Bibliothèque de la Faculté de Philosophie et Lettres de l'Université de Liège : fascicule XVI), 1 vol. in-8, XI-109 p. Liège, Vaillant, et Paris, Champion, 1909.

Noël Valois. *Un plaidoyer du XIVe siècle en faveur des Cisterciens* = BIBLIOTHÈQUE DE L'ÉCOLE DES CHARTES 1908. (REV. DES QUEST. HIST. t. XLIII, p. 234).

Fritz Kunz. *Der hl. Franz von Assisi*, München (1908) Gezellschaft für Christliche Kunst. (STIMMEN AUS MARIA-LAACH, t. LXXVI, 1909, p. 227.

G. Germena. *I Bernabitti, Frammenti di storia domestica.* Torino, Salesiana, 1908. (CIVILTA CATTOLICA, feb. 1909, p. 468).

P. Egidi. *L'abbazia di San Martino al Cimino, presso Viterbo.* Roma, Santa Maria Nuova, 1907, in-8°, p. 126. (CIV. CATT. p. 469-470).

Can. E. Degani. *L'abbazione benedettina di S. Maria di Sesto in Silvis nella patria di Friuli.* Venezia, Arti grafiche, 1308, in 8°, p. 136 (CIV. CATT. p. 470).

C. Giuseppe Maria da M. Rotondo. *Le Cappuccine in Roma.* Roma, Via Veneto, 1907, in-8°, p. 100. (CIV. CATT. p. 472).

P. Raymond Genier O. P. *Vie de S. Euthyme le Grand* (377-473) 1909, in-12, 301. (REV. BÉN. 1909, 183*).

Martroye. *S. Augustin et le droit d'héritage des Églises et des monastères.* (MÉM. DE LA SOC. NAT. DES ANTIQ. DE FRANCE, 1908, p. 79-129).

Schäfer. *Die Kanonissenstifter in Deutschen.* (WESTDEUTSCHE ZEITSCHRIFT FÜR GESCH. UND KUNST. XXXII, 491-512).

J. Koschek. *Die Klosterreform Ludwigs des Frommen ein verhältniss zur Regel Benedikts von Nursia.* Greifswald Adler, 1908, in-8°, p. 77.

J. Polzin. *Die Abtswahlen in den Reichsabteien 1024-1056.* Greifswald. Abel, 1908, in-8°, p. 56.

QUAESITA VARIA

XI. De studiis requisitis ante sacras religiosorum ordinationes

Principia generalia. — Post latum decretum 7 sept. 1909, quod extensivam declarationem continet art[i] 6[i] Decreti *Auctis admodum*, 4 nov. 1892, multae in Superioribus religiosis natae sunt dubitationes de iis praesertim religiosis qui iam quaedam studia superiora vel confecerant vel facere coeperant. Quae occasio nobis fuit plures solvendi casus quibus annotationes nostras, supra, p. 46-48, decreto supposita, magis explicare ac complere potuimus. Ni fallinur, gratum non uni faciemus Superiori si potissima capita de quibus interrogati sumus, ad plurium usum hic simul collecta proponamus.

Iuvabitque prius principia proponere, quibus in causarum aestimatione quasi ducibus usi sumus.

1. Lex omnis nova futuros, non autem praeteritos casus regit. Quatenus autem varia postulant quae verbis Decreti *Auctis* nullatenus continebantur vel quae saltem ultra rationabilem et hactenus usu receptam decreti *Auctis* interpretationem progrediuntur, declarationes 7 sept. 1909 novae legis naturam sortiuntur. Neque obstat *declarationum* forma et nomen. In iure enim canonico declarationes sunt *extensivae*, quae, non minus quam ipsa lex, promulgari debent, ita ut ab ipsa promulgatione vigere incipiant.

2. In decreto *Auctis* haec pauca tantum verba habebantur de studiis ante theologiam faciendis: « Praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo. » Quae verba ita intellegebantur, ut *negative* prohiberetur confusio qua quis vellet simul theologiae simul aliis studiis operam dare, et *positive* exigeretur congruens ad theologica studia praeparatio. Quae praeparatio satis late sumebatur aliterque in alio Instituto religioso.

3. Etiam si quid minus rectum sub pristino iure sit actum, nisi plane ac manifesto contra usu receptam

disciplinam sit tentatum, aequitati canonicae repugnat ut ius quaesitum tollatur ac normalis promotio perturbetur eorum qui bona fide ad sacram ordinationem moraliter pervenerant. Quo v. gr. pacto cogere possis aliquem qui in limine sit sacerdotii ut studia humaniora perficiat? Mens autem legislatoris huic aequitati consentanea praesumi debet, praesertim cum nulla clausula sublatum dicat ius quaesitum. Clausula enim « contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis », vim potius in futurum eripit variis privilegiis et exceptionibus quae Institutis pluribus concedi consueverunt.

4. Potissima declarationum intentio ex ipsis articulis haec fuisse demonstratur, ut definitis condicionibus magis certam facerent convenientem theologiae praeparationem, atque calliditates impedirent quibus ex intensiore labore v. gr. per ferias, excusatio quaerebatur ad minuendum spatium temporis ex legis verbis necessarium.

Varii casus. — 1. *Dies a quo.* Declarationes 7 sept. 1909 prodierunt die 15 sept. in ACTA APOSTOLICAE SEDIS. Ab hac itaque die promulgatae sunt et vigere coeperunt. Quia tamen non agitur hic de lege quae inhabilitates vel nullitates inducit, uti non prohibemur sententia cui S. ALPHONSUS tamquam probabiliori adhaeret, l. 1, n. 96, ita ut obligationem legis in duos menses a promulgatione differamus. Itaque qui ante diem 15 novembris noviciatum ingressi sunt, assimilari possunt iis qui ante novam legem in Institutum religiosum cooptati sunt.

2. *Studia humaniora.* a) Postulans, peractis studiis humanioribus quae *moderna* dicuntur, inter novicios clericos cooptari potest, dummodo, ante quam philosophica studia aggrediatur, competentem saltem latinae linguae peritiam sibi comparaverit.

b) Qui ante quam praesens decretum vim suam obtineret, noviciatum ingressi sunt, nulla positiva obligatione astringuntur incumbendi per quinque annos studiis humanioribus; sed satis erit si per duos saltem annos haec studia peragant, ac praeterea ab iis non cessent nisi ad superiora studia idonei reperti sint. Sic aequa ratione quintum declarationum articulum in eos traducimus.

c) Qui ante 15 septembris, resp. novembris 1909,

philosophica studia iam per sat notabile tempus (utputa per unum vel alterum mensem) facere inceperunt, humaniora studia, quae fortasse incompleta fecerint, complere non debent, dum modo praesentibus studiis sint idonei.

3. *Studia philosophica.* a) Menti S. Sedis prorsus consentaneum est ut per duos saltem annos philosophica studia protrahantur. Donec tamen definita a S. Sede ratio studiorum non sit praecepta, positiva lege non reperimus vetitum ne variae disciplinae philosophicae intra unius anni spatium distribuantur.

b) Hactenus nulla positiva lege praecipitur ut, praeter disciplinas stricte philosophicas, scientiae vel litterae doceantur.

c) Sicubi ipsa studiorum ratio disciplinas philosophicas theologicis permixtas disposuerit, — quae ratio hodie minus probatur, — dum modo confusio ista nihil de necessario temporis spatio detrahat, ita ut nemo ante tres vel saltem duos huius modi studiorum annos *subdiaconus* ordinetur, nihil arbitramur contra praesentem legem peccatum.

4. *Studia theologica.* a) Legitimae ordinationi sufficiunt studia theologica quae ante diem 15 septembris vel novembris 1909, *per tempus sufficiens*, *privatim* sunt peracta.

b) Sed ab illa die, quae reliqua erant studia thelogica, privatim iam fieri non permittuntur.

c) Ante eamdem diem 15 sept. vel nov. 1909, studia theologica his solis disciplinis tamquam necessariis, componebantur : theologia dogmatica, morali, et scientia exegetica. Itaque usque ad illam diem, ordinandi nullam sollicitudinem gerere debuerunt de iure canonico et historia ecclesiastica. Has praesenti iure, sicut *rubricas,* inter scholae disciplinas accessorias habemus de quibus, privatim, ob gravem causam, ab aliquo alumno excultis, « praehabita iurata fide examinatorum, convalidatio dari poterit a Superiore generali, accedente voto deliberativo sui Consilii [1]. » Iurata ista fides examen supponit factum de disciplinis accessoriis quas quis privatim excoluerit. Non inter accessorias sed principales disciplinas recensemus scholam Scripturae Sacrae.

Contra, ne quidem inter accessorias disciplinas poni-

[1] Decl. 7 sept. 1909, ad VI.

mus scholam cantus ecclesiastici. Quamvis enim, Motu proprio 22 nov. 1903 (PERIODICA, t. 1, p. 34), doctrinales de musica sacra notiones tradendae sint, formalis ac specialis scholae vel disciplinae constitutio non exigitur.

d) Singuli theologiae anni a *finitis* feriis *initium* sumunt, quamvis sacrae ordinationes ab inchoatis feriis resp. post primum, alterum et tertium annum, conferri possint. Cfr. resp. ad II.

e) Nullus etiam theologiae annus completus censeri potest ante quam finale istius anni examen consuetum sit superatum. (Arg. resp. VIII.)

f) Qui ab integris triginta tribus mensibus scholae theologicae vere est ascriptus, quamvis *adversa valetudine* vel simili causa involuntaria, per unum alterumve mensem, etiam si primum, singulis annis, studiis incumbere vel lectiones audire prohibitus sit, poterit etiam praesenti iure, sine dispensatione, ordinari sacerdos, dummodo periculo facto, idoneus sit repertus, id est, scientiam sufficientem de materiis singulorum annorum demonstraverit.

Adversa inquam *valetudine*. Cum enim triginta tres menses proponantur tamquam minimum tempus, severius iudicanda est causa eorum qui, sponte vel rogante Superiore, per aliquod tempus ad alias curas diverterint. Longe minus tempus, sine apostolica dispensatione, a studiis hoc modo detrahi potest.

5. *Examina in universum*. Singulis annis examina per partes fieri possunt et post stata intervalla, utputa trium mensium, vel simul de universa anni materia. Estne stricte necesse ut singula pericula cum successu superentur? Quampiam unius periculi per aliud compensationem non detrectamus, dummodo *in summa* candidatus iudicari possit satisfecisse.

Qui periculum suae doctrinae minus bene fecerunt, rursus probandi sunt. Atque in potestate Superioris adhuc esse videtur, ut balbutiei vel timiditati non nullorum consulat per minus sollemnem scientiae exploratione, quae tamen sincera sit ac seria.

6. *Litterae testimoniales*. Per plures annos, ne ius quaesitum tollatur, erunt inter ordinandos qui vim recentium declarationum effugient. Quare, interea, in litteris testimonialibus, Superior testari poterit candida-

tum theologiae operam dedisse per tot annos quot decreto *Auctis* postulantur, ac deinde explicare quo pacto nuperrimis declarationibus vel satisfecerit vel se subducere potuerit.

XII. De bonis temporalibus Missionariorum vel Religiosorum

1. **De bonorum administratione**: iustitia et negotiatio. Praelatus quidam missionarius, operi pio praefectus, annuos reditus percipit pecuniarum quae ad opus istud pium pertinent atque in argentaria sunt depositae. Reditus stabilis solvitur 5 p. c. Observat autem a se satis facile pecunias collocari quae fenus reddant 8 p. c. Hac facta observatione, quaerit num *salva iustitia* possit pecunias istas sibi sumere administrandas, suo quidem periculo, sed etiam suo emolumento, ita ut soluto consueto fenere 5 p. c., ipse reliquum (3 p. c.) sibi retineat.

R. Id, *salva iustitia*, fieri potest, dummodo pecuniae aeque tuto apud Praelatum atque apud argentarium sint collocatae. Praelatus enim pium opus nullo tunc privat beneficio, ac solvendo stabile fenus 5 p. c., iustum ei et satis amplum tutae collocationis spondet fructum.

Verum, ex altera ratione, difficultas exoritur. Praelatus enim ex collocata suo periculo pecunia quaestum facere proponit, atque ita in vitium incurrit prohibitae negotiationis. Nec vitium declinatur eo quod nullam per pecunias partem sumat in negotiatione, sed mere eas feneri credat variis mutuatoribus. Nota enim propria negotiationis stricte lucrativae haec est, ut rem quampiam emas eo fine ut eamdem non mutatam vendas. Conductio autem et locatio morale genus emptionis et venditionis perfecte participant. Qui rem conducit, temporariam facit emptionem ; qui locat, temporariam efficit venditionem.

Quo autem fine Praelatus pecuniam istam sumit administrandam ? Nullo alio nisi ut obtentam 5 p. c. fructuosius eandem non mutatam 8 p. c. sibi collocet. Sed haec est ipsissima negotiatio quaestuosa.

Hactenus dicta ostendunt diversimode respondendum fuisse, si Praelatus prudenti administratione voluisset ipsi operi pio adicere lucrum factum. Tunc etiam iustam bonae administrationis mercedem sibi vindicare potuit, stipulando v. gr. 1 p. c. In praesenti autem causa, administratio Praelati ipsi operi pio prorsus inutilis foret.

2. **Alienatio « capitalis ».** — Benefactor quidam Instituto religioso solvit pecuniam eo fine ut ex eius reditibus alantur iuniores religiosi qui studiis incumbant. Potestne Superior pecuniam ipsam libere alienare, dummodo solitos reditus studiis religiosorum servet ?

R. Non potest. Benefactor enim voluit non solum ut annua quaedam summa studiis iuniorum religiosorum deputaretur, verum etiam ut ex pecunia in tuto collocata annuus iste proventus praestaretur. Qua cautione Superior ipsum frustraret, si pecuniam consumeret. Quare ipsam offenderet iustitiam.

3. **Dispositio propriorum bonorum.** — Potestne Superiorissa moniali imperare quampiam bonorum propriorum dispositionem, in gratiam conventus, vel operis pii ?

R. Id imperare non potest. *Per se*, praeter dotem, Institutum nihil exigere potest. Si quae approbatae Constitutiones statuant adhuc patrimoniales Sororum reditus esse conventui tribuendos, (quod tamen menti S. Sedis satis repugnat) statutum istud observari debebit. Sed Superiorissa quae ipsa de monialium bonis disponere voluerit, fecerit contra iustitiam. Neque etiam si eius assensus dispositionibus monialium postuletur, res speciem mutarit. Assensus enim, quo de prudenti et pia dispositione magis cavetur, nullum ius dat statuendi de bonis alienis.

4. **Bona Instituti quod exstinguitur.** — Religiosi quidam Instituti quod paulatim exstinguitur velint sua bona communia sororibus ab eodem Fundatore congregatis tradere possidenda.

R. Translatio ista fieri non potest nisi ex S. Sedis auctoritate. Vetitam enim continet bonorum alienationem.

5. **Possessio bonorum in Missione.** — Magna a Vicariatu quodam avulsa regio Instituti religiosi curis committitur. Quinam canonice possident bona quae religiosis missionariis donantur ?

R. Duplex est huius modi possessionis subiectum. Pars altera obtingit communitati fidelium istius missionis; pars altera cedit Instituto missionariorum, secundum regulas C. *Romanos Pontifices* [1], Leonis XIII, 8 maii 1882.

---

[1] Cfr. *De Religiosis Institutis ac Personis*, t. p. 580-596, n. **277**.

XIII. **Cooptatio exreligiosi in clerum dioecesanum**

Incardinationis condiciones. — Religiosus quidam votorum perpetuorum in Ordine regulari professus, impetrata suorum votorum dispensatione, ab Episcopo alienae dioecesis cooptatur in clerum dioecesanum per litteras Vicarii Generalis quae haec habebant : « Episcopus N. te recipit et in suam dioecesim incardinat. »

Sed cum incardinatio fieri nequeat sine priore excardinatione ex altera dioecesi et litteris testimonialibus Episcopi dimittentis, quaeritur iam utrum incardinatio praefati religiosi valeat an essentiali vitio corrupta sit.

R. Distinctione utendum videtur. Vel vota ista perpetua sollemnem praeparabant professionem, vel nullis aliis erant confirmanda. Prioris generis vota subdito servant suam dioecesim [1], quam ipso discessu plene recuperat. Quare tunc dioecesanus factus, sine excardinatione ex ista dioecesi, ad normam decreti S. C. Concilii 16 sept. 1906 [2], in aliam cooptari non potuit.

Si autem votis astrictus erat posterioris generis, ipsa professione suam priorem dioecesim amisit ; per obtentam dispensationem autem vinculum solvit quo Instituto iungebatur, ita ut, omni dioecesi extorris, in quamlibet cooptari potuerit simplici incardinatione, quae sollemnitatibus incardinationis alieni clerici obnoxia non est. Quare litterae Vicarii Generalis validae cooptationi plane tunc sufficere dicendae sunt.

XIV. **De sollemnitate votorum Monialium**

1. **Moniales Americae.** — In urbe quadam Statuum Foederatorum Americae exstabat monasterium monialium canonice cum votis sollemnibus erectum. Monialibus, aliquot elapsis annis, placuit loco moveri. Quare, consensu utriusque Episcopi, relicta priore dioecesi, in alia sedem posuerunt, ibique novicias cooptare et ad vota admittere coeperunt. Quaeritur iam num moniales in novo monasterio professae vota faciant *sollemnia ?*

---

[1] Excipe, si *in ipsa* Religione, sacro ordine auctus fuerit. Tunc enim assimulatur sollemniter professis quod ad effectus discessus ex Religione; sed sine speciali indulto vel privilegio sacros ordines ante professionem sollemnem obtinere non potuit.

[2] Cfr. PERIODICA, t. 3, n. **164**, p. 14.

R. Si principiis iuris stemus, sollemnia vota ab ipsis abiudicanda non sunt. Frustra legem quaesieris qua, praeter episcopi auctoritatem, venia etiam S. Sedis exigatur [1]. Plures tamen, ne dicam plerique Italiae scriptores, papalem clausuram sine beneplacito apostolico induci negant [2]. Validius argumentum ex stylo curiae quam ex legibus desumunt. Recenti tamen S. Sedis declaratione caremus. In causa enim Ruremondensi, 22 mart. 1895, S. Congregatio rem dirimere noluit [3]. Quare in foro externo res in incertum revocamus, in foro autem interno persuasionem de votis sollemnibus nec falsam nec tollendam existimamus.

2. **Moniales** quaedam **Belgii**, in finem vergente saec° XVIII, ut procellam gallicae perturbationis fugerent, necessitate coactae in dioecesim Hollandiae migrarunt cum animo repetendi Belgium si pax Ecclesiae restitueretur. In regimine interno, in observantia et formula votorum, nihil fuit immutatum. Sed cum aedes belgicae publicatae essent, spe reditus frustratae, in Hollandia habitare perrexerunt. Quid iam de votorum sollemnitate ?

R. Moniales istae professae sunt vel tamquam Belgii moniales, id est animo atque intentione pertinentes ad monasterium vi ipsis ereptum, vel tamquam Hollandiae moniales.

Priore intentione videntur ius ac regimen Belgii participare [4], ita ut cum omnibus Belgii monialibus votorum sollemnitatem amiserint. Si autem alterius rationis intentione ductae vota fecerint, redit dubitatio superioris casus.

Quocirca, cum rescire oporteat utrum ad normam decreti *Perpensis* an ad normam recentiorum Institutorum, quaedam, per vota minus firma, ad vota definitiva praeparatio exigenda sit, causam ad Apostolicae Sedis tribunal deferendam esse arbitramur.

---

1 Cfr. de hac re Bouix, *De iure regularium*, p. 2, c. 6, t. 1, pag. 305.

2 Cfr. notam Bizarri, *Collectanea* (1 ed.), p. 82-85, et notam p. 85, et consultorem in causa Ruremondensi, A. S. S. t. 27 (1894-95) p. 631 ss.

3 Cfr. A. S. S. l. c.

4 Cfr. in praefata causa Ruremondensi, resp. ad II.

MONUMENTA

386. — S. C. DE SACRAMENTIS

NORMAE [1] *7 FEBR. 1909*

De Oratorii privati concessione

I. ORATORIUM PRIVATUM. 1. Nota est Oratoriorum divisio in publica, semipublica et privata.

Oratorii privati seu reservati S. Sedi notio.

Eorum definitio authentice statuitur decreto super Oratoriis semipublicis, a S. R. C. sub die 22 ianuarii 1899 evulgato.

Ex eodem decreto eruitur, non tantum quod ad publica Oratoria, sed et quod ad semipublica, ius omne competere Ordinariis: « In his, sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missae sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent (Decreto cit.) ».

Idcirco privata tantummodo Oratoria S. Sedi reservantur, illa nempe tantum, « quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae, ex indulto S. Sedis erecta sunt (Decr. cit.) ».

2. Oratoria privata non conceduntur nisi ex iusta causa, uti ex. gr. : infirmitas, grave incommodum pro accessu ad publicam ecclesiam, peculiaris benemerentia erga S. Sedem et religionem, et similia.

Concessionis causae,

3. Oratoria privata vel ad tempus conceduntur, vel vita indultariorum durante, pro natura causae quae adducitur. In utroque casu, simplex Oratorii concessio importat :

et modus.

a) unius tantummodo Missae celebrationem ;

b) praecepti festivi satisfactionem, pro indultariis tantum, ad exclusionem duodecim dierum sollemniorum, et quattuor pro Gallia;

c) determinationem loci, urbis vel dioecesis, in qua erigendum est Oratorium, iuxta petita.

Formula Rescripti et relativae Brevis expeditionis regulariter est commissoria ad Ordinarium.

II. EXTENSIONES : *Ad satisfactionem praecepti diebus festis.* — Conceditur plerumque, indulto durante, et sequentibus tantum :

Variae amplificationes. 1. Personarum quae praecepto satisfacere possunt.

a) Consanguineis aut affinibus cohabitantibus, et etiamsi non cohabitantibus, sub eodem tecto degentibus ;

b) Familiaribus ;

c) Hospitibus vel commensalibus ;

d) Omnibus sub eodem tecto commorantibus, in unico casu defectus vel distantiae ecclesiae publicae ;

e) Colonis et addictis, pro Oratoriis ruralibus. In his adiunctis indultario obligatio imponitur providendi instructioni catechisticae evangeliique explicationi ;

---

[1] EX ANAL. ECCL. 1910, p. 142, quae ab EPHEMERIDIBUS LITURGICIS, ann. 25, p. 132, has normas mutuatae sunt.

f) Omnibus in castro vel magna possessione morantibus, cum obligatione iam dicta ;

g) Omnibus praesentibus non conceditur, nisi in peculiarissimis circumstantiis religiosis vel politicis, arbitrio ac sponsioni Ordinarii concessionis huiusmodi diuturnitate remissa.

2. Minus requisitae praesentiae indultarii.

2. *Ad Missam in indultariorum absentia.* — Conceditur tantum :

a) Alicui ex consanguineis aut affinibus cohabitantibus, aut sub eodem tecto morantibus, quibus iam fuit extensum indultum circa praeceptum festivum. Non conceditur nisi in indultariorum praecipuorum absentia temporanea, et determinatae personae inter consanguineos aut affines ;

b) Primori ex familiaribus, colonis aut addictis, semper in temporanea indultarii absentia, et quando iisdem extensum iam fuit indultum pro festivo praecepto.

3. Missarum quae dici possunt.

3. *Ad plurium Missarum numerum.*

a) Duobus aut pluribus sacerdotibus fratribus indultariis conceditur ut quisque suam Missam celebrare possit ;

b) Conceditur pro gratiarum actione Missa alia, praevia peculiari Ordinarii commendatione ;

c) Pro sacerdotibus hospitibus permittitur celebratio Missae in Oratorio privato familiae eiusdem in cuius domo morantur, praeviis Ordinarii litteris commendaticiis, ruri tantum, sive ob infirmitatem sive ob ecclesiae distantiam ;

d) In agonia, in obitu, praesente cadavere, in anniversaria die obitus unius ex indultariis, in die festo S. Titularis Oratorii, vel Sancti cuius nomen indultarius gerit, plures Missae et generatim tres permitti solent.

4. Dierum quibus permittuntur missae.

4. *Ad dies sollemniores.*

a) Extensio ad sollemniores dies conceditur semper cum exclusione sequentium quattuor, nempe : Patroni civitatis aut loci, Assumptionis B. M. V., Nativitatis Domini et Paschae Resurrectionis D. N. I. C. ;

b) Multo rarius conceduntur, praecedenti extensione obtenta, tres exclusi, S. Patronus, Assumptio, Nativitas ;

c) Dies sanctus Paschae nonnisi raro conceditur, praecedentibus extensionibus iam obtentis, et semper praevia peculiarissima Ordinarii commendatione, exceptione facta pro indultariis presbyteris infirmis.

5. Dioecesium plurium pro una.

5. *Ad plures dioeceses.* — Conceditur Oratorium etiam pro duabus dioecesibus, praeviis litteris testimonialibus amborum Ordinariorum ; et si petitum per extensionem alteri dioecesi, praeviis litteriis testimonialibus illiusmet Ordinarii. In utroque casu indultum conceditur in forma gratiosa, firmis manentibus consuetis clausulis quod ad Ordinarios.

Quid, si parochus bis celebret.

6. *Ad casum quo parochus bis celebret.* Conceditur facultas celebrandi in privato Oratorio, modo sacerdos celebrans non bis celebret, et sumatur extra locum in quo parochus bis celebrat.

Oratorium infirmitatis causa concessum.

7. *Ad Oratorium prope cubiculum.* — Infirmitatis causa conceditur, et infirmitate durante.

Facultas Ordinariorum.

III. Facultas Ordinariis pro privatis Oratoriis conceditur ad decem casus, tantum pro sacerdotibus aetate provectis vel infirmis, at semper pauperibus.

Dies (7 febr. 1909).

Romae, die 7 februarii 1909.

S. Congr. de Sacramentorum disciplina.

ANNOTATIO

Hoc unum observabimus, ex facta descriptione oratoriorum quae S. Sedi reservantur dubium istud manare, utrum necne velit S. Congregatio urgere responsa S. Rituum Congr. in Nivernen. 8 mart. 1879 ad II (Coll. n. 3484), et in Secovien. 10 nov. 1906, quibus Ordinarii non permittuntur in communitatibus religiosis plus quam unum oratorium concedere. Si enim responsa ista adhuc urgeantur, verum non erit nulla alia S. Sedi reservari oratoria praeter ea quae in domibus privatis eriguntur.

---

387. — S. C. DE SACRAMENTIS

RESPONSUM 2 APRIL. 1909

De impedimento impotentiae

Eme et Revme Dne,

Orator, proposito casu mulieris cui excita sunt ovaria et uterus **quaerit** *de eius habilitate ad nubendum.*

NN. parochus paroeciae S. Petri de N... dioecesis O. in Hispania, E. V. reverenter proponit, mulierem quandam M. M. in sua paroecia a pluribus annis, in statu concubinatus versari. Cum ex tristi isto statu eam vellet ereptam, ipsa certiorem parochum fecit sibi, recenti operatione chirurgica, uterum atque ovaria esse ablata. Medicus rursus qui operationem exercuit, testatus est uterum amboque ovaria esse *certo* excisa. In hisce adiunctis possumne matrimonium admittere an debeo mulierem istam pro inhabili habere ex impotentia. Et cum penitus excisa sint ambo ovaria et uterus, possumne a S. S. dispensationem impedimenti impotentiae petere, ut mulier praefata christiane vivat?

Die 3 mart. 1909

Responsum. *Matrimonium non est impediendum.*

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, relatis precibus hisce litteris annexis, omnibus mature perpensis, Amplitudini Tuae respondendum censuit prout sequitur :

Quatenus vera sint exposita detur responsum S. C. S. Officii diei 23 iulii 1890, in causa Quebecen., scilicet « *Matrimonium non esse impediendum* ».

Datum Romae die 2 aprilis 1909.

Rmo Epo
O....

D. Iorio, Subsecr.
Arth. Mazzoni, Offic.

ANNOTATIONES

1. Plura de intima responsi ratione disputanda forent quae hoc tamen loco omittenda sunt. De ipso argumento disserunt R. P. FERRERES, a quo ipsum monumentum mutuati sumus, in RAZON Y FE, 1910, p. 101 ss. et R. P. BESSON in NOUV. REV. THÉOL. p. 193.

Satis nobis sit istud observare, praesenti responso confirmari sententiam quae capacitatem nubendi non ex potentia generandi sed ex potentia copulae habendae proxime eruit.

2. Vim tamen praesentis responsi ne nimis urgeas. Datum enim videtur non in plenario coetu sed in congressu, nec quaesita est

Romani Pontificis approbatio, quia mere reiecit oratorem ad responsum ante datum S. Officii, et quod iisdem omnino verbis, similem causam solvendo, responderat: Matrimonium non esse impediendum. Responsa dat P. Besson l. c.

3. Orator perspicitur errasse, cum existimavit a S. Pontifice posse in impotentia, quae impedimentum est iuris divini, dispensari.

---

388. — S. CONGR. CONCILII

RESPONSUM 26 FEBR. 1910

De eleemosynis missarum Luxemburgen. (A. A. S. 31 mart. 1910. 2, 203)

Ep. Luxemburg. narrata consuetudine quadam qua parochi partem stipendiorum in compensationem retinent, etdubitatione exorta,

Episcopus Luxemburgensis, datis ad S. C. Concilii litteris, sub die 30 iulii 1909 exponebat ut sequitur :

« In dioecesi Luxemburgensi, ex consuetudine generali, parochi « suis vicariis relinquunt diversa iura stolae, uti sunt emolumenta « ex baptismo, ex benedictione mulierum post partum, etc. Aliam « adhuc non parvam imminutionem parochialis congrua apud nos « ex eo patitur quod, ex consuetudine immemoriali, vicarii, gene- « ratim non in domo parochiali habitantes, singulis Dominicis « diebusque festivis necnon pluribus aliis occasionibus mensae « parochi gratis assideant. Insuper parochi maiorem sibi assumunt « partem oneris ex hospitalitate et visitatione aegrotantium et pau- « perum provenientis, quin vicarii ex hoc capite nimis graventur. « Ex omnibus hisce largitionibus tractu temporum firmatis, con- « grua parochialis plus aequo diminueretur nisi exstaret aliqua « saltem compensatio, pariter ex consuetudine et tacito atque « unanimi consensu parochorum et vicariorum introducta. Ex « Missis nempe cantatis, tum fundatis tum adventiciis, quarum in « unaquaque parochia magnus exstat numerus, ideoque a solo « parocho persolvi nequeunt, parochi, cum vicariis suis eas com- « mittere cogantur, ab ea stipendii parte quae pro sacerdote cele- « brante vel in limine fundationis vel ab Ordinario pro Missa « adventicia cantanda statuta est, aliquid sibi retinent ad complen- « dam congruam modo supradicto notabiliter imminutam. Quod « pactum tacitum, die 29 aprilis 1898 a S. C. de Propaganda Fide « ad normam cuiusdam responsi S. C. Concilii diei 25 iulii 1874 « pro fundatis Missis approbatum, post decretum *Ut debita solli-* « *citudine* S. C. Concilii diei 11 maii 1904 [1], in animis plurimorum « ecclesiarum rectorum graves excitavit dubitationes. Sunt qui post « publicatum hoc decretum, cum magno congruae parochialis « detrimento, vicariis suis totum stipendium solvunt, quin aliquid « ex vetere consuetudine, supra memorata, immutare ausi fuerint, « timentes ne excitent populi admirationem turbentque bonam « pacem parochos inter et vicarios. Alii, praesertim rectores quidam « parochiarum magnarum, innixi responso S. C. de Propaganda « Fide diei 29 aprilis 1898, nil innovandum esse duxerunt, ne ad

[1] Cfr. Periodica nostra, t. 1, p. 44. 128-137.

« eas rei familiaris angustias deciderent ut, aucta disproportione « emolumentorum parochi et vicariorum, impares fierent ad « implendum obligationes receptas et suo statui convenientes.

« Attentis hisce difficultatibus quibus apud nos premuntur « parochi, a Sanctitate Tua humiliter peto ut, ad consulendum « conscientiae parochorum, ad tuendam congruam parochialem, « ad pacem ac concordiam parochos inter et vicarios servandam « et admirationem populi vitandam, praxim hucusque receptam « approbare digneris, iuxta declarationes a S. C. Concilii exhibitas « in *Monacen.* 25 iulii 1874 [1], *Hildesien.* 21 ianuarii 1898 et respon- « sum S. C. de Propaganda Fide diei 26 aprilis 1898 in *Luxem-* « *burgen.* »

Petit *usus confirmationem.*

Emi Patres S. Congregationis Concilii in generalibus comitiis die 26 februarii 1910 respondendum censuerunt :

Attentis particularibus circumstantiis iisque perdurantibus, pro facultate retinendi vigentem praxim, facto verbo cum SSmo.

Responsum *pro gratia.*

---

389. — S. CONGR. DE SACRAMENTIS

DECRETUM 7 MART. 1910

De dispensationibus impedimentorum matrimonialium quae regibus et regiae stirpis principibus sunt concedendae (A. A. S. 15 mart. 1910, 2, 147.)

Inter causas maiores Apostolicae Sedi speciali modo reservatas, dispensationes etiam illae recenseri sunt solitae, quae ad principum regiae stirpis matrimonia referuntur, exclusis ab eiusmodi utenda facultate aliis omnibus Ecclesiae Praepositis.

Ad omnem dubitationem tollendam.

Verum, quandoquidem quae observantia et consuetudine nituntur, non omnia semper sic plane definita et perspicua esse soleant ut nihil anceps relinquant ; idcirco, ne in re tanti momenti ulla possit suboriri dubitatio, SSmus D. N. huic S. Congregationi de disciplina Sacramentorum mandavit ut opportunum Decretum hac de re promulgaret.

S. C. de Sacramentis, expresso S. S. mandato declarat,

---

[1] S. C. Concilii 25 iulii 1874, — Archiep. Monacen. — In parochorum reditibus etiam Missarum fundationes, singularum parochiarum propriae, et publicae functiones occasione exsequiarum vel benedictionis matrimoniorum peragendae numerantur, quibus pro Missis sive fundatis sive casualibus certa stipendia, ordinario maiora, parocho assignantur, quae stipendia partem integralem beneficii parochialis constituunt. Quaeritur, utrum parochi impediti celebrationem harum Missarum alteri sacerdoti sic tradere debeant, ut totum stipendium constitutum pro celebratione talium Missarum solvant, an potius sufficiat ordinarium vel aliquanto maius ab Archiepiscopo statuendum, ita ut quod supersit ab ipsis parochis, quibus Missae eaedem in partem redituum assignatae sunt, tuta conscientia retineri possit.

R. Attento quod eleemosynae Missarum, de quibus in precibus, pro parte locum teneant congruae parochialis, licitum esse parocho, si per se satisfacere non possit, Missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci, sive pro Missis lectis sive cantatis.

omnes dispensationes matrimoniales regibus et regiae stirpis principibus concedendas esse speciali modo Sedi Ap. reservatas.

Itaque Sacra haec Congregatio, SSmi D. N. Pii Papae X iussa faciens, de expresso Ipsius mandato atque Eiusdem auctoritate declarat, dispensationes a quibusvis impedimentis matrimonium sive dirimentibus sive impedientibus, quae regibus ac regiae stirpis principibus erunt concedendae, Sedi Apostolicae speciali modo esse reservatas, ita ut ab huius potestatis usu excludantur Ordinarii omnes et alii quilibet, in quavis dignitate constituti ; eandemque potestatem in facultatibus cuilibet et quavis forma concessis, nullatenus esse comprehensam.

Praesentibus in perpetuum valituris, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Approbatio SSmi 6 mart. 1910.

Huius autem Decreti tenorem Sanctitas Sua in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die VI martii MCMX audivit et approbavit.

Dies (7 mart. 1910).

Datum Romae, ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die VII mensis martii anno MCMX.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*
Ph. Giustini, Secretarius.

Annotatio

Ordinarii duplicem in matrimonialia impedimenta potestatem habere consueverunt : eam quae *ordinaria* vel *quasi ordinaria* appellatur, et eam quae specialibus facultatibus ipsis delegatur.

Procul dubio, nulla iam *delegata* ipsis facultas in matrimonia principum regiae stirpis valebit.

Sed nec *ordinaria*. Haec enim lato usu tantum ordinaria dici potest. Namque iure proprio Episcopi nec impedimenta constituere nec dispensare possunt. « Certissimum illud, ait R. D. Dr De Becker[1], ex generalibus principiis iuris consectarium innumera documenta pontificia corroborant. » Quare ista Episcoporum potestas potius *quasi ordinaria* vocatur. Amplissimis praeterea verbis *quaelibet* regum et principum regiae stirpis impedimenta S. Sedi *speciali modo* reservantur. Dicta de peccatis, huius modi verba etiam ordinariam auferunt inferioribus Praelatis iurisdictionem. Quidni perinde valeant in causa praesenti ? Observes ipsum decretum. Duo statuit : ab usu potestatis in praefata matrimonia excluduntur Ordinarii ; nec potestas in ista matrimonia in facultatibus cuilibet et quavis forma concessis umquam comprehenditur.

Haec tamen de foro exteriore et impedimentis publicis sint dicta. Fac enim principem regiae stirpis occulto ex illicita copula impedimento affinitatis detineri. Cum famae tutandae ius servet, Confessarius qui Apostolicam petat dispensationem poterit ipsum principem simplici Titii nomine designare. Sin aliter vix non paenitentem prodet. Quare etiam si habituali polleat Paenitentiariae facultate ea nobis uti posse videtur. Sic saltem opinamur.

---

[1] *De Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 2, p. 301 nota.

390. — S. CONGR. DE SACRAMENTIS

DECLARATIONES 12-13 MARTII 1910

Decreti « Ne temere » de Sponsalibus et Matrimonio Romana et aliarum (A. A. S. 31 mart. 1910, 2, 193.)

Dies deliberationis.

In plenariis comitiis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum habitis, die 12 martii 1910, sequentia proposita fuerunt dirimenda dubia nimirum :

Dubia.

I et II. Quid « regio » in art. VIII ?

I. Quid intellegendum sit nomine « regionis », seu in qua distantia debeant versari contrahentes a loco in quo est sacerdos competens ad assistendum matrimonio, ut hoc possit valide et licite iniri coram solis testibus ad normam art. VIII decr. « *Ne temere* ».

II. Accidit non raro ut ob sacerdotum inopiam plures paroeciae ab uno tantum parocho regantur, qui easdem omnes singulis mensibus invisere nequit. Sunt pariter quaedam amplae paroeciae, vicos etiam cum sacello publico valde dissitos continentes, qui infra mensem, tum ob viarum asperitatem, tum ob fluminum impetum lustrari a parocho nequeunt omnino, nec parochus a fidelibus adiri potest. Quaeritur : *a*) Possintne fideles paroeciarum in primo casu, elapso mense quin parochus advenerit, valide ac licite matrimonium contrahere coram duobus testibus tantum, iuxta art. VIII ; *b*) Quilibet vicus in secundo casu possitne tamquam « regio » haberi, ita ut ibi degentes facultate praefati art. VIII uti valeant.

III. Quid si in fraudem legis ?

III. Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat qui in « regionem », de qua art. VIII *in fraudem legis* se conferat.

IV. Qualitas testium ?

IV. An possint adhiberi ut testes mali christiani atque adeo pagani in ordine ad observandas praescriptiones art. II, III, VII et VIII.

V. Menstrua commoratio et vagi ?

V. Quod ad menstruam commorationem et vagos quaeritur : *a*) Utrum commoratio menstrua, de qua in art. V, § 2, sit accipienda *sensu relativo*, i. e., quod ad eos qui alibi habent domicilium aut quasi-domicilium, an sensu *absoluto*, seu quod ad illos qui nullibi praedictum domicilium aut quasi domicilium aut quasi-domicilium habent ; *b*) Utrum parochus vel Ordinarius proprius, de quo eodem art. V, § 3, sit parochus vel Ordinarius commorationis menstruae sensu absoluto acceptae ; *c*) Utrum nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, ii omnes veniant qui destituuntur domicilio et quasi-domicilio, an ii tantum qui, domicilio et quasi-domicilio destituti, praeterea nullibi habent parochum vel Ordinarium commoratione saltem menstrua acquisitum.

VI. De tacita et habituali delegatione vicariorum.

VI. Accidit ut parochorum coadiutores ab Episcopis nominentur, et quidem ex iure particulari facultate assistendi coniugiis non sint instructi ; tamen usuvenit ut, ab incepto officii exercitio, parochis non contradicentibus, sed irrequisita eorum licentia, matrimoniis assistant, in libris etiam matrimoniorum adhibentes solam sui ipsorum subscriptionem ; immo, praesertim in maioribus paroeciis, semper vel fere semper matrimoniis assistant. Quaeritur in casu : *a*) An matrimonia coram coadiutoribus hucusque inita, tacentibus parochis, sint valida ; *b*) Quatenus affirmative, an licite coadiutores se gerant in assistentia conubiis praestanda ab incepto officii

exercitio, absque expressa parochorum delegatione ; *c*) Utrum tolerari possit mos ut coadiutores omnibus vel fere omnibus matrimoniis in paroecia assistant, an potius parochi urgeri debeant ad hanc assistentiam ut plurimum et ordinarie per seipsos explendam, nisi legitima et gravi causa, onerata ipsorum conscientia, impediti fuerint, quo in casu deputationem coadiutoribus conferant, et ita solitis verbis conubia in libris matrimoniorum describantur.

VII. De sponsalibus Hispaniae et Amer. Lat.

VII. Utrum per art. I decreti maneat abrogatum ius speciale ante illud decretum in Hispania vigens, et ad Americam Latinam extensum, vi cuius ad valorem sponsalium requirebatur scriptura publica *a notario* subscripta.

VIII. Matrim. in eccl. regularium.

VIII. Utrum Ecclesiae regulares exemptae ad tenorem decreti existimari possint et valeant tamquam territorium parochi seu Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae, ad effectum assistentiae matrimonii.

IX. De annotationibus in registris et dispensationibus a forma substantiali.

IX. An et quomodo annuendum sit petitionibus quorundam Ordinariorum, nimirum : 1° Episcopi Rosensis, postulantis dispensationem ab obligatione imposita per art. IX, § 2, annotandi in libro baptizatorum coniuges tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse ; 2° Vicarii Apostolici Kiam-Si Orientalis, postulantis dispensationem non solum ab obligatione annotandi matrimonium contractum in libro baptizatorum, sed etiam in libro matrimoniorum ; 3° Quorundam Ordinariorum Sinensium qui quaerunt : Utrum responsum S. C. C. diei 27 iulii 1908, ad VII, restringatur ad solos duos casus tunc in quaesito propositos ; et, *quatenus affirmative*, postulant ut responsum extendatur ad alios casus verae necessitatis ; 4° Episcopi Mangalorensis, qui postulat ut sibi facultas detur permittendi ut matrimonium celebratum in libro matrimoniorum describi possit a sacerdote qui ex delegatione parochi matrimonio astitit, quando parochus sit absens.

Et E^mi^ Patres ad huiusmodi dubia ita respondendum censuerunt :

Responsa.

Ad I. R. Ad 1um. Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia Sacerdotis competentis ad assistendum semper ac, elapso iam mense, Sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat.

Ad II. Ad 2um. Provisum in primo.

Ad III. Ad 3um. Affirmative.

Ad IV. Ad 4um. Quod ad qualitates testium a decreto « *Ne temere* » nihil esse immutatum.

Ad V. Quod ad 5um. Ad *a* et *b*. Provisum per responsum ad quintum [1], datum a S. C. Concilii die 28 martii 1908.

Ad *c* : Nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, veniunt omnes et soli qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae commorationis.

Ad VI. Quod ad 6um. Ad *a* : acquiescant, facto verbo cum SS^mo^ ; ad *b* : serventur de iure servanda ; ad *c* : quod ad assistentiam matrimoniis a parochis personaliter praestandam, Archiepiscopus pro suo iure urgeat si quae sunt de ea re leges Concilii Provincialis. Quod ad descriptionem matrimonii celebrati, servetur art. IX Decreti « *Ne temere* » et praescriptum Ritualis Romani.

Ad VII. Ad 7um. Affirmative.

Ad VIII. Ad 8um. Affirmative.

---

[1] Mendose scriptum pro *Ad quartum*.

Quod ad 9um. Ad 1um. Non expedire et ad mentem. Mens est, ut Ordinarius aliique ipsius cooperatores quantum in Domino possunt, satagant illam perniciosam superstitionem ab animis fidelium avertere, qua ab usurpandis Sanctorum nominibus in baptismo receptis deterrentur. Doceant ipsos frequenter, idcirco nomina iis imponi Sanctorum, ut eorum exemplis ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur. Parochis vero aliisque animarum curae praepositis sacerdotibus commendent, ut quam diu illa perniciosa superstitio eradicari non possit, omni, qua valeant, diligentia libros parochiales conscribant, etiam adhibita opera aliorum, quorum industria ea in re iuvari posse credant. Quod si in casu particulari verum nomen coniugati scire non poterunt, stante morali impossibilitate legem observandi, ea non obligantur. *Ad IX.*

Ad 2um. Non expedire quod ad utrumque et ad mentem. Mens est : Ordinarios curare debere, ut a Missionariis regesta celebratorum matrimoniorum diligenter conficiantur et conserventur, iisque pro suo prudenti arbitrio praescribere cautiones ad vitanda incommoda exposita, adhibitis etiam, si opus fuerit, signis conventionalibus.

Ad 3um. Quod ad 1um, Negative ; quod ad 2um, Provisum in primo.

Ad 4um. Pro gratia, prudenti arbitrio et conscientiae Episcopi.

Die autem 13 eiusdem mensis et anni, SSmus Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii, supra relatas resolutiones ratas habere et approbare dignatus est. *Approbatio SSmi (13 mart. 1910).*

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
Ph. Giustini, Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Inter has declarationes, binae priores sane eminent, quae in art. VIII Decreti *Ne temere* definiunt quid nomine *regionis* intellegendum sit.

Et conferenti quaestiones cum responsis, perspicitur S. Congregationem hoc in primis tradidisse, rem sub alio atque interrogantium respectu esse considerandam. Quaerebatur de *regione*, utrum esse posset una paroecia, paroeciae vicus, an amplior requireretur divisio localis, ac petebatur indicatio distantiae qua minister competens abesse deberet. S. Congregatio autem, omissa omni geographica vel locali consideratione, ad id unum mentem convertit, utrum necne *absque gravi incommodo* sacerdos competens haberi vel adiri posset. Nec genere quodam incommodi sententiam suam circumscripsit, ita ut grave cuiuslibet rationis incommodum sufficere posse iudicaverit. Sufficere autem *moralem* parochi absentiam, iam declaraverat S. C. Pr. Fid. in celebri responso 1785, de insula Curaçao.

Haec, si rem animo libero perpenderis, plana esse videbuntur. Porro in hanc conclusionem ducunt, ut S. Congregatio, pro notione locali, quae variis dubietatibus locum dabat et uni tantum obstaculorum generi occurrebat, alteram simpliciorem et universaliorem substituere voluerit, notionem, inquam, *incommodi gravis*, quo omnibus bonae voluntatis christianis sacrum ius sartum tectumque esset contrahendi matrimonium quod nulla lege divina vel ecclesiastica prohiberetur. Observes etiam, in responsione quae matrimonium coram solis testibus fieri permittit « semper ac, elapso iam mense, sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat, » nulla voce postulari ut incommodum sit *commune*.

Age iam, si memores, etiam sub superiore iure, fuisse qui, ut v. gr. Ballerini [1], necessitatem communis difficultatis ad excusandum a forma Tridentina negaret, sub praesenti autem iure eandem diserte negari a R. D. Heiner, Auditore S. Rotae [2] a Card. Gennari in pluribus sui commentarii editionibus [3], nonne inferes, S. Congregationem ad sententiam Doctissimi Cardinalis suum responsum accommodasse?

Hinc iam magnum pondus accrevit sententiae secundum quam, in variis Europae regionibus, ubi, spreto matrimonii sacramento, lex civilis civile, quod aiunt, sancit matrimonium poenisque plectit caerimoniam religiosam nisi prius legi civili sit satisfactum, in istis, inquam, regionibus fas esse dicitur sponsis qui sola lege civili nuptiis prohibentur ut, omisso sacerdote, coram duobus testibus nuptias efficiant. Id diserte iam docuerunt in Italia, R. P. Oietti S. I. professor Universitatis Gregorianae [4]; Dr Miguel de Arquer [5]; in Belgio, R. D. Desmet [6]; in Gallia, tamquam probabile, R. D. Choupin [7]. Quibus, iam ante praesens responsum, favere videbatur R. P. Lehmkuhl S. I. [8]. Auctoritates istae, quae, secundum probata principia, profecto satis sunt ad extrinsecam probabilitatem conciliandam, ex praesenti responso in sua sententia certe confirmabuntur. Cum enim expresse permittatur ut coram duobus solis testibus matrimonium fiat quotiescumque sine magno incommodo parochus haberi nequeat, et nemo incommodum negare possit quando parochus, civilibus poenis retentus, assistere vel alterum sacerdotem delegatum procurare renuat, praesens responsum non paucis ita videbitur in casum nostrum cadere ut omnem dubitationem sublatam existiment.

Sic, v. gr., nec immerito, R. D. Desmet opinatur [9]. In cuius sententiam ultro concedimus, si ad sola declarationis verba animum adverterimus. Sed in re quae ad usum plurium regionum et gentium tantopere interest, atque, ut omnis huiusmodi causa, praeter commoda etiam sua habet incommoda, valde veri simile putamus futurum esse ut ex incommodis difficultates proponantur S. Sedi, quae hanc movere possunt ut nova declaratione praesentem restringat. Fieri enim solet ut incommoda regiminis quod diu invaluit minus sentiantur: « ab assuetis non fit passio », et quadam inconsiderantia praetermittantur, dum novae condicionis incommoda animos facile percellunt. Quis in Anglia, ubi annotatio religiosae celebrationis matrimonio effectus etiam civiles tribuit, quis in Italia, ubi impune saltem in facie Ecclesiae contrahitur, quis, inquam, sacerdos vel catholicus desideret legalem istam servitutem quam in Belgio, in Gallia, alibi etiam, catholici patimur? In hisce tamen regionibus, dixeris servitutis consuetudine quandam veluti libertatis formidinem generari. Erunt itaque qui timebunt ipsam matrimonii religiosi facilitatem, cum foedus leviter contractum leviter etiam posthabeatur, praesertim si omni civili

---

1 *Opus morale*, tr. 3 n. 143 ss. (ed. 3, n. 319 ss.); et tr. 10 n. 1199 ss.
2 Archiv fur k. Kirchenrecht, 1908, p. 485 ss.
3 *Breve commento sulla nuova legge sugli sponsali e sul matrimonio*, ed. 7, p. 64.
4 *In ius antepianum et pianum*, etc. n. 122.
5 *Novisima disciplina sobre esponsales y matrimonio*, 2e ed. n. 294.
6 Collationes brugenses, t. 15, p. 106 ss.
7 *Des fiançailles et du mariage*, p. 157. — 8 *Theol. mor.* 11 ed. II, 892.
9 Collationes Brugenses, t. 15, p. 313-315.

praesidio destitutum cernatur. Afferent etiam probabilem legislatoris civilis offensionem, quod erepta sibi viderit tela quibus suo matrimonio civili et legibus principalitatem vindicare voluit. Quae omnia speciosa esse et gravi digna consideratione non diffitemur.

Si tamen praesentis declarationis confirmatio catholicis sponsis immunitatem det a civili persecutione, restitutam libertatem laeti excipiemus. Hodie enim nihil magis exitiosum optimo cuique videtur quam generalis ista atque ingravescens principiorum christianorum oblivio de re publica, de familia, de liberorum institutione. Quid autem in argumento nostro factum cernimus? « Cavendum magnopere » dixit Leo XIII [1], ne in errorem mentes inducantur a fallacibus conclusionibus adversariorum qui eiusmodi potestatem (regendi matrimonia) ademptam Ecclesiae vellent. » Errore tamen isto magis ac magis imbuuntur animi. Quin immo, ab ipsis sacerdotibus iam probatur quandoque et laudatur civilis matrimonii institutum. Quonam autem pacto mentes populares sensim sine sensu non erudiantur religiosae celebrationi praestantiorem ac potiorem habere civilem, quae sola dat omnia iura exteriora, et quae ab ipsa auctoritate ecclesiastica tanto honore affici videtur, ut si civiles nuptias facere nequeas, frustra tibi sacramentales speres? Triumphus ille quem Status modernus, qui matrimonium profanare (saecularizare) studuit, de Ecclesia deportat, longe maius malum nobis videtur omnibus incommodis restitutae libertatis, quae ad veram de matrimonio doctrinam inculcandam non parum valere potest. Ceterum, obiecta incommoda non ita difficulter magnam partem imminui possunt.

Etenim, ante quam sponsi catholici validum coram duobus testibus, sine sacerdote, foedus matrimoniale iungere possint, requiri videtur aliqua parochi interpellatio, velitne an non, per se vel per delegatum, nuptias benedicere. Nostro namque civili iure poenae non ipsis sponsis intentantur [2], sed ministro sacro et testibus, quatenus delicti a ministro sacro commissi auctores vel complices fuerint.

Quare, si parochus incommodum suum neglegere voluerit vel arte quadam declinare potuerit, reipsa dat sponsis sacerdotis competentis copiam qua ipsi utantur necesse est.

Quin immo, cum ipse Ordinarius matrimoniis assistere possit, ipse etiam interpellandus per se fuerit. Sed quia plerisque sponsis aditus ad Ordinarium, in nostris saltem regionibus, difficilis sit ac molestus, et mos receptus sit ut per parochum ad Ordinarium recurrant; cum praeterea idem impedimentum civile Ordinarium non minus quam parochum retineat, atque is, moraliter certo, ab Ordinario normam suam agendi mutuetur, existimamus sufficere ut sponsi parochum interpellent ipsumque rogent ut si ipse nec assistere matrimonio nec quempiam sacerdotem delegare ausus sit,

---

[1] Enc. *Arcanum*, 10 febr. 1880, versus finem.

[2] Res tamen non caret aliqua dubitatione. Plerumque enim ipsi sponsi suasores erunt et complices sacerdotis, ita ut videantur cadere in art. 66, 67 et 69. Codicis poenalis, qui poenis plectunt quotquot alieni delicti fuerint auctores vel complices. Nondum tamen sponsi condemnati sunt, et cum in deliberationibus Parlamenti declaratum sit sponsos non attingi lege (Cod. poen. art. 267) quae contra ministrum sacrum est directa, poenae potius immunes iudicandi sunt.

saltem per Ordinarium procuret ministrum sacrum, vel ipsis aliter prospiciat.

Facta autem interpellatione, per triginta nihilo minus dies erit matrimonium differendum. In quo temporis intervallo, parochus condicionem et omnes rationes propositi matrimonii explorare et de eo ad Ordinarium referre poterit. Qui, si, omnibus perspectis, timuerit ne factum matrimonium scandala generet vel gravia pariat mala, poterit iure suo uti interponendi *vetitum Ecclesiae*, in iure canonico plane receptum, quo sponsi matrimonium facere prohibeantur. Quae prohibitio, praesenti iure, mediatam, in ipsum matrimonii valorem, efficaciam exserere potest. Ad valorem enim matrimonii, ultronea parochi assistentia postulatur. Nec possunt partes niti art. VIII ut sine ministro contrahant, quando parochus ob iustam causam, quale est vetitum episcopi, suam assistentiam detrectarit. Cfr. dicta, n. **52** op. c. in simili cassi eorum qui sine S. Sedis dispensatione mixtum matrimonium facere voluerint. Si vero, omnibus perpensis, matrimonium valde optandum videatur (v. gr. ut scandalosus concubinatus finem habeat), Ordinarius facienda prohibitione abstinebit, ac, triginta elapsis diebus, sponsi meritorie coram Deo, impune coram lege civili nuptias contrahent quibus in omnium animis firmabitur nullum esse christianis aliud vinculum nuptiale praeter illud quod Ecclesiae sit ratum et probatum.

Quae omnia ut rite observentur, potest certe Episcopus generali statuto prohibere ne quisquam facultate articuli VIII utatur ante quam ad ipsum, ubi recurrendi copia detur, causam proposuerit.

Temperato isto arti VIII usu omnis iusta offensionis causa Principi eripitur. Ceterum, cum plures iam velint pactionem matrimonialem inter mere privatas pactiones amandare, ipsa autem lex civilis ignorationem matrimonii religiosi profiteatur, numquam autem concubinatum vetet, nec in Belgio certe nec in Gallia valde timendum videtur ne legislator moleste ferat sponsos conscientiae suae consulere et privatim mutuam sibi fidem dare.

Quibus dictis, non diffitemur tamen optimum fore si potestas saecularis dexteram quam Ecclesia ei porrigit [1] stringere voluerit, ita ut statutum matrimoniale communi utriusque consilio apte et pacifice componatur.

2. Responso ad 3, confirmatur nostra sententia qua, in opere *De forma sponsalium ac matrimonii*, n. **77**, diximus, *fraudem* legi factam in quaerendo loco immuni, valori matrimonii non obstare.

3. Etiam de *testibus* dixeramus, n. **40**, idem quod iam declarat resp. ad 4, ius superius nihil esse immutatum.

4. De *menstrua commoratione*, frustra plures tentarunt aliquam quasi-domicilio servare vim ad definiendum parochum proprium. Denuo, responso ad V a et b, inculcatur quod iam decl. 28 mart. 1908 ad IV declaratum erat et satis ipsa lege expressum, menstruam commorationem pro quasi-domicilio prorsus substitutam esse. Cfr. nostram interpretationem, n. **30. 65. 98**bis. III. Quocirca, ut ad verba propositi dubii responsum aptemus, commoratio menstrua sensu tam *relativo* quam *absoluto* sumi potest.

5. Eadem responsione ad V, magis explicatur quinam nomine *vagorum* intellegantur. Et rursus quidem S. Congregatio ad

[1] Enc. *Arcanum*.

menstruam commorationem attendit. Quod et nos fecimus op. c. n. **62**. Sed praeterea, iam vagum esse negat eum qui in dioecesi quapiam menstruam habeat commorationem. Vagos enim definit, quotquot « nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae commorationis ». Magis temperate dixeramus n. **62**, cum possint in ipsa dioecesi esse vere vagantes. Prudentis parochi erit a temeraria celebratione sibi cavere.

6. Ex responsione ad VI colligimus dubium visum esse valorem tacitae delegationis quae ex cognito quopiam usu colligebatur. Responsum enim *acquiescant,* datum est *facto verbo cum Sanctissimo.* Ac dubitandi causa ea fortasse esse videtur, quod delegatio iam non valeat nisi determinato ac certo sacerdoti sit facta. Praestabit itaque *expressam* habere delegationem. Ceterum noluit Sacra Congregatio personalem parochorum assistentiam urgere, sed oratorem ad leges provinciales reiecit.

7. Responsione ad VII confirmatur solutio nostra, data op. c. n. **33**, secundum quam speciale Hispaniae regimen pro *sponsalibus* est suppressum.

8. Procul dubio ecclesiae *regulares* non hac ratione sunt exemptae ut pro aliis effectibus atque ipsa exemptio extra fines paroeciae esse putentur. Quod responso ad VIII firmatur. Quare etiam in ecclesia exempta parochus territorialis matrimonio valide intererit, et licite quidem, annuente ecclesiae Rectore.

9. Nono responso variis petitionibus satisfit. a) In dioecesi Rossensi [1] exstare videtur superstitio qua a pronuntiando nomine sancti patroni ex baptismo aeque ac Iudaei a nominando Iahve deterrentur. Vult S. Congregatio ut superstitio ista pro viribus eradicetur. Interea tamen fiet ut impossibilitas moralis a lege excuset.

b) Diversi generis incommoda, timor fortasse vexationum, moverunt Vicarium Apostolicum Kiam-Si Orientalis, ut dispensationem peteret ab omni matrimoniorum annotatione. Aliis cautionibus est huic necessitati occurrendum, ut S. Congregationis menti satisfiat.

c) Die 27 iul. 1908, concessa est Episcopis Sinensibus facultas, pro casibus verae necessitatis, dispensandi a forma substantiali, cum potestate eam facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus [2]. Quia ipsi Episcopi allegarant matrimonia inter baptizatos et non baptizatos contracta, vel contracta inter catholicos qui sub paganorum potestate sunt constituti, interrogarunt utrum necne in omnes necessitatis casus facultas facta valeret. Et valere quidem respondit Sacra Congregatio.

d) Denique episcopo Mangalorensi facultas data est permittendi ut, absente parocho, delegatus matrimonium inscriberet.

---

[1] A. A. S. loquuntur de episcopo *Rosensi.* Sed cum sedes Rosensis (Rosea) sit titularis, scriptum istud putamus pro Rossensi episcopo in Hibernia (Ross), Suffraganeo metropolitanea ecclesiae Casalien. (Cashel).

[2] Cfr. PERIOD. 4, p. 270.

391. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSA 14 ET 15 MART. 1910

De competentia in Curia Romana (A. A. 15 apr. 1910, 2, 229.)

A. *De facultate celebrandi tres missas Nativitatis Domini in sacellis publicis et ecclesiis*

Dubium. Propositio dubio « utrum post Constit. *Sapienti Consilio* spectet ad S. Congr. de disciplina Sacramentorum concedere facultatem legendi tres Missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis publicis et Ecclesiis quae ad hoc privilegio apostolico indigent [1], cum distributione SSmae Eucharistiae ; an potius hoc tribuendum sit Sacrorum Rituum Congregationi », Emi Patres sacrae Congregationi Consistoriali praepositi, re mature considerata, respondendum censuerunt : « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. »

Responsum.

Approbatio SSmi. In audientia autem infrascripto Card. Secretario die 11 martii 1910 concessa, SSmus D. N. resolutionem ratam habuit et confirmavit.

Dies (14 mart. 1910). Die 14 martii 1910.

C. Card. De Lai, *Secret.*
Scipio Tecchi, Assessor.

B. *De facultate acquirendi bona ordinibus aut congregationibus religiosis usurpata*

Dubium. Sacra Congregatio Concilii, cum ipsi oblatae essent preces a Vicario Capitulari cuiusdam dioecesis circa emptionem aedificii Ordinis Regularis, cui a gubernio civili iamdudum ablatum fuerat, huic Sacrae Congregationi Consistoriali proposuit dubium « utrum, post Constitutionem *Sapienti Consilio*, spectet ad S. C. Concilii, vel potius ad S. C. de disciplina Religiosorum, facultas permittendi christifidelibus, ut bona acquirant Ordinibus aut Congregationibus religiosis usurpata ».

Responsum. Re autem mature perpensa et praehabito consultorum voto, Emi Patres respondendum censuerunt : « spectare ad Sacram Congregationem « Concilii ».

Approbatio SSmi. In audientia autem die 11 martii 1910 infrascripto Cardinali Secretario concessa, SSmus D. N. resolutionem probavit.

Dies (14 mart. 1910). Die 14 martii 1910.

C. Card. De Lai, *Secret.*
Scipio Tecchi, Assessor.

C. **Romana**. *De Societate Missionariorum Africae*

Orator. **Quaesitum.** Quaesitum nuper est a Superiore Societatis Missionariorum Africae, vulgo « Pères Blancs » nuncupatorum, utrum haec Societas, etiam post Constit. *Sapienti Consilio*, subiecta maneat S. Congregagationi de Propaganda Fide.

Responsum. Et S. Congr. Consistorialis, re mature perpensa, respondendum censuit : *Affirmative*, iuxta resolutionem huius S. Congreg. in *Romana*, diei 9 decembris 1909, relate ad quasdam alias Missionariorum societates.

Dies (15 mart. 1910). Die 15 martii 1910.

Carolus Perosi, Substitutus.

---

[1] De sacellis quae generali privilegio ornantur, cfr. Periodica t. 3, n. **225**, p. 168 et t. 4, n. **303**, p. 311.

ANNOTATIONES

1. Ne quispiam miretur societatem Missionariorum Africae quibusdam aliis saecularium sacerdotum missionibus simpliciter aequiperari, memorabimus socios mere iuramento oboedientiae vinciri nec voto paupertatis teneri. Quare, contra ac Sorores dictae *Sœurs blanches*, religiosam Congregationem non efficiunt. Quamquam etiam religiosa Missionariorum instituta resolutionis 9 decembris nobis expertes non videntur. Cfr. dicta supra, p. 89, in annotationibus nostris.

2. Dum binae priores resolutiones a SS. D^no^ probantur, de approbatione tertiae siletur. Cuius diseriminis haec ratio est, tertiam resolutionem planam et simplicem visam esse ita ut inter graviora acta non sit quae, ex C. *Sapienti*, S. Pontifici significanda sunt. (Cfr. PERIODICA, t. 4, p. 230.)

---

392. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECLARAT. EX AUDIENTIA SS^mi^ 5 APR. 1910

De postulantibus non admittendis, ex decr. « Ecclesia Christi » 7 sept. 1910 (A. A. S. 15 apr. 1910, 2, 231)

Dubia.

Circa Decretum *Ecclesia Christi* d. d. 7 septembris 1909 *De quibusdam Postulantibus in Religiosas Familias non admittendis*, ab hac Sacra Congregatione Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, sequentium dubiorum solutio expetita fuit :

De noviciis iam receptis.

I. An postulantes ad Noviciatum admissi ante publicationem decreti et in ipso comprehensi, valide ad professionem admitti queant, absque venia Apostolicae Sedis.

De iis qui primam iam fecerant professionem.

II. An ii, qui in aliqua Familia Religiosa primam tantum professionem emiserant ante publicationem decreti, valide admitti possint ad alteram professionem, scilicet sollemnem in Ordinibus Regularibus, et perpetuam in ceteris Institutis, si in decreto comprehensi fuerint.

De « aequivalenter » dimissis.

III. An valide et licite ad Noviciatum admitti possint postulantes, qui a Seminariis vel a Collegiis sive ecclesiasticis sive religiosis, vel a Noviciatu dimissi quidem non fuerunt *formaliter*, sed *aequivalenter*, id est, quos Superiores induxerunt vel hortati sunt, ut sponte discederent ne dimitterentur.

De iis qui vota temporaria sponte non renovarunt.

IV. An recipi valeant ii qui professionem votorum temporaneorum in aliqua Congregatione emiserunt, sed, peracto tempore, eandem sponte non renovarunt.

Responsa.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit :

Ad I.

Ad I. Negative.

Ad II.

Ad II. Affirmative ; sed Superiores sub gravi obligatione tenentur : *a*) opportunas, secretas iuratasque informationes exquirere Superiorum Seminarii, vel Collegii, vel Instituti religiosi *a quo*, circa veras causas exitus alumnorum, de quibus agitur ; *b*) moraliter aliunde certos fieri et de bonis eorum religiosis moribus, et de solidae vocationis argumentis, et, si agatur de clericis candidatis, etiam de idoneitate litteraria. Et Superiores *a quo*, graviter onerata

eorum conscientia, tenentur sincere et sub iuramento secretas huiusmodi informationes a Superioribus *ad quos* exquisitas transmittere.

Ad III. Ad III. Valide quidem per se, sed omnino illicite. Et ad fraudes vel abusus e medio tollendos in re tanti momenti, Superiores nullum ex huiusmodi candidatis admittant, antequam per accuratas et secretas informationes a Moderatoribus Seminariorum, vel Collegiorum ecclesiasticorum sive religiosi Instituti, in quo novitii fuerunt, sub fide iuramenti habitas, certi omnino fuerint, candidatos, de quibus agitur, neque formaliter dimissos fuisse neque aequivalenter. Quod si de candidatis clericis agatur, pariter constare debet de eorum idoneitate litteraria.

Ad IV. Ad IV. Affirmative, praehabitis tamen iuratis informationibus, ut supra, in responsione ad II et III.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
D. L. *Ianssens*, O. S. B., *Secretarius.*

Annotationes

1. Modo recitata responsa eam dant decreto 7 sept. 1910 interpretationem quae sanis iuris principiis omnino est consentanea.

a) Servandam enim volunt verborum proprietatem. Quocirca cum, ex decreto 7 septembris 1910, postulantes quidam non a solo noviciatu sed etiam a professione repellantur, declarant ad I iam receptos novicios lege attingi quod ad suam professionem. Cfr. ceterum priorem declarationem 4 ian. 1910, et annotationes supra p. 97. 98.

b) Strictam tamen faciunt interpretationem decreti quod libertatem aufert rei per se permissae et laudabilis, et novas inducit nullitates. Quare, decreto eximunt quotquot iam primam fecerunt professionem (ad II), vel aequivalenter tantum sunt a noviciatu vel collegiis ecclesiasticis demissi (ad III); vel elapso votorum spatio vota sponte non renovarunt (ad IV). Cfr. nostram interpretationem p. 55_4.

2. Responso ad 3 confirmatur nostra sententia qua dimissos intelleximus eos solos qui exire *iussi sunt*, non autem qui sponte sunt egressi vel dispensationem impetrarunt.

3. Simul, in responsis ad II et ad III, novae sumuntur opportunae provisiones. Quo magis caute ad ulteriorem professionem admittantur qui sub nova lege a prima arcerentur, Superiores iubentur sub gravi exquirere secretas et iuratas informationes a Superioribus Seminarii, vel Collegii vel Instituti religiosi, qui easdem dare sub gravi peccato praecipiuntur. Atque aliunde etiam certi fieri debent de perfecta idoneitate illorum qui ad professionem ulteriorem admitti velint.

Et quod ad aequivalenter dimissos, responso ad IV efficaciter eorum ingressus vetatur, quamvis valide recipiantur. Quocirca Superiores debent de candidatis qui Seminario, Collegio ecclesiastico vel religioso Instituto tamquam novicii valedixerint, diligenter, per iuratas informationes, certiores fieri candidatos non fuisse aequivalenter dimissos. Nulla, hoc loco, respondendi obligatio imponitur. Sed si iuratam informationem non obtineant, praesto est sanctio : candidatus est repellendus, cum de eius idoneitate non constet.

4. In suis annotationibus, R. P. Besson (Nouv. Rev. Théol. 1910, p. 267 ss.) sapienter monet decreto non attingi candidatum qui « in postulatu » ut aiunt, seu ante veri noviciatus initium dimissus sit, neque eum qui ab uno Ordine ad alterum legitime transeat.

5. Nobiscum R. P. Ferreres (Razón y Fe, 1910, p. 100, n. 15) putat inter dimissos non esse ponendos novicios qui mere ob male affectam valetudinem vel similem causam inculpatam et per se mutabilem, egredi debuerint. Ceteros autem omnes qui *relative* tantum seu comparate ad quodpiam Institutum necessariis talentis vel dotibus carere videntur ideoque dimittuntur, praesenti lege comprehensos putamus. Sin aliter, nimis arbitraria interpretatione legem enervaremus.

6. Nobiscum etiam, R. P. Ferreres existimat, n. 21, in idem Institutum iterum recipi posse qui nullatenus dimissi sed obtenta votorum dispensatione discesserunt. Quod si *aequivalenter* non autem formaliter dimissi fuerint, responsione ad 3 dicemus eos *valide* quidem sed *illicite* etiam in idem Institutum receptum iri.

---

393. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRET. EX AUDIENTIA SS^mi 5 APRIL. 1910

Declaratio et extensio decreti « Cum minoris », die 15 iunii 1909 editi (A. A. S. 15 april. 1910, 2, 232)

Proposito plurium casu,

Cum in aliquibus Congregationibus et Institutis Religiosis non habeatur professio votorum perpetuorum, sed tantum vel temporalium, vel etiam merum iuramentum perseverentiae, aut peculiares quaedam promissiones, quibus alumni, peracta probatione, Instituto vel Congregationi ligantur; et cum decretum Sacrae Congregationis de Religiosis d. d. 15 iunii 1909, quo nonnullae praescribuntur clausulae, Rescriptis saecularizationis perpetuae vel temporaneae ac dispensationis votorum inserendae, expresse respiciat sacerdotes et clericos, in sacris constitutos, qui professionem votorum perpetuorum emiserunt; hinc dubium exortum est, utrum iisdem clausulis servandis teneantur sacerdotes et clerici in sacris constituti, qui non quidem professionem votorum perpetuorum, sed vel temporalium tantum, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones, ad normam suarum Constitutionum, ediderant et ab iisdem dispensationem obtineant.

quaeritur *num officiantur decreto 15 iun. 1909 de saecularizatis.*

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit:

Respondetur.

Affirmative, si Religiosi votis temporaneis, vel iuramento perseverentiae vel supradictis promissionibus per sex integros annos ligati fuerint.

Affirmative post 6 annos obligationis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
D. L. *Ianssens*, O. S. B., *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Decretum *Cum minoris*, 15 iun. 1909, dedimus supra, p. 41. Vis praesentis extensionis haec est ut quotquot, in sacris constituti, per sex annos completos, votis temporaneis vel iuramento perseverantiae vel peculiaribus promissionibus Instituto vel Congregationi ligati sint, indultum saecularizationis non iam (post 15 apr. 1910) obtenturi sint nisi affectum variis prohibitionibus quae in decreto *Cum minoris* sunt descriptae.

Oportet tamen ut ad *religiosum* Institutum pertineant. Notio tamen Instituti religiosi satis ample sumi videtur de quolibet Instituto ubi vita communis ducitur et vel vota temporalia habentur vel promissio qua socii Instituto vinciantur *ita ut sine dispensatione* libere abire non possent. Quare decreto non comprehenduntur quotquot, elapso obligationis spatio, iure suo utuntur repetendi saeculum.

---

394. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO 7 APRIL. 1910

De concessionibus indulgentiarum a suprema S. Congregatione S. Officii recognoscendis

(A. A. S. 15 apr. 1910, 2, 225)

Decreti causae.

Cum per Apostolicas Nostras Litteras *de Romana Curia* quae incipiunt « *Sapienti Consilio* », III cal. iul. an. MDCCCCVIII datas, *universam rem de indulgentiis*, ideoque et curam circa rectam et prudentem earum moderationem et onus invigilandi super earundem publicatione et impressione, *uni* Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii devolutam voluerimus ; ad praecavendas dubitationes quascumque quae ex concessionibus hac in materia aliter quam per praefatam Sacram Congregationem forte obtentis facile oriri possent, utque omnibus plane constet de earundem authenticitate et efficacia, Suprema Nostra Auctoritate, motu proprio atque ex certa scientia, declaramus ac decernimus :

Tenor :

De indulgentiis.

1° Indulgentias quascumque, sive generales sive particulares, quae non respiciant ipsas personas petentium tantum, a supradicta Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii esse recognoscendas ;

De facultatibus benedicendi.

2° Idem dicendum de facultatibus concessis quibusvis sacerdotibus cuiuscumque gradus et dignitatis benedicendi pia obiecta iisque annectendi indulgentias et privilegia pro quocumque vel quibuscumque christifidelibus ;

Sanctio recognitionis.

3° Concessiones indulgentiarum et facultatum, de quibus supra, vim habere tantum postquam Sacra Congregatio Sancti Officii illas authentice recognoverit.

Quid, de praeteritis concessionibus.

4° Quod ad praeteritas, demum, concessiones, eas efficaciam tantum habituras, si intra sex menses ab huius Nostri Decreti publicatione eidem Sacrae Congregationi exhibitae ab eaque recognitae fuerint ;

Quid de futuris.

5° Idcirco impetrantes posthac huiusmodi concessiones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earundem dictae

Supremae Sacrae Sancti Officii Congregationi exhibere, ut rite recognosci ac ratae haberi possint.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus. *Clausulae amplissimae.*

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die VII aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo. *Dies (7 april. 1910).*

PIUS PP. X.

ANNOTATIONES

1. Superiore iure, ex decretis S. C. Indulg. 28 ian. 1756 et 14 april. 1856, omnes indulgentiae *perpetuae* ac *prorsus* generales, seu pro *omnibus* fidelibus, quibusdam precibus aut piis exercitationibus coniunctae debebant, sub poena nullitatis, a S. Indulgentiarum Congregatione, ante earum publicationem, recognosci. Cfr. BERINGER, *Die Ablässe*, 13ª edit. p. 125.

Pronum sane fuit istud recognitionis munus ad S. Officii Congregationem traducere ex quo indulgentiarum provincia ei est commissa.

2. Sed voluit Sanctitas Sua superius ius amplificare. Quare :

a) Recognoscendas iubet *omnes indulgentias*, etiam particulares, dummodo aliis etiam personis ac petentibus prosint.

b) Recognoscendas iubet *facultates benedicendi* pia *obiecta* iisque annectendi indulgentias pro quolibet vel quibuslibet fidelibus. Prior dispositio, valde ampla, eas etiam indulgentias per se complectitur quae tam multis peregrinis, actu transeunte, dum S. Sedem vel S. Pontificem visitant, conceduntur pro parentibus, amicis, alumnis. Num lex ista tanta extensione usu vigebit ? Id factis docebimur. Interim satius erit in particulari petitione formalem petere dispensationem, si qua concedatur, a praescripto quod plerique peregrini aegre implere poterunt.

Facultates autem recognosci non debent nisi has condiciones simul habeant : a) ut sint facultates benedicendi *pia obiecta* b) iisque annectendi indulgentias et privilegia c) pro quolibet vel quibuslibet christifidelibus. Postrema ista distinctio facta esse videtur ut contineantur cum obiecta quae pluribus successive (puta crucifixi imaginem quae pluribus aegrotis tradi possit osculanda) tum ea quae singula singulis sunt tradenda : ita rosaria, numismata.

Hac itaque lege afficiuntur numismata S. Benedicti, rosaria cum indulgentiis crucigerorum, numismata quae pro scapularibus gestari possunt [1].

Non autem afficiuntur facultates dandi benedictionem apostolicam, inscribendi in confraternitates, quamvis inscriptio postulet benedictionem rosarii vel scapularis.

Facultates *concessae* eae intellegendae sunt quae *immediatam* a S. Sede originem habent, atque alia via ac S. Officii sunt impetratae, non autem eae quales per delegationem vel communicatio-

[1] Facultatem istam, quae a S. Rituum Congregatione tribuitur, occasionem dedisse praesenti decreto, coniectura non improbabili suadetur. Observes vim verborum quibus praerogativa S. C. S. Officii in praefatione extollitur.

nem accipiunt a Superiore generali inferiores, a moderatore archisodalicii directores sodaliciorum, etc. Huiusmodi enim facultates secundariae vel delegatae in recognitis principalioribus vel delegantis facultatibus contentae sunt.

Quia tamen clausulae et verba amplissima sunt, et decretum dicitur motu proprio atque ex certa scientia conditum, omnes indulgentias vel facultates a S. Sede immediate concessas novae legi arbitramur obnoxias, eas etiam quas S. Pontifex in audientia sit largitus.

3. **Quaeres** qua ratione S. Officium indulgentias et privilegia vivae vocis oraculo concessa recognoscere queat? Hac ratione, quae ex Urbe nobis est proposita. Qui vivae vocis oraculo gratiam obtinuerit, in duplici exemplari, haec fere scribat : « NN.... testatur se die... anno... a S. Pontifice Pio X (hac vel illa occasione, coram his vel illis) oraculo vivae vocis facultatem accepisse..... quae, pro debita recognitione, hisce S. Officio exhibetur.

« Quod affirmo et testor

NN... (indicetur domicilium). »

Recognitae et probatae facultatis alterum exemplar remittetur ad oratorem, alterum in archivio S. Officii manebit.

4. Legi additur *sanctio,* quae tribus postremis articulis explicatur.

a) Concessae facultates et indulgentiae a facta recognitione *initium* habent.

b) Sub poena nullitatis exemplar concessae gratiae est S. Officio exhibendum. Atque, ut modo dicebamus, iuvat bina tradere exemplaria.

c) Praeteritae concessiones *efficaciam* tantum *habiturae sunt* si intra sex menses ab huius decreti publicatione (id est a 15 aprilis 1910) eidem S. Congregationi exhibitae fuerint.

Efficaciam intellegas permanentem seu definitivam : interea enim usus gratiae ante promulgatum decretum factae, nec valore caret nec prohibetur.

4. Gradus denique vel dignitas sacerdotis eum ab ostendenda gratia non eximit. Quocirca etiam gratiae quas Episcopi vel Cardinales obtinuerint S. Officio exhibendae sunt.

DECRETA SUMMATIM RELATA

395. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Insignia choralia concessa capellanis Basilicae Lapurdensis.* (A. A. S. 15 maii 1910, 2, 317.)

Dies et argumentum litterarum. Quis usus insignium liceat.

Litteris in forma brevis, 5 iul. 1909, SS. D. N. Pius Pp. X, varia concessit insignia quibus capellani titulares Basilicae Lapurdensis uti possent intra fines dioecesis Tarbensis; qui vero honoris causa, sine numeri limitatione, annuente ipsorum Ordinario, adduntur capellani, in templo tantum B. Virginis.

B. *Confraternitas Virginis de Sion pro Iudaeorum conversione, privilegia obtinet archisodalicii.* (A. A. S. 15 mart. 1910, 2, p. 137.)

Societatis origo, finis, diffusio.

Litteris in forma brevis, 24 aug. 1909, sodalicium cui vulgo titulus *Associatio precum pro Iudaeorum conversione impetranda*, a Parisiensi civitate per orbem diffusum ita ut circiter centum millibus sodalibus constet, quodque sacerdotes dicti *Nostrae Dominae de Sion* moderantur, Hierosolymis, in ecclesia ad arcum *Ecce Homo*, ubi 17 april. 1908 canonice erectum est, centrum obtinet atque ad archisodalicii titulum et gradum evehitur. Moderatori et officialibus praesentibus et futuris dictae Societatis conceditur, ut, servatis de more servandis, societates eiusdem nominis et instituti ubique terrarum archisodalicio aggregare possint, facta indulgentiarum et relaxationum communicabilium communicatione.

Concessa privilegia archisodalicii sodalicio hierosolymitano.

C. *Translatio ad omnes fideles indulgentiae concessae confratribus recitantibus coronam pretiosissimi Sanguinis.* (A. A. S. 15 mart. 1910, 2, 138.)

Indulti summa.

Litteris in forma brevis, 9 dec. 1909, SS. D. N. Pius indulsit ut quotquot fideles, manu gestantes appositum rosarium rite benedictum, lucrari possent pro quolibet *Pater* et *Gloria Patri* indulgentiam 50 dierum, defunctis applicabilem, quam Leo XIII de 18 sept. 1893 Confratribus a pretiosissimo Sanguine concessit. Exemplar litterarum praecipitur sub poena nullitatis exhibendum S. C. S. Officii.

Praecepta exhibitio.

Quod die 13 dec. factum est.

Dies exhibitionis.

D. *Indulgentiae et privilegium altaris B. M. V. « a Fraxino, » in dioecesi Veronensi.* (A. A. S. 15 mart. 1910, 2, 140.)

Litterarum argumentum.

Litteris in forma Brevis, 5 ian. 1910, sanctuario B. M. V. a Fraxino conceditur altare privilegiatum, missa votiva B. M. V. indulgentia plenaria et partialis.

E. *Indulgentiae sodalicii « Mariae reginae Cordium, » in Urbe, et privilegium altaris pro sociis.* (A. A. S. 31 mart. 1910, 2, 185.)

Litterarum argumentum.

Litteris in forma brevis, 1 febr. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X indulgentias nonnullas concessit sodalicio *Mariae Reginae Cordium*, penes collegium Montfort in Urbe instituto, et sacerdotibus sodalibus privilegium altaris personalis, ter in hebdomada.

F. *Erectio novi Vicariatus in imperio Sinensi.* (A. A. S. 15 mart. 1910, 2, 141. 142.)

Novi Vicaritus nomen, origo, administratio.

Litteris in forma brevis, 14 febr. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X, in separatum Vicariatum apostolicum, sub nomine Ce-li Centralis, districtum Pao-ting-fou, Vicariatui Ce-li Septemtrionalis seu Pekinensi hactenus coniunctum, erigit, Sacerdotum Missionis curis tradendum. Limites novi Vicariatus simul describuntur.

G. *Hortationes episcoporum Mexicanorum, occasione sollemnium saecularium institutae reipublicae.* (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 98.)

Litterarum dies. Factae commendationes.

Litteris 23 febr. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X episcopos Mexicanos hortatur ut occasionem sollemnium saecularium arripiant ad excitandos christianos populi spiritus. Commendat praecipue perpetua opera quibus christianae populi institutioni consulatur, pietatem erga B. M. V. cuius celebre est templum Guadalupense, sollemnem sponsionem de religiosa festorum observantia, frequentem Eucharistiae usum, opera beneficentiae, christianas operariorum consociationes quibus ipsi suis rationibus prospiciant, scriptionem diariorum et libellorum periodicorum catholicorum : « certe nihil est quod hodie pluris interesse putemus. »

H. *Dioecesis Akcrensis ab Amadiensi Chaldaeorum iterum disiungitur.* (A. A. S. 15 mart. 1910, 2, 142.)

Nova provisio ae dioecesi Ackrensi. Superior memoratur eiusque incommoda.

Litteris 24 febr. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X dioecesim Akcrensem a dioecesi Amadiensi, ritus Chaldaici, separat, ac *provisorie et ad interim* patriarchae Babylonensi Chaldaeorum *pro tempore*, etiam per Vicarium ad arbitrium amovibilem, administrandam committit. Dioecesis ista dioecesi Amadiensi per litteras apostolicas 23 apr. 1895, perpetuo accessorie unita fuerat. Sed experientia demonstravit, ob varias etiam itineris difficultates, ecclesiam istam ab Amadiensi Episcopo bene administrari non posse. Hinc nova provisio.

I. *Indulgentia partialis perpetua pro fidelibus insularum Philippinarum, orationem recitantibus in honorem SS. Trin. Cordis Iesu, Virg. Imm. et S. Ioseph* (A. A. S. 15 ap. 1910, 2, 226.)

Litteris apostolicis 4 mart. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X, instantibus Delegato Apostolico et Ordinariis Philippinarum insularum, indulgentiam 7 annorum piae orationi coniunxit.

K. *Consociatio precum pro Scandinavorum conversione in abbatia S. Mauritii Claravallenis instituitur.* (A. A. S. 31 mart. 1910, 2, 187.)

Sodalicium canonice erigitur cum indulgentiis.

Litteris in forma brevis, 8 mart. 1910, in abbatia Claravallensi, dioecesis Luxemburgensis, sodalicium ad impetrandam Scandinavorum conversionem canonice erigitur cum facultate ascribendi socios ubique terrarum et consuetis indulgentiis.

L. *Approbatio Congregationis Missionariorum dicta a Steyl.*

Approbatio definitiva.

Die 5 april. 1910, S. Pontifex Constitutiones Societatis divini Verbi (Steyl) in perpetuum usum approbavit.

M. *Erectio sodalicii Missae Reparatricis in archisodalicium pro universa Helvetia.* (A. A. S. 30 april. 1910, 2, 282.)

Litterarum argumentum. Sodalicii finis.

Litteris apostolicis 6 april. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X sodalitatem Missae Reparatricis, Friburgi Helvetiorum canonice erectam, in archisodalicium pro universa Helvetia erigit, facta potestate aggregandi sodalicia et communicandi indulgentias. Huc spectat huiusmodi sodalicium, ut per alterius Missae auditionem reparetur honor Dei quem laedunt christiani qui diebus festivis sacro interesse neglegunt. Archisodalicia gentilicia huius rationis iam exsistere dicuntur in Gallia, Belgio, Hollandia, Austria, Britannia, Hispania ac Germania.

Archisodalicia aliarum gentium.

N. *Indulgentiae concessae consociationi sacerdotum in honorem SS. Cordis Iesu.* (A. A. S. 15 maii 1910, 2, 318.)

Consociationis finis et promotores. Dies gratiae.

Litteris in forma brevis, 9 april. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X, consociationi sacerdotum quam, ad excitandos actus amoris et reparationis erga SS. Cor Iesu, ubique, annuentibus Ordinariis, *Presbyteri saeculares, dicti a SS. Iesu Corde* (Congregationis cui praeest Rmus L. Dehon) ubique instituere student, plenarias et partiales indulgentias in perpetuum largitur.

O. *De consociatione S. Cordis Iesu ad Scholam Piam.* (A. A. S. 31 apr. 1910, 2, 281.)

Decreti summa.

Motu proprio 10 april. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X consociationem S. Cordis Iesu pro ex-alumnis scholarum elementorum ad aream Piam et vicinis adulescentulis institutam confirmat, et aulam Piam a se erectam, sodalibus Marianis a Misericordia custodiendam et curandam concredit.

P. *Erectio ecclesiae « Bon Secours » in basilicam minorem.* (A. A. S. 15 maii 1910, 2, 323.)

Dies. Erectio basilicae minoris.

Litteris in forma brevis, 13 april. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X ecclesiam parochialem marialem pagi vulgo *Bonsecours*, dioecesis Tornacensis, titulo ac privilegiis basilicae minoris decoratur.

Q. *De administratione dioeceseum suburbicariarum.* (A. A. S. 31 april. 1910, 2, 277.)

Dioeceses suburbicariae per Episcopos suffraganeos in posterum vice Cardinalium administrabuntur.

Bulla 15 april. 1910, peculiaribus necessitatibus occurrere volens dioeceseum suburbicariarum, quarum administratio per Cardinales Episcopos, in Urbe residentes, in dies fit difficilior, SS. D. N. Pius Pp. X, confirmans ceterum receptum ius optionis Cardinalibus concessum, statuit singulis dandum esse suffraganeum Episcopum, a S. Pontifice nominandum, qui nomine et vice Cardinalis dioecesim gubernet. Quaenam partes maneant Cardinali, quaenam provincia suffraganeo concredita sit accurate deinde definitur.

R. *Centenaria festa Card. Ioannis Bona.* (A. A. S. 15 maii 1910, 2, 325.)

Approbatio et laudes SSi.

Litteris 25 april. 1910, S. Pontifex plane probat festa quibus in dioecesi Vicodunensi (Mondovi) celebrare parant trecentesimum Card. Ioannis Bona natalem diem. Magnis laudibus Cardinalem istum effert.

S. *Collegium Iosephianum in civitate Manila, Societati Iesu restituitur.* (A. A. S. 15 maii 1910, 2, 326.)

Aequitati consulens, S. Pontifex vult ut S. I. collegium recuperet.

Litteris 3 maii, ad R. P. D. Agius, Delegatum Apostolicum per insulas Philippinas, S. Pontifex voluntatem suam esse declarat ut, sublatis obstaculis, collegium Iosephianum, a RR. PP. Dominicianis reddatur Sodalibus Iesu, quibus ex votis conditoris semper committi debuit. Id aequitate ductum se facere, profitetur S. Pontifex.

396. — *S. CONGR. S. OFFICII (Sectio de indulgentiis)*

Indulgentiae concessae (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 100.)

Oratio privilegiata.

Orationi ad S. Raphaëlem pro migrantibus variae tribuuntur indulgentiae.

397. — *S. C. CONSISTORIALIS*

A. *Suppressio decreti S. C. de Propaganda Fide 25 febr. 1896 et Varia decreta S. Congr. Conc. de clericis qui dioecesim mutant.* (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 102.)

Occasio responsi.

Cum, interroganti Episcopo Superiorensi, de permanente vi instructionis S. C. de Propaganda Fide, 25 febr. 1896 ad R^mos^ Ordinarios Stat. Foeder. Americae Septemtr., S. C. Consistorialis, die 9 dec. 1909 respondendisset post *C. Sapienti* standum esse decretis S. Congr. Concilii, simul placuit decreta ista enumerare et quasi uno conspectu offerre legenda.

Vigentia decreta.

Sunt autem : Decretum 14 nov. 1903 de clericis in Americam et ad insulas Philippinas profecturis ;

Decreta 20 iul. 1898 et 24 nov. 1906 de clericorum et laicorum excardinatione et sacra ordinatione ;

Decretum 22 dec. 1905, de seminariorum alumnis.

B. *De insula S. Honorati* (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 108.)

Insula pars manet dioec. Foroiuliensis.

Facta deliberatione de mutanda condicione insulae S. Honorati, de mandato SS^mi^, ex aud. 18 febr. 1910, statutum est, ut nulla admissa mutatione, dioecesi Foroiuliensi ut antea, tamquam pars perpetuo servaretur. Die 22 febr. 1910.

C. *De vetita divulgatione eorum qui in Foederatis Americae Septemtrionalis Statibus ad sedes episcopales occupandas proponuntur.* (A. A. S. 30 april. 1910, 2, 286.)

Summa decreti lati a S. Pontifice.

Variis permotus incommodis divulgationis, SS. D. N. Pius Pp. X, decreto 30 martii 1910, imponit dioecesanis consultoribus et parochis qui suffragium ferunt pro prima candidatorum propositione, ab initio sessionis, iusiurandum de obtegendis secreto nominibus quae in deliberationem venerunt vel episcopis proposita sunt. Violatum iusiurandum gravi poena plectitur. Praeses coetus episcoporum debet episcopos de secreto, quod *sub gravi* iis imponitur, monere. *Sub gravi* etiam obligantur Apostolicae Delegationis administri. Et exemplar decreti est in singulis curiis episcopalibus servandum.

D. *Commutantur fines dioecesium canadensium.* (A. A. S. 15 maii 1910, 2, 329.)

Dies et argumentum decreti.

Ex mandato Pontificis, decreto 9 april. 1910, pars quaedam paroeciae S. Gabrielis de Brandon a dioecesi Ioliettensi separatur, atque paroeciae S. Caroli de Mandeville, in dioecesi Trifluvianensi coniungitur.

E. *Nova regula cancellariae de Constitutionibus apostolicis.* (A. A. S. 30 apr. 1910, 2, 287.)

Quo modo in posterum subscribentur et asservabuntur Constitutiones Apostolicae.

Decreto 15 apr. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X statuit ut Constitutiones Apostolicae in posterum subscriberentur simul a Cardinali S. R. E. Cancellario et a Cardinali qui officio praeest cuius res agitur, et ut in Apostolicae Cancellariae tabulario custodiretur et servaretur duplex Constitutionum exemplar, alterum a Romano Pontifice, alterum a memoratis Cardinalibus subscriptum.

F. *Competentia de taxis curiarum episcopalium.* (A. A. S. 15 maii 1910, 2, 329.)

Competentia S. C. C. confirmatur.

Decreto 21 april. 1910, S. C. Consistorialis, probatam a Pontifice resolutionem edit, qua declaravit manere S. Congi Concilii suam competentiam ad approbandas taxas curiarum episcopalium, et conexas quaestiones dirimendas.

G. *Erectio novae dioecesis in America.* (A. A. S. 15 maii 1910, 2, 331.)

Nova dioecesis.

Decreto 15 april. 1910, erecta est sedes episcopalis Toletana, in Stat. Foed. Amer. septemtrionalis, in prov. ecc. Cincinnatensi.

H. *De pileolo violacei coloris episcopis concesso.* (A. A. S. 15 maii 1910, 2, 230.)

Omnibus Epis usus pileoli inter litandum conceditur.

Dum antea, secundum communem in Urbe existimationem, episcopi non poterant, sine speciali indulto, quod impetrari consueverat, uti inter litandum pileolo violaceo, S. C. Consistorialis, sic mandante SSo Dno, declaravit, decreto 2 maii 1910, eos posse dum sacris operantur, non tamen a Praefatione ad susceptum corpus et sanguinem Christi, pileolum illud deferre, idque a die qua a *S. Pontifice electi sunt*, quamvis consecrationem episcopalem nondum susceperint.

398. — *SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII*

A. *De Bulla Cruciatae.* (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 109.)

Quo pacto pauperes frui possint Bulla Cruciatae.

Instante Epo Gerundensi (Gerona), post maturam deliberationem quae exscribitur, S. C. C. die 22 ian. 1910 respondit: Pauperes, ut fruantur indulto quadragesimali, non teneri ad eleemosynam largiendam; teneri autem si frui velint aliis privilegiis Bullae Cruciatae. Die 23 ian. Sanctissimus responsum approbavit.

B. *De Missis pro populo.* (A. A. S. 30 april. 1910, 2, p. 290.)

Unio non semper extinguit obligationem Missae pro populo.

S. Congr. Concilii, 9 april. 1910, in plenis comitiis, statuit, in causa Theanen. non constare de exemptione a celebranda Missa pro populo, qua quinque parochi oppidi Gallutii frui existimabant quia eorum paroeciae principali loci paroeciae unitae essent.

399. — *S. CONGR. INDICIS*

Proscripti libri (A. A. S. 15 mart. 1910, 2, p. 157.)

Decreto 7-9 mart. 1910, S. Indicis Congr. opera haec damnavit :

J. Turmel. *Histoire de la théologie positive, depuis l'origine jusqu'au Concile de Trente*, Paris, Beauchesne.

— *Tertullien*. Paris, Bloud.

— *S. Jérôme*.... Ibid.

Angel Pulido Fernandez. *Espagnoles sin patria y la raza sefardi*. Madrid, E. Teodoro, 1905.

Luis Gambara. *La sociologia*.... Barcelona, casa editorial, 1909.

— *Sociología criminal*.... Ibid. 1909.

— *Antropología criminal*.... Ibid. 1909.

— *Psicología y antropología criminal*.... Ibid. 1909.

Praeterea docemur, J. Turmel et F. Russo laudabiliter se subiecisse decreto 5 iul. 1909 quo quidam libri, ab ipsis conscripti, proscripti sunt.

400. — *S. CONGR. DE SACRAMENTIS*

De coniugibus qui in clade Messanensi et Rheginensi videntur occubuisse. (A. A. S. 31 mart. 1910, 2, p. 196-199.)

Generaliis provisio de iis qui fortasse ex clade Messanensi vidui vel viduae manserint, negatur.

In plenariis comitiis diei 12 mart. 1910, proposito dubio quo modo providendum esset iis qui, praesumendo mortem prioris coniugis in novissimo terrae motu siculo, novas nuptias inire vellent, S. Congregatio, post maturam deliberationem, respondit : « Expendendos esse ab Ordinario casus particulares, iuxta Instructionem *Matrimonii vinculo* [1] a S. C. S. Officii, datam anno 1868. »

401. — *E SECRETARIA STATUS*

A. *Varia documenta ad usum Americae latinae et insularum Philippinarum.* (A. A. S. 31 mart. 1910, 2, 213 ss.)

Epistola de suppressa bulla Cruciatae.

1. Epistola 1 mart. 1910, directa ad Ordinarios Americae latinae et insularum Philippinarum, Em^us^ Card. Secretarius Status, quasi praefando concessionibus quas simul communicabat, explicat quo pacto sine ullo incommodo aboleri possent pro istis regionibus bulla Cruciatae et Indulta quadragesimalia seu *Summaria*, et quomodo expediret non iam ab oscitantibus christianis eleemosynas cum his bullis coniunctas exigere.

Novum generale indultum de ieiuniis et abstinentia.

2. In audientia 1 ian. 1910, referente Em. Card. Secretario Status, SS. D. N. Pius Pp. X, cupiens votis obsequi Archiepiscoporum et Episcoporum Americae Latinae in plenario Urbis concessu anni 1899 expressis, et salvis communibus a lege ieiunii excusationibus, novum generale indultum in decem annos concessit quod singulis annis, a singulis Ordinariis Americae latinae et

[1] Instructio ista, quae in A. A. S. subiungitur, reperiri potest in Collect. S. C. Prop. Fid. t. 2, n. 1321.

insularum Philippinarum, facta apostolicae delegationis mentione, « simpliciter et ad litteram, prout iacet » est promulgandum. Hinc :

a) *Ieiunium sine abstinentia* a carnibus servetur feriis VI adventus et feriis IV quadragesimae.

b) *Ieiunium* et *abstinentia* a carnibus servetur feria IV cinerum, feriis VI quadragesimae, et feria V maioris hebdomadae.

Diebus ieiunii, omnes, etiam regulares, possunt in collatione serotina uti ovis ac lacticiniis. In refectiuncula matutina, salva lege parvitatis et exclusis ovis, lacticinia permittuntur.

c) *Abstinentia* a carnibus, sine ieiunio, servetur in quattuor pervigiliis Nativitatis D. N. I. C., Pentecostes, Assumptionis B. M. V. et SS. apostoloram Petri et Pauli.

Suppressis omnibus aliis indultis de ieiunia et abstinentia, etiam Cruciatae et Summariorum, confirmantur et ad insulas Philippinas traducuntur privilegia C. *Trans Oceanum*, 18 ap. 1897.

Pro usu indulti nulla taxa pecuniaria erit solvenda, sed largitionis liberae occasio offeretur fidelibus in quattuor extraordinariis eleemosynarum collectis, quae in quattuor festis de praecepto fieri praecipiuntur.

Quatenus prosit Religiosis.

Religiosi, de consensu suorum Superiorum, speciali voto non astricti, uti possunt praesenti indulto, etiam quod ad abstinentias et ieiunia in propria regula vel statuta praescripta. « Hortandi tamen sunt Superiores Regulares, praesertim Provinciales et quasi Provinciales, ut pro viribus abstinere curent ab usu huiusmodi indulti intra claustra ; subditi vero stent iudicio suorum Superiorum. »

Privilegia plura Americae latinae ad insulas Philippinas transferuntur.

3. In audientia eiusdem diei 1 ian. 1910, eodem Cardinali referente, SS. D. N. Pius Pp. X, quaedam privilegia Americae latinae a° 1900 concessa, ad aliud decennium confirmavit, eadem ad insulas Philippinas traducendo. Sunt autem : *facultas* delegandi pro Professione fidei recipienda; — convocandi ad synodum, partem tantum parochorum ; — thurificandi in missis quae in dominicis aliisque diebus sollemnibus et duplicibus 1 et 2 classis, et quotiens exponitur SSum cantantur sine ministris sacris ; — adhibendi *Memoriale Rituum* Ben. XIII pro parvis ecclesiis. Praeterea, privatio iuris deferendi habitum talarem et tonsuram in quam incurrunt ipso facto clerici ultra triennium ab omni officio et beneficio suspensi ; — causae speciales privationis ab officio et beneficio parochiali ; — facultas locandi bona ecclesiastica usque ad 9 vel 12 annos, et alienandi bona ecclesiastica quae valore 20000 libellas monetae propriae nationis [1] non superant ; — conferendi plerasque paroecias absque concursu et ad nutum ; — conferendi absque concursu, omnes canonicatus de officio.

Ad insulas Philippinas traducuntur litt. Trans Oceanum *et* Romanos Pontifices,

In audientia eiusdem diei 1 ian. 1910, referente eodem Cardinati, SS. D. N. Pius Pp X ad universam regionem insularum Philippinarum privilegia Americae latinae, per litt. *Trans Occasium* 17 apr. 1897, ita traduxit ut semper pari passu in utrisque regionibus procederent.

Atque in perpetuum ad easdem insulas *C. Romanos Pontifices*, 8 maii 1881, transtulit.

---

[1] Hoc additum putamus ne aliqui intellegant valorem aureis libellis expressum, qui longe superat valorem monetae nationalis papyraceae.

B. *De concursu ad providendum officiis curiae Romanae.* (A. A. S. 15 april. 1910, 2, 248.)

Condiciones clericis exteris impositae.

Mandato speciali SS. D. statuitur neminem e clericis alienae dioecesis partem habere posse in concursu pro officiis curiae Romanae, nisi cum litteris testimonialibus Ordinarii originis vel domicilii, nec eligi posse nisi post secretam informationem de candidato tam apud Ordinarium suum sive originis sive domicilii quam apud Urbis Vicarium. Informationes perpetuo secreto obteguntur. Condiciones istae sub nullitate nominationum requiruntur.

Exscriptae Constitutiones.

In Append. A. A. S. 2, 254 et 272 referuntur C. *Romanos Pontifices* et *Trans Oceanum.*

402. — *COMMISSIO DE RE BIBLICA*

De auctoribus psalmorum et de tempore quo scripti sunt. (A. A. S. 15 maii 1910, 2, p. 354.)

Summa responsionum de psalmis.

Responsis quae 1 maii 1910, in audientia utrique Consultori ab actis concessa, SS^mus^ probavit et publici iuris fieri mandavit, Commissio biblica de Psalmis haec, quod ad summam, respondit :

1. Neque appellationibus *Psalmi David*, etc. neque sententia plurium Patrum et Doctorum qui tenuerunt, omnes prorsus psalmos esse Davidi ascribendos, cogimur Davidem pro auctore totius psalterii habere.

2. Ex concordantia textus hebraici cum graeco alexandrino aliisque vetustis versionibus, argui iure potest titulos psalmorum hebraico textui praefixos esse antiquiores versione sic dicta LXX virorum, ac proinde, si non directe a psalmorum auctoribus, a vetusta saltem iudaica traditione derivasse.

3. Praedicti tituli, sine gravi ratione contra eorum genuinitatem, prudenter in dubium revocari non possunt.

4. Ob varia argumenta, nec prudenter negari potest Davidem esse praecipuum Psalterii carminum auctorem, nec prudenter affirmari ab eo pauca tantum carmina esse conscripta.

5. In specie negari non potest davidica origo eorum psalmorum qui in V. vel N. T. diserte sub nomine Davidis citantur, inter quos, prae ceteris recensendi sunt : ps. 2, *Quare fremuerunt* ; 15, *Conserva me* ; 17, *Diligam te* ; 31, *Beati quorum remissae* ; 68, *Salvum me fac* ; 109, *Dixit D^nus^*.

6. Admitti potest non nullos psalmos fuisse in plures divisos vel in unum coniunctos ; aliosque esse, v. gr. *Miserere mei*, leviter retractatos vel mutatos, salva totius textus sacri inspiratione.

7. Probabiliter sustineri non potest non paucos esse psalmos qui post tempora Esdrae et Nehemiae, quin immo aevo Machabaeorum sint compositi.

8. Plures agnoscendi sunt psalmi prophetici et messianici, ac proinde prorsus reicienda est eorum sententia « qui indolem psalmorum propheticam ac messianicam pervertentes, eadem de Christo oracula ad futuram tantum sortem populi electi praenuntiandam coartant ».

403. — *SACRA ROTA ROMANA*

1. Die 23 dec. 1909, in causa Parisien. constare declaravit de nullitate, ob insaniam mulieris, matrimonii inter Al. Chaubert et Elisam Weber. (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 121.)

Nullitas matrimonii ex insania alterius partis.

2. Die 19 ian. 1910, in causa Ravennaten. non constare declaravit de nullitate matrimonii quod inter Sanctum Franciscum Rinaldium et Adam Gennari erat *per epistolam* contractum (A. A. S. 31 apr. 1910, 2, 297.)

Valet matrim. per epistolam contractum.

3. Die 21 ian. 1910, tribunal istud, in causa Cracovien. constare declaravit de nullitate, ob incompetentem sacerdotem, matrimonii celebrati inter Severinum Chelkowski et Sophiam Krasinska. (A. A. S. 15 mart. 1910, 2, 169 ss.)

Nulla declarantur matrimonia ex defectu parochi vel.

4. Die 15 vel 23 febr. 1910 [1], in causa Mediolanen. constare declaravit de nullitate, de desideratam delegationem parochi assistentis, matrimonii celebrati inter S. F. Balzan et Italam Adami. (A. A. S. 31 mart. 1910, 2, 206 ss.)

Ex insufficiente delegatione.

5. Die 26 febr. 1910, in causa Parisien. constare declaravit de nullitate, ob impedimentum vis et metus, matrimonii triginta quinque abhinc annis contracti inter Catharinam Alexandri et Georgium Bal. Metum incusserat mater sponsae. Haec autem ignara impedimenti litem movere diu omisit. (A. A. S. 15 maii 1910, 2, 248.)

Nullitas matrimonii ob vim et metum.

6. Die 10 ian. 1910, in causa Gaudisien. (Gozo) inter capitulum eccl. cathedralis et clerum eccl. S. Georgii, declaravit constare de unione minus principali vel subiectiva ecclesiae S. Georgii. (A. A. S. 15 april 1910, 2, 237.)

De subiectiva unione ecclesiae.

7. Die 10 ian. 1910, in causa Calatanisiaden. (Caltanisetta) inter Dnos Tinebra et socios, et Promotorem iustitiae h. s. t. necnon Dnum Maurum Turrisi Grifeo, constare declaravit de iure patronatus Dnorum Tinebra et sociorum. (A. A. S. 15 febr. 1910, 2, 83.)

De iure patronatus.

8. In causa neapolitana, *crediti*, ubi quaerebatur num ecclesia S. Michaelis, quae, episcopali decreto, in erectione ecclesiae filialis S. Erasmi, iussa erat partem solvere annui subsidii municipalis, solvere pergere deberet postquam ipsa ecclesia filialis municipale subsidium obtinuit, S. Rota Romana, tamquam tribunal appellationis, 22 ian. 1910, obligationem permanere negavit tam ex aequitate quam ex condicione resolutoria quae obligationi tacite coniuncta videbatur. (A. A. S. 15 april. 1910, 2, 333.)

De obligatione dividendi subsidium quae, cessante causa, cessat.

9. Die 10 febr. 1910, in causa Gorisien. (Görz), Austriaci imperii, inter duos sacerdotes, Ioannem Meizlite et Sebastianum Tognon, quorum alter praesentatus erat ad paroeciam municipio urbis Grado, alter nominatus ab Episcopo, nullum et irritum declaravit concursum factum de paroecia, quia duo tantum interfuere examinatores. Causa ista, S. C. Concilii proposita, per eam, ex Pontificio rescripto, est ad tribunal Rotae delata. (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 128.)

De concursu pro parochiis.

[1] In A. A. S. dies ponitur altera in initio, altera in fine monumenti.

S. RITUUM CONGREGATIONIS
DECRETA ET RESCRIPTA [1]

404 — 11 dec. 1909. — **Curien.** (Chur.). — *De consuetudine cantandi symbolum sub offertorio* (A. A. S. 15 feb. 1910, 2, 81.)

Orator.
Dubium.

Ab hodierno R^mo D^no Episcopo Curiensis dioecesis proposito dubio : « An sustineri possit consuetudo quae in multis ecclesiis minoribus Curiensis dioeceseos ab immemorabili tempore invaluit, ut nempe in Missis cantatis, exceptis quibusdam sollemnioribus, celebrans Symbolum intonet, hocque recitato, immediate pergat ad Offertorium illudque conficiat, dum a cantoribus symbolum decantatur ?

Responsum.

Sacra Rituum Congregatio, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, respondendum censuit : *Negative*, et serventur Rubricae et Decreta.

Dies 11 dec. 1909.

Atque ita rescripsit, die 11 decembris 1909.

---

405. — 16 dec. 1909. — **Cephaluden.** (Cefalù). — *De quibusdam usibus in officio, missa aliusque sacris functionibus* (A. A. S. 15 feb. 1910, 2, 81.)

Orator.
Dubia.

Hodiernus R^mus Episcopus Dioecesis Cephaludensis a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime postulavit, nimirum :

De veneratione insigni reliquiae S. Crucis.

I. Utrum tolerari possit longaeva consuetudo adhibendi in expositione insignis Reliquiae S. Crucis D. N. I. C. nonnullos ritus qui servari debent coram SS^mo Sacramento sollemniter exposito, scilicet genuflectendi utroque genu ante eam transeundo, illam incensandi a celebrante genuflexo et illam obtegendi velo violaceo si conito habeatur ; vel potius standum sit decretis iam latis N. 2324 *Brixien.*, 15 septembris 1736, et N. 2727 *Lucionen.*, 23 maii 1835 ?

II. Et quatenus negative ad primam partem, an consuetudo illa servari possit saltem in Feria VI Parasceve, non obstante decreto N. 3201 *Montis Regalis*, 20 martii 1869, ad VII ?

---

[1] Decreta hic apposita subscripserunt Praefectus E^mus Fr. S. Card. Martinelli, et substitutus Secretari, *Ph.* Can. *di Fava*, si ambo postrema 22 et 29 april. 1910 excipias, quibus, pro substituto, subscripsit Petrus Lafontaine, Ep. Charistien. Secretarius Coniunctae autem annotationes a R. P. I. Pauwels, S. I. conscriptae sunt.

III. In choro adest consuetudo recitandi flexis genibus quocunque anni tempore, Antiph. *Salve Regina* cum versiculis et oratione *Omnipotens sempiterne Deus,* post antiphonam finalem de tempore, expleta hora prima, vel, si chorus non interrumpitur, expleta hora tertia ante Missam conventualem. Petitur, utrum servari possit ista consuetudo etiam quando antiphona finalis de tempore est *Salve Regina*, ita ut bis repetatur ; et quatenus affirmative, an semper dicenda flexis genibus etiam diebus Dominicis et tempore paschali ?

De recitatione « Salve Regina » in choro.

IV. Utrum chorus genuflectere debeat quando celebrans in missa sollemni vel in vesperis incensat SS^mum^ Sacramentum sollemniter expositum ?

De incensatione SS.

V. An pulsari possint organa cum canuntur lectiones matutini in officio defunctorum et in missa pro defunctis, quando chorus silet ?

De pulsu organi.

VI. Utrum in missa sollemni *Benedictus* cani possit ante elevationem, vel standum sit praescriptioni Caeremonialis Episc. Lib. II, cap. VIII, 70-71 ?

De « Benedictus » ante elevationem.

VII. Utrum in benedictione quae datur cum Reliquiis Sanctorum genuflectendum sit in choro vel standum ? Et quatenus affirmative ad primam partem, utrum etiam a canonicis ?

De benedictione cum reliquiis sanctorum.

VIII. Missam sollemnem in Cathedrali celebrans, quando est Canonicus, induit paramenta in aula capitulari et ministri sumunt vestimenta in sacristia. Quid de hoc ? Standumne consuetudini, an decretis N. 2703 *Recineten.*, 16 martii 1833 et N. 3937 *Urgellen.*, 11 decembris 1896 ?

De loco induendi paramenta.

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit :

Responsa.

Ad I et II. Standum decretis. *Ad I et II.*

Ad III. Negative ad utrumque. *Ad III.*

Ad IV. Negative. *Ad IV.*

Ad V. Negative ad primam partem ; et Negative ad secundam, iuxta Caerimoniale Episcoporum, lib. I, cap. XXVIII, N. 13. *Ad V.*

Ad VI. Standum Caerimoniali Episcoporum. *Ad VI.*

Ad VII. Genuflectendum est ab omnibus. *Ad VII.*

Ad VIII. Standum Decretis. *Ad VIII.*

Atque ita rescripsit, die 16 decembris 1909. *Dies (16 dec. 1909.)*

---

406 — 11 febr. 1910. — **Canonicorum Reg. Lateranentium, Cong^is^ Austriacae.** — *De calendario regularium.* (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 119.)

R^mus^ P. D. Ioseph Sailer, Moderator generalis canonicorum Regularium, Congregationis Austriacae, Praepositus et abbas S^ti^ Floriani, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur pro opportuna declaratione humillime exposuit ; nimirum :

Orator.

Dubia.

I. Ab ultimo ante tres annos defuncto Parocho perinsignis Ecclesiae Abbatialis S. Floriani, praedictae Congregationis, exstructum fuit in ipso oppido S. Floriani nosocomium, cuius administratio, iuxta statuta Suae fundationis, penes Parochum pro

De calendario sacelli conuncti nosocomio.

tempore supradictae Ecclesiae residere debet. Iam vero, in capella seu sacello dicti canonici, in quo cottidie Missa celebratur ab uno ex canonicis supra memoratae Abbatiae, usu venit ad Divina peragenda Directorium seu Kalendarium Canonicorum Regularium.

In ecclesia municipali quae parochiali est annexa.

II. Iisdem Canonicis Reg. S. Floriani, in parva civitate *Wochlabruch*, est Ecclesia parochialis, cui iam tempore Imperatoris Ioseph II annexa fuit municipalis Ecclesia, in qua pariter usu venit Kalendarium Canonicorum Regularium.

In sacellis conservatorii.

III. In eadem civitate Wochlabruch est domus Sororum scholis addictarum (*Schulschwestern*) apud quas multae puellae bonis litteris instituendae degunt. In domo hac duo habentur sacella, in quibus Sacrum peragitur et quae a duobus Canonicis Regularibus supradictae Abbatiae S. Floriani inserviuntur, cum ipsis demandata fuerit ab Episcopo Linciensi cura spiritualis tam Sororum quam puellarum.

Hisce expositis quaeritur : An in primo, secundo et tertio casu adhiberi valeat Directorium seu Kalendarium proprium Canonicorum Regularium Lateranensium praefatae Congregationis ?

Responsa.

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, ita rescribere rata est :

Ad I. Ad I. Negative.

Ad II. Ad II. Affirmative, dummodo Ecclesia sit filialis Ecclesiae Parochialis, vel praefatae Congregationi Canonicorum Regularium Lateranensium concredita.

Ad III. Ad III. In sacello principali publico vel Semipublico *negative* ; in altero sacello utpote privato, *affirmative* ; iuxta decreta nº 3862 Urbis et Orbis 9 decembris 1895, et nº 3910 Ruthenen. 22 maii 1896.

Dies (11 febr. 1910). Atque ita rescripsit, die 11 februarii 1910.

ANNOTATIONES

Responsa ad I et ad II conformia sunt principiis in decr. 4051 datis. In ecclesia quae familiae religiosae est concredita missa dicenda est secundum Kalendarium Ordinis, sed non ita in ecclesiis quae non ad ipsum ordinem pertinent, etsi forsan administratio ecclesiae ad aliquem religiosum pertineat. (Cfr. etiam PERIODICA n. **365**. t. 5, p. 75.) Idem Confirmatur decreto *Sevocien* 22 apr. 1910. (Cfr. infra n. **411**.)

Responso ad III confirmatur id quod dicebamus in PERIODICIS n. **354**, t. 5, p. 62 de oratoriis internis Sororum. Uti iam habetur in decr. 3910 solum oratorium principale habendum est ut Semipublicum, quod attinet ad usum kalendarii ; reliqua sunt privata.

---

407. — 16 febr. 1910. — **Romana.** — *Dubia quaedam circa missam votivam SS. Apostolorum Petri et Pauli, festa titularis et dedicationis ecclesiae cathedralis et lectiones I. nocturni in festis S. Francisci Xaverii, S. Antonii Patavini et S. Aloiii quando pro ipsis recurrendum sit ad commune confessorum.* (A. A. S. 15 mart. 1910, 2, 158.)

Dubia.

De 3a orat. in missa votiva SS. Petri et Pauli.

Sacrorum Rituum Congregationi nuperrime proposita sunt, pro opportuna solutione, sequentia dubia ; videlicet :

I. Utrum ad Missam votivam Officio votivo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli respondentem, in Vigilia Omnium Sanctorum

sub die 30 vel 31 octobris, tertia oratio debeat esse *Concede nos famulos tuos* de Beata Maria Virgine ; an potius *Deus, qui corda fidelium* de Spiritu Sancto, quae ad Missam ipsius Vigiliae uti secunda praescribitur ?

II. Utrum festum titulare ecclesiae cathedralis cum sua Octava, extra ipsam Cathedralem, habendum sit tamquam festum primarium, vel secundarium ?

De qualitate Festi Titularis,

III. Utrum festum dedicationis ecclesiae cathedralis cum sua Octava, extra ipsam Cathedralem, sit aestimandum tamquam festum primarium, an vero ceu festum secundarium ?

et Festi dedicationis eccl. cathedr.

IV. Utrum in festis Sanctorum Francisci Xaverii, Antonii Patavini, et Aloisii Gonzagae, si pro lectionibus I Nocturni recurrendum sit ad Commune Confessorum, lectiones sint sumendae e primo, an potius e secundo loco ?

De lectionibus II noct. in festis S. Fr. Xav., S. Antonii Pat. S. Aloysii Gonzagae.

Et Sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita respondendum censuit :

Responsa.

Ad I. *Affirmative* ad primam partem ; *negative* ad secundam, in casu proposito.

Ad I.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem ; *negative* ad secundam, iuxta Decretum Generale nº 3810, diei 27 augusti 1893 ad I.

Ad II.

Ad III. *Affirmative* ad primam partem ; *negative* ad secundam, iuxta Decretum Generale nº 3863 *Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae*, diei 9 iulii 1895 ad II et III, ubi Ecclesia Cathedralis dicitur omnibus e Clero propria aut ratione beneficii, aut ratione subiectionis, etiam pro Regularibus.

Ad III.

Ad IV. *Negative* ad primam partem ; *affirmative* ad secundam.

Ad IV.

Atque ita rescripsit, die 16 februarii 1910.

Dies (16 feb. 1910).

Annotationes

1. Ad 1. In vigilia omnium sanctorum, commemoratio communis ex rubrica recitanda est de Spiritu sancto, sed, si occurrit hac die festum semiduplex, ex decreto 2205 ad I recitanda est eius loco oratio *A cunctis*. Porro ex rubricis Missalis in missa apostolorum Petri et Pauli numquam dicitur oratio *A cunctis*, sed eius loco recitatur oratio B. M. V. *Concede*. Praesens decretum idem faciendum praescribit si in hac vigilia dicitur missa votiva horum apostolorum. Solutio non valet de missa votiva aliorum apostolorum in quibus ex decreto 3612 ad I dicitur oratio *A cunctis*.

2. Ad 2. Inter festa primaria, in rubricis breviarii enumerantur titulus ecclesiae et anniversarium dedicationis *ecclesiae propriae* ; anniversarium vero ecclesiae non propriae habendum est ut secundarium ex decr. gen. 3881 : Iam vero ex decreto gen. 3863 ecclesia potest esse propria diverso titulo scilicet aut ratione beneficii aut ratione subiectionis, et sic ecclesia cathedralis propria censenda est pro omnibus utriusque cleri qui in dioecesi commorantur. Hoc autem, ex praesenti decreto, sufficit ut praedictum anniversarium habendum sit tamquam primarium. Unde, sicubi, ut in Belgio, Gallia et alibi, una eademque die celebretur anniversarium omnium ecclesiarum dioeceseos, praedictum anniversarium, etsi de se secundarium est in ecclesiis vel oratoriis non consecratis (decr. 4 mart. 1901 ad 3. Cfr. Period. t. 3, p. 120), tamen habendum esse ut primarium etiam in praedictis ecclesiis vel oratoriis non consecratis, si ibidem fieri debet de anniversario dedicationis ecclesiae cathedralis i. e. in omnibus ecclesiis saecularibus et in ecclesiis

regularibus quae exstant in urbe episcopali. Aliud consectarium est ibidem in anniversario dedicationis omnium ecclesiarum prohiberi missas de Requiem etiam praesente corpore (decr. gen. 3541).

3. Ad 4. Difficile videtur afferre rationem cur in praedictis festis potius lectiones *Beatus* 2° loco assignato legendae sint quam lectiones *Iustus* 1° loco assignato. Decreto 3767 ad 8 responderat Congregatio rationem habendam esse ad aetatem, unde plerumque concluserant auctores lectiones *Iustus* legendas esse pro sanctis qui ante quadragesimum aetatis annum obierunt, quod hic tamen non verificatur.

Si in officio approbato aliae indicatae essent lectiones, haec conservari deberent.

---

408. — 9 mart. 1910. — **Mutationes in Breviario, Missali et Rituali.** — *Monitum ad editores librorum liturgicorum* (A. A. S. 31 mart. 1910, 2, 205.)

Mutationes in Breviario.

I. In rubricis Generalibus Breviarii Romani tit. IX, n. 6, post festum Nativitatis B. M. V. inseri debet *Septem Dolorum, Dominica tertia septembris.*

II. In parte hyemali Breviarii Romani in festo S. Thomae Aquinatis, die 7 martii, ubi legitur : « *Lectio IX, de Homilia etc.* », substituantur verba : « *In Quadragesima, lectio IX, de Homilia et comm. Feriae* ».

III. In Rubrica Breviarii et Diurnalis quae invenitur die 16 septembris in festo Ss. Cornelii et Cypriani Mm. et quae incipit : « Si festum Ss. Cornelii et Cypriani occurrerit Dominica, etc..... » et concluditur *in I Vesp. et Laud. tantum*, verba *I Vesp. et* deleantur.

In Missali.

IV. In Missali Romano, tum in festo Ss. VII Fundatorum, tum in Missa *Intret* de Communi plurim. mart. 1 loco, ad Graduale legendum ; « *in generationem et generationem* », prouti legitur in textu S. Scripturae, Eccl. 44, 14.

In Rituali.

V. In Rituali Romano, benedictio novae campanae, quae ad usum ecclesiae, sive sacelli, inserviat, approbata per decretum S. R. C. 22 ianuarii 1908, ponatur inter benedictiones reservatas in appendice, ante benedictionem simplicem novae Campanae, quae tamen ad usum Ecclesiae non inservit, nuper reformatam [1].

VI. Item in Rituali Romano, benedictio officinae librariae et machinae typographicae nuper approbata decreto 12 maii 1909, inseratur inter benedictiones non reservatas, in appendice, ante benedictionem domus scholaris noviter erectae.

DECRETUM

Decretum SSmi.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptas variationes Breviario, Missali ac Rituali Romano respective inserendas decrevit. Die 9 martii 1910.

Dies (9 mart. 1910).

---

[1] Benedictio ista, quae nunc in Rituali Romano reperitur, promulgata est una cum responsis 4 mart. 1892. Cfr. ACTA S. SEDIS, t. 25 (1892-93), p. 57. 58, ubi tamen verba quaedam in fine exciderunt.

409. — 16 mart. 1910. — **Asturicen.** — *Dubia circa quasdam consuetudines in ecclesia cathedrali asturicensi vigentes* (A. A. S. 15 april. 1919, 2, 235.)

Orator.

R. D. Antonius Fernandez Nistal, hodiernus Caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Asturicensis, de sui R^mi^ D^ni^ Episcopi mandato, Sacrae Rituum Congregationi humillime quae sequuntur proposuit dubia ; nimirum :

Dubia.

Benedictio fontis cuius aqua effunditur.

I. A priscis iam inde temporibus viget in Ecclesia Cathedrali Austericensi consuetudo sollemniter benedicendi Fontem Baptismalem in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes ; sed cum nulla sit in ea Parochia nec Parochus proprium habens territorium, absoluta Fontis benedictione, effunditur aqua in piscinam.

Cantus Evangelii.

II. In Dominicis aliisque Festis sollemnioribus Ceroferarii, dum canitur Evangelium a Diacono, non se sistunt a lateribus Subdiaconi sed a lateribus clerici qui in cornu Epistolae et versus ipsum subdiaconum sustinet Crucem Processionalem.

Habitus canonici hebdomadarii.

III. Ex immemorabili consuetudine Canonicus hebdomadarius manet omnibus diebus ad Vesperas, Festis sollemnioribus exceptis, in habitu chorali usque ad Cantium *Magnificat*, quo inchoato, medius inter duos Beneficiatos discedit in Sacrarium et, assumpto ibi Pluviali, revertitur in chorum, cantat Orationem vel Orationes Officii, et, quin dimittat Pluviale, facit Officium ad Completorium usque ad primum versum primi Psalmi, quo incepto, iterum discedit Sacrarium et, deposito Pluviali, revertitur in chorum, ut absolvat Completorium.

Quaeritur : An praedictae consuetudines sint continuandae, vel saltem tolerendae ?

Responsa.

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. II. et III. prouti exponitur, *negative*.

Dies (16 mart. 1910).

Atque ita rescripsit, die 16 martii 1910.

---

410. — 9 april. 1910. — **Meliten.** — *De quibusdam in Ordine Praedicatorum consuetudinibus* (A. A. S. 15 april. 1910, 2, 236.)

Orator.

R. D. Emmanuel Vassallo, Magister Caeremoniarum Dioeceseos Militensis, de consensu R^mi^ sui Ordinarii, Sacrorum Rituum Congregationi haec quae sequuntur dubia exposuit ; scilicet :

Dubia.

De caerimoniis coram dioecesano Episcopo.

I. An Fratres Ordinis Praedicatorum teneantur genuflectere coram Episcopo dioecesano, dum in eorum Ecclesiis assistit ad sacras functiones ?

II. An decretum S. R. C. n. 3874 *Meliten.* 30 novembris 1895, vi cuius iidem Fratres Ordinis Praedicatorum possunt in processionibus Crucifixi imaginem ad se conversam tenere, habeat locum etiam in processionibus in quibus intervenit Episcopus dioecesanus ?

III. An liceat Praelatis Regularibus privilegium habentibus, uti palmatoria, quando celebrant coram Episcopo dioecesano ?

De processione litaniarum.

IV. An qui tenentur ad processiones Litaniarum S. Marci videlicet et Rogationum, possint, processione peracta, relinquere Ecclesiam ; vel debeant exspectare donec celebrans preces post Litanias dicendas concludat ?

Responsa. Et Sacra eadem Congregatio, audita informatione R^mi P. Procuratoris Generalis Ordinis Praedicatorum, et exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurato examine perpensis, quaestionibus propositis ita respondendum censuit :

Ad I. Ad I. Cum in ritu Ordinis Praedicatorum ministri et clerus inferior non genuflectant ad Crucem, sed caput profunde inclinent, neque ad Episcopum dioecesanum in casu genuflectere debent.

Ad II. Ad II. Affirmative.

Ad III. Ad III. Affirmative, dummodo tamen Episcopus non assistat throno.

Ad IV. Ad IV. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam, et consuetudinem contrariam esse eliminandam.

Dies (9 apr. 1910). Atque ita rescripsit, die 9 aprilis 1910.

---

411. — 22 april. 1910. — **Secovien.** (Seckau). — *De usu calendarii pro regularibus, qui paroeciam in dioecesi administrant* (A. A. S. 30 apr. 1910, p. 296.)

Orator. Hodiernus R^mus D^nus Episcopus Secoviensis, a Sacra Rituum Congregatione reverenter petiit solutionem sequentis dubii :

Dubium. An Regulares, qui Paroeciam in dioecesi administrant, sive ecclesia parochialis in monasterio incorporata sive non, teneantur in missis servare calendarium Ordinis, an calendarium Dioecesanum ?

Responsum. Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio ita respondendum censuit : Si paroecia sit monasterio vel domui religiosae incorporata, aut eiusdem monasterii seu domus curae in perpetuum vel indefinitum tempus concredita, vel communitas apud ipsam parochialem ecclesiam divina peragat officia, in missis calendarium Religiosorum semper adhibeatur ; secus item in missis calendarium dioecesanum semper servetur ; iuxta decreta num. 4051 *Urbis*, 15 decembris 1899, et *Canonicorum Regularium Lateranensium Congregationis Austriae*, 11 februarii 1910.

Dies (22 april. 1910). Atque ita rescripsit, die 22 aprilis 1910.

---

412. — 29 april. 1910. — **S. Christophori de Habana.** — *Dubia circa sollemnitatem externam in Dominicam transferendam.*

Orator, R^mus D^nus Petrus Gonzalez y Estrada, episcopus Sancti Christophori de Habana in Insula Cuba, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expostulavit ; nimirum :

Memorato decreto quo sollemnitates transferuntur, Per decretum S. Congregationis Supremae Inquisitionis approbatum a SS^mo D^no Pio Papa X, dioecesibus provinciae ecclesiasticae Sancti Iacobi de Cuba concessum fuit ut, retentis quibusdam festis, alia non penitus auferantur sed transferantur, quod ad externam sollemnitatem, in Dominicam proximam non impeditam. Eiusmodi vero festa transferenda sunt sequentia : Epiphaniae

Domini, Purificationis B. M. V., S. Ioseph Conf. Sponsi B. M. V., Annuntiationis B. M. V., S. Iacobi Apost. atque Nativitatis B. M. V. Circa translationem vero externae sollemnitatis liturgice consideratae praedictorum festorum, sequentia orta sunt dubia :

Quaerit

De celebratione istarum sollemnitatum in variis diebus.

I. Sollemnitas externa festorum, de quibus supra, poteritne celebrari in Dominica sequenti, quando haec fuerit primae vel secundae respective classis ac festum transferendum ?

II. Sollemnitas externa Purificationis B. M. V. celebrari fas erit in Dominica Septuagesimae, Sexagesimae vel Quinquagesimae ?

III. Sollemnitates externae festorum S. Ioseph atque Annuntiationis B. M. V. poteruntne celebrari in Dominica Passionis ?

IV. Sollemnitas externa festi Nativitatis B. M. V. transferenda in Dominicam proximam, in qua recolitur festum SS^mi Nominis Mariae, ita celebranda erit, ut dicantur duae missae, una de SS^mo Nomine Mariae et altera de Nativitate eiusdem B. M. V. ; vel potius unica est missa celebranda maiori cum sollemnitate ; an melius transferanda erit praedicta sollemnitatis Nativitatis B. M. V. in Dominicam quartam Septembris ?

V. Quid tandem faciendum, si Dominica prima post festum S. Iacobi Apostoli transferendum quod ad externam sollemnitatem fuerit dies festus S. Annae, eiusdem ritus ac festum S. Iacobi, nempe secundae classis ?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, ita respondendum censuit :

Responsa.

Ad I. II et III. Negative, sed fiat tantum commemoratio ad normam decreti num. 3754 *Declarationes Indulti pro sollemnitate festorum transferenda*, 2 decembris 1891 ad III.

Ad IV. Ob intimam conexionem festorum Nativitatis B. M. V. et SS^mi Nominis Mariae, satis est ad finem indulti ut canatur unica Missa de SS^mo Nomine eiusdem B. M. V.

Ad V. Celebretur sollemnitas festi S. Iacobi Apostoli utpote dignioris, cum unica missa de eodem Sancto, ad mentem decreti n. 3754 ad V.

Atque ita rescripsit, die 29 aprilis 1910.

Dies (29 april. 1910).

S. R. C. DECRETA ET ACTA SUMMATIM RELATA

413. — 1. *De festo S. Coletae, pro Belgio et Gallia.* (A. A. S. 20 dec. 1909, 1, 818.)

Indultum Galliae et Belgio concessum.

Postulantibus fere omnibus episcopis Galliae et Belgii, occasione primi labentis saeculi a S. Coletae Virginis canonizatione, SS. D. N. Pius Pp. X, decreto dato 25 aug. 1909, festum huius S. Virginis sub ritu duplici minori in universis Galliae, Belgii, utriusque coloniarum regionibus die 6ª martii (quae est ipsius dies natalicia) vel, hac impedita, prima subsequenti die libera iuxta rubricas cotannis recollendum decrevit cum officio et missa in eodem decreto contentis.

ANNOTATIONES

1. Cum in decreto, quod, ut diximus, latum est postulantibus episcopis, nulla fiat mentio cleri regularis, dicendum est ad praedictum festum acceptandum regulares qui proprio utuntur calendario non teneri, immo celebrationem ipsis sine speciali indulto S. Sedis non licere. NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE (mart. 1910 p. 149) eandem sententiam propugnans, etiam argumentum sumit ex inscriptione decreti : *Dioecesum Galliae et Belgii* et *In proprio dioecesano.*

Quod ad religiosos qui utuntur calendario dioecesano, dicendum est eos certe officium illud acceptare posse. Num ad id teneantur, non tam clare apparet; solutio affirmativa videtur tamen magis consentaneamenti S. R. C. (decr. 6 dec. 1902 ad 1).

2. Dies 6 martii nuper a S. Sede electa est pro die quasi-natilicia SS. Perpetuae et Felicitatis. Cum autem ambo festa eiusdem sint ritus, qualitatis et dignitatis, ex decr. gen. 3811. II. [1] festum S. Coletae quod est in die natalicia praeferendum est festo SS. Martyrum in die quasi-natilicia tantum, ac proinde hoc secundum rubricas reiciendum est in primam diem liberam.

2. *De ecclesiae et altarium consecratione* (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 117.)

Quot cruces et quomodo signandae et ungendae.

S. Congregatio, die 14 ian. 1910, in Brunen. respondit in consecratione tum altaris fixi, tum altarium portatilium signandas et ungendas esse quattuor cruces in angulis et quintam in medio ; simul concedit ut in formandis crucibus ex incenso et in imponendis candelis episcopus a sacerdotibus adiuvetur.

[1] PERIODIC. t. 4, p. 164.

3. *De festo SS. Martyrum Perpetuae et Felicitatis.* (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 118.)

Qua die celebrandum sit festum.

Decreto 28 ian. 1910, in Meten. declaratur dies 6ª martii quae post elevationem huius festivitatis ad ritum duplicem, electa fuit ut dies *quasi-natalicia*, ita sanctarum harum propria, ut etiam in ecclesiis quarum illae sanctae sunt titulares, ipsarum festivitas hac die recoli debeat, nec iam die 7ª martii, quae est ipsarum dies *natalicia*.

ANNOTATIO

Responsio ex hoc principio facile eruitur : festa, quantum fieri potest, celebranda esse in die propria ; diem vero proprium illam esse quae a S. Sede pro celebratione festi fuit determinata.

4. *De benedictione partis tantum sacrorum oleorum.* (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 118.)

Iterata prohibitio.

Decreto in Mantuana, eodem die 28 ian. 1910 dato, iterum declaratur illicita consuetudo, etiam immemorialis, benedicendi tantum partem sacrorum oleorum eamque immediate miscendi cum oleis non benedictis ; in solo necessitatis casu additio permittitur.

5. *De machina « Grammofono » in Sacris functionibus* (A. A. S. 28 febr. 1910, 2, 119.)

Improbatus usus.

Decretum datum in Squillacen. die 11 febr. 1910, prohibet usum machinae « Grammofono » in missa sollemni et aliis functionibus pro cantu stricte liturgico gregoriano, partium variabilium missae sollemnis, hymnorum et aliorum canticorum.

ANNOTATIO

Etsi functiones, de quibus in decreto agitur intellegi possint solae functiones stricte liturgicae, dicendum tamen videtur quemlibet praedictae machinae usum in qualibet functione religiosa esse contra mentem S. Congregationis.

6. *De rythmo cantus Gregoriani* (A. A. S. 15 mart. 1910, 2, 145.)

Epistolae scriptae a Card. Praef. Rituum de servanda in exsequendo cantu Gregoriano, rythmi unitate argumentum.

Epistola 18 feb. 1910, quam, nomine S. Pontificis, ad Ill. D. Haberl, praesidem generalem coetus « S. Caeciliae » Germanorum, Ratisbonae, direxit Em. Card. Martinelli S. R. C. Praefectus, sententiam improbat, in Germania et inter Americae Septemtrionalis Germanos potissimum serpentem, secundum quam, in vulganda editione Vaticana cantus liturgici, nulla specialis rythmi forma foret praefinita, ita ut singulorum magistrorum arbitrio permitteretur notis musicis eum quem anteponerent rythmum assignare.

Quod, ex ipsis regulis exsequendi cantum, quae in *Gradualis* praefatione proponuntur, atque aliis argumentis falsum esse demonstrat, et tamquam causam confusionis et diversitatis improbat.

Quare invitat Ill. D. Haberl ut litteras istas cum sociis suae Societatis communicet.

7. *Varia decreta de beatificatione, canonizatione*, etc. (A. A. S. 15 mart. 1910, 2, 159 ss.)

Causae S. D. Iuliani Cesarello.

Decr. 15-23 febr. 1910, confirmatur, probante SSmo, sententia Rmi Episcopi Parentin. et Polen. quae declaravit constare de cultu immemorabili S. D. Iuliani Cesarello, sacerdote professo Ord. Minorum, Sancti et Beati nuncupati.

S. D. Adelaïdis Cini.

Decr. 15-23 febr. 1910, signandam decrevit commissionem introductionis causae beatific. V. S. D. Adelaïdis Cini, fundatricis hospitii a S. Corde Iesu, Melitae.

B. Ioannis a Triora.

Decr. 15-23 febr. 1910, signandam decrevit commissionem reassumptionis causa B. Ioannis a Triora, Martyris, sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum, ex septuaginta septem martyribus, quorum per litt. Leonis XIII, 7 maii 1900, sollemnia Beatificationis in basilica Vaticana peracta sunt.

B. Ioannae de Arc.

Decreto 15-23 febr. 1910, decrevit signandam commissionem reassumptionis causae B. Ioannae de Arc, cui anno 1909 beatorum caelitum honores delati sunt.

8. *Indultum missae votivae de Assumptione B. M. V.* (A. A. S. 15 apr. 1910, 2, 234.)

Sanctuario Gethsemani missa votiva indulgetur.

Die 9 mart. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X concessit missam votivam de Assumptione B. M. V. in sanctuario Gethsemani quod prope sepulcrum B. M. V. est exstructum.

---

414. — NOTANDA DE VARIIS FACULTATIBUS

1. *De numismatibus quae sint pro scapularibus.*

De numismatibus quae sint pro scapularibus.

a) Praefecto cuidam apostolico concessit S. Pontifex, ut *quaelibet* pia numismata benedicere posset ita ut christifidelibus, *iis etiam qui scapularia non recepissent*, omnia scapularia supplerent. Una tanta addebatur condicio, ut haec numismata e collo penderent.

b) Non quibuslibet sacerdotibus, sed honoratioribus tantum (qui saltem sint canonici titulares vel honorarii) S. Rituum C. *directe* concedit facultatem benedicendi haec numismata, secundum formulam p. 87, tertio loco exscriptam.

Ceteri ab Episcopo vel a Superiore idoneo subdelegari poterunt.

c) Qui, etiam a S. Pontifice, modo generali, facultatem obtinuit benedicendi numismata quae omnium scapularium locum teneant, non videntur, ex recenti interpretatione, quaelibet numismata pia utiliter benedicere posse, sed ea tantum quae imagem praeferant B. M. Virginis et D. N. I. C. sicut supra explicatum est, p. 108.

Quare ei qui bona fide alia numismata benedixerit S. Pontifex sanationem concedit praeteritarum benedictionum. Ita fecit v. gr. indulto particulari 5 april. 1910.

d) Ex decl. SSmi, indultum relatum p. 86 delegationem etiam *localibus* Superioribus fieri permittit.

De hora Breviarii.

2. *De facultate dicendi pridie Matutinum Off. cum Laudibus.*

Postulante Superiore, S. C. Religiosorum Religiosis in decem annos concedit ut *valide et licite*, ab hora 1 pomeridiana (in Belgio itaque ab h. 12,42 1/2) Matutinas horas cum laudibus recitare possint.

SUPPLEMENTA

SUPPLEMENTUM DECIMUM QUINTUM

DE REGULARIUM PRIVILEGIIS EORUMQUE TRADUCTIONE AD INSTITUTA VOTORUM SIMPLICIUM

I. Observationes generales

Cum non raro privilegia Ordinum Regularium a S. Sede Congregationibus votorum simplicium communicentur, neque ipsae Congregationes Romanae huius concessionis ambitum enucleatius definire soleant, non abs re visum est persequi quibus facultatibus tuta conscientia uti possint Religiosi quibus « privilegia Regularium » concessa sint.

Supponimus communicationem sub hac vel aequipollenti clausula factam esse : « S. S. precibus votisque oblatis benigne annuens, Instituto... communicationem concedit privilegiorum quibus Ordines Regulares in Ecclesia fruuntur » [1].

Non agimus de Institutis iuris dioecesani, sed iuris pontificii. Quae si nondum habent perfectam exemptionem [2] a iurisdictione, visitatione et correctione Ordinarii, quaeritur utrum hanc ipsam per « privilegia

---

[1] Quandoque facta est communicatio cum determinata Congregatione v. c. cum Congr. Doctrinae Christianae, Piorum operariorum et PP. Passionistarum ; vel cum Congr. SS. Redemptoris. Res tunc non ita magnae obnoxia est difficultati. — Neque intendimus definire sensum clausulae : « communicationis cum Congregationibus Clericorum Saecularium et Regularium ». — Quod si dicitur « communicatio privilegiorum Regularium et Congregationum Clericorum Saecularium et Regularium », quamvis non ita pateat hanc clausulam large interpretandam esse, habebuntur tamen omnia quae sub forma « privilegia Regularium » concessa esse dicemus. In specie tunc conceduntur quae nn. 4 et 13 recensentur.

[2] Qualem nempe describit R. P. VERMEERSCH. *De rel.* I, 365 et 367 I. Huius operis volumen primum deinceps citabitur siglo : VERM. adiecto numero marginali.

Regularium » consequantur. Quae quaestio probabilius ex ipso Indulto solvetur, quia exemptio utpote notatu dignissima et fonte omnium privilegiorum explicite solet enuntiari. Quod si non factum fuerit, exploranda erit mens S. Sedis, saltem quod ad exemptionem a iurisdictione in foro externo, nam de exemptione a iurisdictione episcopali in foro paenitentiali non videtur in his adiunctis dubitandum. Cfr. infra n. 7.

Exemptio porro perfecta, de qua quovis modo constat, si etiam habentur « privilegia Regularium », probabiliter continet immunitatem ipsius ecclesiae a visitatione Ordinarii [1] (VERM. 454), immunitatem a legibus et censuris [2] dioecesanis praeter paucos casus in quibus Episcopi in Regulares censuris animadvertere possunt. VERM. 380.

Quae vero facultates, praeter exemptionem, per « privilegia Regularium » communicentur, non ita facile est definitivo quasi iudicio dirimere. Totius difficultatis cardo versatur in *mente S. Sedis* interpretanda. Iamvero nostris diebus non ita in communicationem privilegiorum propendere videntur Congregationes Romanae. Sunt etiam facultates quae difficilius prae caeteris concedantur. — Quod si *originem* privilegiorum ad trutinam revocamus, cum privilegia pleraque directe data sint Fratribus Mendicantibus, Dominicanis praesertim et Franciscanis, Ordines autem non mendicantes non ex principio quodam generali communicent in privilegiis Mendicantium, impossibile videtur catalogum quemdam contexere « Privilegiorum Regularium », catalogum inquam qui quasi a priori pro omnibus Regularibus valeat. Quia tamen plerique Ordines non mendicantes speciali concessione, impetrarunt communicationem cum Mendicantibus, vel ipsi similibus facultatibus directe a S. Sede sunt aucti, quae rursus communicatione quadam ad alios non nullos non mendicantes permearunt, iam plerique scriptores, immo quandoque Congregationes Romanae, non ad amussim distinguunt privilegia Regularium in genere et Mendicantium. Proinde *consuetudine* et *facto* enatum videtur quoddam *Corpus privilegiorum Regularium* quod ex mente Ecclesiae commune sit omnibus Regularibus.

---

[1] Cfr. CLEM. XIV. Decl. pro PP. Passion. 21 sept. 1771.

[2] Puta suspensionem propter ingressum in tabernas.

Quaenam *praecipuae* facultates [1] cum probabilitate iuris hoc « corpore » contineantur, ac proinde tuto in praxim deduci possint, iam, *salvo meliore iudicio*, exponendum est, adiecta ubi opus est restrictione quadam propter rationes peculiares. *Institutum* semper audiatur uti supra definitum.

II. Elenchus facultatum

Facultates exercendae erga saeculares, ab omnibus sacerdotibus Instituti rite approbatis et deputatis:

1. *Iurisdictio immediata a Summo Pontifice* ad absolvendos sacramentaliter saeculares non certo datur. VERM. 516. Quamquam enim, ut modo dictum est, consuetudine saltem conflatum est corpus privilegiorum Regularium, non tamen exploratum est talem iurisdictionem hoc corpore contineri. Videtur enim propria quasi *Mendicantium*, utpote fere unice initio saltem concessa Mendicantibus. Sane plerique Regulares eam nunc de facto habent, sed non quatenus *Regulares*, verum quatenus per expressam concessionem communicant in privilegiis *Mendicantium*. Quae distinctio, quamquam non in animo est negare sententiam benigniorem esse probabilem ac proin in praxi tutam, in nostro argumento attendenda videtur. Omnis ergo iurisdictio ad absolvendos saeculares in Instituto de quo quaeritur, ab Ordinario derivata censeatur. Ceterum res non est tanti momenti practici, quandoquidem semper opus est *approbatione* Ordinarii, quacum conceditur *iurisdictio*, et ex altera parte casus reservati ab Ordinario neque per iurisdictionem pontificiam absolvi possunt, si non ab Ordinario conceduntur. Neque difficultas est quod ad peregrinos absolvendos, quippe quos etiam confessarii saeculares nunc ex consuetudine absolvere possint, etiam plerumque a reservatis. GÉNICOT, *Theol. mor.* II, 328, 348. — *Censurae non reservatae* ab omni confessario tolli possunt.

2. Potestas absolvendi *a censuris Romano Pontifici reservatis* non habetur per concessionem generalem, cum post Const. Pii IX *Apostolicae Sedis* ne ipsi qui-

[1] De exemptione iam dictum est supra.

dem Regulares privilegium generale habeant. Videant ergo singula Instituta quatenus per indulta ad tempus haec facultas ipsis concessa sit. Indultum ad tempus per se est incommunicabile aliis Ordinibus vel Congregationibus. — Recolatur insuper norma qua confessarius etiam non privilegiatus in casu urgentiore plerumque absolvere possit sub onere recurrendi ad S. Sedem. GÉNICOT, *Theol. mor.* II, 574.

3. Potestas absolvendi *ab excommunicationibus ipso Iure reservatis Ordinario* melius negatur. VERM. 516.4. Haec enim potestas est quasi propria Mendicantium et expresse cum illis communicantium, ut patet ex eo quod facultates generales absolvendi a casibus S. P. aut Episcopis reservatis fere solis concessae erant Mendicantibus [1]. Valet ergo ratio facta supra n. 1. Insuper, ut ibidem dictum est, Instituta de quibus quaeritur, probabilius iurisdictionem in saeculares non habent nisi ab Ordinario, qui proinde censendus non est concedere casus Iure sibi reservatos, nisi saltem « casus reservatos » concesserit [2].

Attamen, si in quodam indulto S. Sedis, conceditur « facultas absolvendi a casibus *etiam* R. P. reservatis », ne haec vox *etiam* redundet, indultum pariter intellegi poterit de excommunicationibus ipso Iure Episcopis reservatis. SALMANT. Tr. XVIII, C. IV, n. 155; LEHMK. *Theol. mor.* ed. 11ª, II, n. 1245.

Tandem in casu quodam urgenti, videtur usurpari posse norma absolvendi statuta pro casibus Pontificiis (n. 2), sub onere recurrendi saltem ad Episcopum. NOLDIN, *De Poenis*, n. 95.

4. Potestas dispensandi *in irregularitatibus* definita ut apud VERM. 519.1, nempe ex delicto occulto, excepto

---

[1] Ex istis enim documentis eruitur facultas de qua sermo est. — Remansit autem haec facultas Mendicantibus : non enim fuit suppressa per Conc. Trid. vel subsequentes SS. PP. declarationes quae revocarunt potestatem in eos tantum casus quos *Episcopi sibi* reservant (PASSERINI, *De Stat.* q. 187, art. I, n. 454 ; S. ALPH. VII, 99), neque per Const. *Apostolicae Sedis*, quae sustulit facultatem generalem in casus *Summo Pontifici* reservatos. Severius in hac materia loquuntur PIATUS, SANTI-LEITNER aliique.

[2] Exploranda est mens Episcopi, quia in non nullis dioecesibus, ut in Mechlin., quando simpliciter conceduntur « casus reservati », *non* simul intelleguntur concessi casus cum censura Ordinario (sive ipso Iure, sive ab Ordinario) reservati. *Monitum*, 7 aug. 1897.

homicidio. — Quin et in omni occulta irregularitate tempore missionum: quod concessum est PP. Passionistis, ac proinde habetur ab iis qui communicant cum Congregationibus; utrum vero habeatur ab iis qui simpliciter cum Regularibus communicant, dubium videtur. — Etiam largior est concessio S. D. N. Pii Pp. X facta omnibus Confessariis in casu urgenti. Cfr. VERM. *Period.* IV, p. 52.

5. Potestas *in iuramenta* [1], et *vota non reservata* [2], non tantum *commutandi,* sed et *dispensandi*, secundum sententiam inter Regulares communem et practice tutam (S. ALPH. IV, 257; VERM. 519.3). Nec facultas propria est Mendicantibus, nec sequens, ut concludere licet ex pluribus facultatibus concessis non mendicantibus et citatis v. c. apud PASSERINI, *de Stat.*, q. 187, art. I, n. 598 ss.; n. 798 ss.

6. Potestas dispensandi, in ordine *ad petendum debitum :*

a) in voto castitatis ab altero tantum coniugum facto post matrimonium, vel fortasse etiam ante matrimonium. VERM. 519.4.b.

b) in affinitate ob incestum post nuptias. VERM. 519.4.a.

Facultates exercendae erga suos, a Superioribus et ab aliis Instituti sacerdotibus, pro argumenti natura, rite deputatis :

7. Potestas suos [3] *absolvendi sacramentaliter*, vi iurisdictionis a S. P. acceptae, quin confessarius indigeat approbatione Ordinarii. VERM. 416; GÉNICOT, *Theol. Mor.* II, 337-8. Haec facultas proxime conectitur cum exemptione ab Ordinarii iurisdictione in foro paenitentiali; unde nec *casus reservatos episcopales*

---

[1] Quod ad relaxationem, iuramenta aequiperantur votis. S. ALPH. III, 189, 190; *de Priv.* 108. Nec huius sententiae probabilitas eliditur responsis S. C. de Prop. Fide. (Collect. nn. 1183, 2087).

[2] Semper reservantur vota et iuramenta quibus ius est quaesitum tertio, v. g. vota religionis emissa in Ordine vel Congregatione.

[3] Extenditur ad familiares absolvendos. — Et certo non indigent sacerdotes Instituti *approbatione* Ordinarii ad Regulares vel ad religiosos alius Instituti perfecte exempti absolvendos. In tales sufficit iurisdictio ab absolvendorum Superioribus communicata.

incurrunt. Ex altera parte, extra casum itineris vel iubilaei, per se non valide confitentur sacerdotibus qui non participant hanc in ipsos pontificiam iurisdictionem. Attendendae tamen sunt particulares provisiones S. S. Sic v. c. Sodales Piae Societatis Missionum non prohibentur confiteri apud quemcumque confessarium ab Ordinario loci approbatum.

8. Ad absolvendos etiam suos *a censuris R. P. reservatis*, opus est, post Const. *Apostolicae Sedis*, indulto speciali [1]. Quod si impetrarint indultum quod non explicite ad saeculares absolvendos restringatur, eo etiam uti poterunt ad suos absolvendos. — Ceterum semper eosdem absolvere possunt in casu urgentiore sub onere recurrendi, ut iam n. 2 dictum est.

9. Potestas absolvendi suos *ab excommunicationibus ipso Iure reservatis Ordinario*. S. Off. 22 martii 1881.

10. Potestas dispensandi *in irregularitatibus* definita ut apud VERM. 420 a), sed in foro interno tantum. Cfr. n. 23 Insuper etiam in favorem suorum probabiliter uti poterunt facultate supra n. 4 recensita. — Facultate ampliore S. D. N. Pii Pp. X, de qua VERM. *Period.* IV, p. 52, in casu urgenti, etiam ad dispensandum cum suis uti poterunt.

11. Potestas *dispensandi* et *commutandi iuramenta* et *vota non reservata*. VERM. 421. — Superiores insuper, suorum vota *irritare* possunt.

12. Facultas *celebrandi ante auroram vel post meridiem*, definita ut apud VERM. 467, 1. 2. 3 et 4 ; S. ALPH. *de Priv.* 122. — Facultas celebrandi *in Coena Domini*, etiam ubi omittuntur functiones hebdomadae maioris, ad S. Communionem Religiosis ministrandam. VERM. 467. 5.

13. Facultas celebrandi *in altari portatili* tempore

---

[1] VERM. 418.3 ; 193.7. Amplior quaedam potestas remanet circa percussionem clerici. VERM. 418.4 ; GÉNICOT, *Theol. mor.* II, 594. — Contra ab amplissimis facultatibus hodie concedi solitis, excepti intelleguntur *casus specialissime reservati*. — Non solent esse in Institutis *censurae Instituto propriae*. — De *censuris Regularium* in genere, cfr. n. 29.

Missionum (VERM, 468. 3). Quod ad celebrationem in itinere *in oratorio privato* extra assistentiam indultari (VERM. 468. 4), facultas, utpote directe data PP. Passionistis, Redemptoristis et Congregationi Missionis, certe habetur ab iis qui communicant cum Congregationibus ; utrum vero habeatur a communicantibus cum Regularibus simpliciter, dubitare licet. — Ex decl. S. C. R. 8 maii 1907, concludendum est, salvis iuribus parochialibus licere S. Communionem omnibus distribuere in oratorio privato, quando ibidem missa licite celebratur.

14. Facultas suscipiendi *Communionem paschalem* in conventu et *Viaticum* a propriis Superioribus. VERM. 462. 2. Quod valet de familiaribus. VERM. 506. — De *prima communione alumnorum* (VERM. 507), cfr. GÉNICOT, *Theol. mor.* ed. 6ª, II, 210 ; VERM. *Period.* II. p. 165 ; IV. p. 181 ; Decr. *S. C. de Sacram.* 8 aug. 1910, hic infra.

15. Facultas erigendi *ecclesiam publicam* coniunctam conventui, nisi Episcopus permittens erigi conventum, ecclesiam excepit, ibique *asservandi S. Eucharistiam.* VERM. 505. Ibidem licite fiunt consuetae functiones, ut v. c. missa sollemnis in nocte Nativitatis, etiam seclusa facultate a S. O. 1 aug. 1907 concessa. Non tamen exinde statim concludendum licere ut ianuae cuicumque sint apertae. VERM. *Period.* III. p. 168 ; IV. p. 311.

16. Facultas *erigendi oratoria* in domo religiosa, cum approbatione Superioris Provincialis tantum (VERM. 511 ; S. C. R. 10 nov. 1906). Haec facultas saltem probabilis est, nam mens S. S. satis infensa videtur quominus *plura* oratoria erigantur. — Omnes sacerdotes ibidem *celebrare* permittuntur (VERM. 513). — Omnes pariter fideles ibi satisfaciunt *praecepto Missae audiendae ;* verificatur enim definitio oratorii semi-publici iuxta decr. S. C. R. 23 ian. 1899 GÉNICOT, *Theol. mor.* I, 342

17. In istis oratoriis [1] et in ecclesia, licet confessiones audire et *dispensare S. Eucharistiam* (etiam saecularibus, excepto die Paschatis). VERM. 506, 514.

---

[1] Hoc certo, et quidem a fortiori, concluditur ex decl. S. C. R. 8 maii 1907.

18. Facultas *privatae expositionis S. Eucharistiae* VERM. 510, 2.

19. Facultas Ordines suscipiendi *titulo paupertatis* non habetur : supponit enim professionem sollemnem. Porro solent Congregationes peculiari privilegio (quod non sequitur ex concessis « privilegiis Regularium ») impetrare titulum [1] vel dispensationem a titulo (VERM. 483. 4). Exinde tantum, possunt Superiores *dimissoriales litteras* concedere, et quidem ad Episcopum loci [2] in quo situm est monasterium ; neque tunc iam requiruntur *litterae testimoniales*, qualibus ordinandi saeculares indigent, nisi alicubi propter militiam ad quam inique fuerint coacti (VERM. 480. 2). Oportet tamen ut testificentur Superiores, saltem in litteris dimissorialibus, studia praevia ad Ordines rite peracta esse iuxta decr. *Auctis admodum* et decl. S. C. de Relig. 7 sept. 1909.

20. Facultas Ordines suscipiendi *extra tempora*. S. ALPH. *de Priv.* 115 ; VERM. 482. 1.

21. Quamvis iam plures Regulares privilegium impetrarint circa *interstitia* (VERM 480. 3), nondum tamen commune Regularium factum esse videtur [3]. Sed Episcopus ad quem spectat Ordinatio in interstitiis etiam cum Regularibus dispensare potest. VERM. 480. 3 ; S. C. de Sacr. 13-15 aug. 1909.

22. Facultas *praedicandi*, ut definitur apud VERM. 515. I ; S. ALPH. *De Priv.* 124, 125.

Speciatim Superioribus conceditur :

23. Iurisdictio, non quidem *in foro externo*, sed perfecta *in foro interno*. Unde in hoc foro, ad instar principii applicare licet : posse Superiores in subditos eadem ferme atque Episcopum in dioecesanos [4]. Trid. Sess. 24 de ref. Cap. *Liceat* coniuncto praesertim cum Const. *Romani Pontifices* S. Pii V. — Porro habebitur a

---

[1] Quem si non impetraverint, ordinantur ad normam saecularium quod ad varios titulos et Episcopum proprium.

[2] Nisi directe habeatur privilegium incommunicabile (Ben. XIV. Const. *Impositi* § 13) ordinandos dimittendi ad quemcumque Antistitem.

[3] Videatur FERRARIS, *Bibl.* in v. *Interstitia* ; PIATUS, *Prael. Ius. Reg.* ed. 2 II p. 300. Benignius PRÜMMER. *Manuale Iuris eccl.* II. q. 204, n. 5.

[4] Hoc principium iam imbibitur in facultatibus de quibus nn. 10, 11.

Superioribus facultas *reservandi casus*, quod ad suos absolvendos, eo quod possint deminutim communicare iurisdictionem pontificiam (n. 7). In qua reservatione observandae erunt consuetudines Congregationis, neque praetereundae normae in hac materia ipsis Regularibus praescriptae. VERM. 417. *Si* insuper sinuntur religiosi libere adire confessarium extraneum (n. 7), haec facultas reservandi magis dubia fit, et contra mentem S. S. exerceretur. — Non sunt casus, ne « Clementini » quidem, ipso facto apud Regulares reservati. — De censuris Regularium in genere dicetur n. 30.

24. Potestas suos *dispensandi a poenis* non nullis, in foro interno. VERM. 419. Haec autem facultas non ablata est per Const. *Apostolicae Sedis*, quippe quae de solis censuris loquatur.

25. Potestas suos dispensandi *in legibus ecclesiae* frequenter occurrentibus, ut in ieiunio et abstinentia, in festorum observatione, divini officii recitatione (S. ALPH. *de Priv.* 106). — Cum integra communitate dispensare nequeunt. VERM. 421 ; GÉNICOT, *Theol. mor.* I, 119.

26. Quod ad *lectionem librorum prohibitorum* suis permittendam, facultas restricta desumenda esset e Const. Leonis XIII *Officiorum ac munerum*, n. 25 : « praelati iurisdictione quasi-episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant ». VERMEERSCH, *De prohib. librorum*, ed. 4, n. 96. Sed Superiores locales vel Provinciales Instituti de quo quaeritur, non sunt vere « praelati iurisdictione quasi-episcopali pollentes ». Ad summum de Superiore Generali res possit disputari.

27. Potestas *benedicendi,* ad usum Suorum, *paramenta et quaecumque ad divinum cultum pertinent*, modo ne sit S. Chrismate utendum (VERM. 422), itemque *benedicendi et reconciliandi ecclesias et oratoria* sua. VERM. 375.

28. Potestas *exsequias suorum* peragendi. VERM. 485.

29. **Quaeritur** utrum eo quod Instituto communicantur « privilegia Regularium », religiosi iam obnoxii sint *censuris vel obligationibus Regularium propriis.*

R. Negative, ne favor vertatur in odium et quia mens S. Sedis profecto non est Institutum aequiperare Regularibus. Hoc valet non tantum de censuris latis *contra* Regulares, ut est excommunicatio qua plectuntur indebite conferentes ultima Sacramenta, sed etiam de censuris latis *in favorem religionis*, quales sunt excommunicatio contra multorum Ordinis apostatas, vel contra matrimonium attentantes, suspensio e Const. *Apostolicae Sedis* [1] contra religiosos eiectos extra religionem degentes, censurae quae post hanc Constitutionem censentur permanere in Ordinibus (VERM. 418 not.) — Nec proinde obstringuntur clausura papali cum censura adnexa, utpote quae etiam supponat vota sollemnia ; neque tenentur legibus quatenus Regularium propriae sunt, circa emittendam professionem fidei (VERM. 441), largitionem munerum (n. 438), decreta publice legenda (n. 444-5), missarum stipendia (n. 446), processiones (n. 527) etc.

I. SALSMANS, S. I.

---

[1] Subiacent, ut patet, Instituta suspensionibus decreti *Auctis admodum*.

QUAESITA VARIA

De Institutis votorum simplicium

Conexio argumentorum nos movet ut mox traditae lucubrationi quaedam dubia subiungamus quae Congregationes religiosas potissimum respiciunt.

1. *De Capitulis*. a) Quaenam vis et auctoritas decretis *capitularibus* per se inest ? De iis quaeritur decretis quae expressa S. Sedis confirmatione rata non sunt habita, quamvis nullo modo improbentur.

R. Quia capitula Congregationum religiosarum *iurisdictione* carent, ordinationes faciunt communes quae ex potestate domestica et votis religiosis suam autoritatem hauriunt. Nec auctoritas ista est perpetua. Sed novum capitulum quasi novus Superior est, quo adveniente, prioris voluntates ac iussa per se suam obligandi vim amittunt. Quare a proxime sequenti capitulo ordinationes capitulares, saltem tacite, confirmandae sunt, nisi easdem perire maluerit. Quare in Normis S. Congregationis Episcoporum et Regularium, art. 250 dicitur : « Ordinationes capituli generalis in vigore manent usque ad proximum capitulum. »

b) In Congregationibus quarum etiam capitula *provincialia* ordinationes ferre possunt, estne Superior provincialis supra an infra provinciale capitulum ?

R. Infra esse arbitramur, ipso analogiae argumento, eo quod ubique Praepositus generalis generali capitulo subesse novimus, atque Archiepiscopus concilii provincialis, cui praeest, leges observare debet.

2. Titius, alumnus votorum perpetuorum Congregationis religiosae quae, ex instituto suo, socios saepe domo mutat, dispersis gallica procella fratribus extra Galliam se coniungere renuit. Simul vult in ipsa Gallia expensis suae congregationis ali, cum ex perpetuis votis titulum perpetuae acquisierit sustentationis. De quo debito quaeriturnum exsistat.

R. Non exsistit. Religiosus sane ius habet alimento-

rum in loco ubi ex *rationabili* Superioris voluntate, non autem ubi proprio arbitratu commoratur.

3. Num actio contra vota invalida, praescriptione quinque annorum exstinguitur?

R. Praescriptio ista propria est actionis adversus professionem regularem, ita ut ad vota simplicia, quorum causa nulli peculiari provisioni locum dedit, nullo pacto traduci possit. Causae istae oeconomice potius quam iuridice tractari consueverunt. Nec iuridice aliter ac secundum generales regulas tractari possent.

4. Num Superiores religiosi possunt sine formali Episcopi assensu domicilium in eodem oppido vel in eadem urbe mutare?

R. Id possunt vel non possunt pro modo quo ipsa facultas sedem habendi concessa est. Si enim initio liberam habuere optionem sedem ubilibet in civitate collocandi, vi ipsius prioris facultatis sedem alteram eligere possunt. Nec episcopus id prohibere poterit nisi nova sedes aliis praeiudicium afferat quod avertendi officium vel saltem ius habeat. Si vero ab initio facultas definitae sedi in ipso loco erat coniuncta, sedes sine novo assensu mutari non poterit. Quid autem in dubio de vi prioris facultatis factae? Quia mutatio in eadem civitate per se canonicis sollemnitatibus obnoxia non est, in dubio pro libertate responderi posse arbitramur.

5. Possuntne Instituta votorum simplicium, in ecclesia sua, sodalicia externorum instituere vel scholas pro saecularibus alumnis domui suae coniungere?

Nihil possunt huiusmodi contra Episcopi voluntatem. Is enim qua Pastor Ordinarius gregem fidelium per se vel per delegatos regere debet, nisi Pastor supremus privilegia concesserit. Quae cum nulla sint Congregationibus religiosis qua talibus concessa, in omni cura spirituali vel ministerio externorum auctoritati episcopali obnoxiae sunt.

MONUMENTA

415. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM EX AUDIENTIA SS^mi 19 FEBR. 1910

Approbatio apostolica Fratrum Instruct. christianae a sancto Gabriele

Decretum

Oratores, nixi antiquitate Instituti eiusque diffusione, **petunt** *simul decretum laudis et approbationem Instituti atque Constitutionem.*

Fratres Instructionis christianae a sancto Gabriele, olim a Sancto Spiritu nuncupati, quorum domus princeps exstat in dioecesi Lucionensi, quique patrem habent et invocant B. Ludovicum M. Grignon de Montfort, SS. D. N. Pium Pp. X supplices rogarunt ut, atttenta felici Instituti propagatione in pene omnes mundi regiones, necnon morali stabilitate quam duo fere saecula inter omne genus difficultates ipsi tribuerunt, eidem Instituto decretum laudis et apostolicam approbationem itemque approbationem temporaneam Constitutionem benigne concedere dignaretur.

Quas quidem tres extraordinarias gratias una simul impertiri implorarunt, quin necesse sit ut, ad tramitem legum quae moderantur earundem gratiarum concessionem, votum plenariae Congregationis Em^orum Patrum Cardinalium prius de more exquiratur.

Audientia SSi 15 febr. 1910.

SS^us autem D. N. referente infrascripto Cardinali Praefecto S. C. de Religiosis, in audientia diei 15 februarii 1910, attentis expositis ac praesertim litteris commendaticiis Sacrorum Antistitum omnium dioeceseon in quibus operam salutariter impendunt Fratres Instructionis christianae, eorum Instituto tribuere dignatus est cum decretum laudis, tum approbationem apostolicam, ipsorumque Constitutiones, prout huic praeiacent decreto, ad experimentum approbandas decrevit, salva de more Ordinariorum iurisdictione.

Gratia.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clausula. Dies (19 febr. 1909).

Die 19 febr. 1910.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*
D. L. Ianssens, O. S. B. Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Ex ipsis Normis S. C. Episcoporum et Regularium habemus Instituta per hos gradus ad plenam approbationem pervenire, ut primo Instituti finis laudetur, dein ipsum laudetur Institutum, tum ipsa concedatur approbatio. Saepe cum decreto quo Institutum approbatur, simul indicantur animadversiones in constitutiones, vel quandoque ipsae Constitutiones ad tempus approbantur. Aliquando fit ut definitiva approbatio Instituti et Constitutionum eodem actu concedatur. (Art. 1-5 et 24).

2. Peculiari Summi Pontificis beneficio Fratres dicti a S. Gabriele obtinuerunt simul decretum laudis, approbationem Instituti et approbationem Constitutionum. Atque haec sola non est definitiva sed temporanea. Raro sic praetermittitur decretum laudis, et tunc quidem, sicut sonat art. 7 Normarum, « si condiciones in favorem Instituti, cum primum se sistit coram S. Congregatione, ita sunt numeris omnibus absolutae, ut nulla videatur ratio ulterius differendi definitivam approbationem. » Ipsi oratores pro peculiari beneficio consequendo allegarunt a) bis saecularem Instituti approbationem: conditum siquidem est a B. Ludovico Maria Grignon de Montfort († 1716), tamquam Institutum Fratrum scholarum a Spiritu Sancto, et, post perturbationem gallicam, inter quam interiit, restauratum est, anno 1835 a Vicario generali Rhedonensi, cui nomen Gabriel Deshayes[1]; — b) felicem Instituti diffusionem: ex Gallia enim Fratres, qui numero sunt ferme 1500, accesserunt ad Canadenses, Aegyptiacas, Africanas, etc. habitandas regiones. Ipse S. Pontifex gratiae causam indicavit universalem Antistitum commendationem.

3. Decretum concessum est non requisito voto plenariae Congregationis de Religiosis. Et dum expressis verbis indicari consuevit Institutum approbari tamquam Congregationem votorum simplicium (Normae, art. 2), hic simpliciter conceditur approbatio *apostolica*: quod verbum consueta formula non continetur.

4. Lato decreto, contra verba quibus Fratres se filios dicebant B. L. Grignon de Montfort, intercessum est. Quare bis de eo actum est in plenariis S. Congregationis comitiis. Etenim Analecta Ecclesiastica, ex quibus (p. 291. 292) decretum exscripsimus haec addunt: « Die 3 iunii huius anni, S. Congregatio Religiosorum pro secunda vice de praedicto decreto in plenariis sententians declaravit quod *sustinebatur decretum in propriis verbis et amplius*. » Causa intercessionis indicatur in Analecta, p. 312.

---

416. — SS. D. N. PP. X

INDULTUM 18 MART. 1910

Potissimae facultates Ordinis Eremitarum S. Augustini

(A. A. S. 31 maii 1910, 2, 406)

Laus Ordinis Eremitarum S. Augustini et finis gratiarum.

Ad perpetuam rei memoriam. — Comperta sunt Nobis eximia in religionem beneficia, quae inclytus ordo Eremitarum S. Augustini, Dei verbis ad populum praecipue faciendis, assidue confert. Quo vero exantlati huiusmodi labores in uberius animarum bonum cedant, sacras expeditiones atque exercitationes spirituales, quibus religiosa eadem familia fideles ad christianae vitae decus ubique gentium adhortari studet, tum peculiaribus privilegiis, tum caelestibus Ecclesiae thesauris libentes locupletamus. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus ac singulis praefati ordinis sacer-

Gratiae.

---

[1] Haec, sicut quae de numero et propagatione, damus ex opere Heimbucher, *Die Orden und Kongregationen der katholischen Kirche*, t. 3, p. 360.

dotibus, qui sacras missiones peragant, vel spirituales exercitationes moderentur, praesentium tenore Apostolica auctoritate Nostra concedimus ac largimur, ut illarum postremo die benedictionem Nostro ac Romani Pontificis pro tempore nomine et auctoritate cum Crucifixo sub unico signo et cum plenaria indulgentia universis Christifidelibus ubique impertire licite queant, quae plenaria indulgentia ab iis tantum sit lucranda, qui eidem benedictioni astiterint, ac vere paenitentes et confessi ac S. Communione refecti, Ecclesiam vel publicum oratorium, ubi id pietatis opus habebitur, visitaverint, et pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. Iis praeterea fidelibus, qui sacris hisce missionibus vel exercitationibus ultra medium tempus quo eae perduraverint, interfuerint, ac pariter expiati admissorum confessione ac caelestibus epulis recreati, vel semel illarum temporis spatio, vel uno quo cuique libeat e quindecim diebus immediate subsequentibus, Ecclesiam aut publicum oratorium visitantes, ibi, ut praefertur, oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quotiens autem missionum aut exercitationum tempore vel catecheses vel contiones audierint, ducentos dies iis de iniunctis seu alias quomodolibet debitis paenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Benedictio pontificia cum indulgentia plenaria in fine missionum et exercitationum spiritualium.

Aliae indulgentiae iis qui exercitationibus interfuerint propositae.

Praedictis vero sacerdotibus facultatem impertimus, Cruces, Crucifixos, sacra numismata, coronas precatorias et parvas D. N. I. C., B. M. V., et Sanctorum metallicas statuas benedicendi, iisque indulgentias applicandi quae in elencho edito typis S. Congregationis de Propaganda Fide diei XXVIII augusti MCMIII continentur ; et, quod ad coronas precatorias, non exceptis indulgentiis a S. Brigitta nuncupatis ; et potestatem insuper facimus coronas precatorias item benedicendi cum indulgentia quingentorum dierum pro quolibet *Pater* et pro quolibet *Ave* recitatis consequenda. Iisdem denique presbyteris fas erit Cruces ferreas vel ligneas ubique terrarum, de Ordinarii consensu, post peractas missiones erigere ac benedicere, iisque applicare *primo :* indulgentiam plenariam ab iis fidelibus lucrifaciendam, qui, admissis rite expiati ac S. Synaxi suscepta, die anniversario huius erectionis vel, si hic sit profestus, dominica insequente, nec non festis inventionis et exaltationis SS. Crucis, vel dominica respective subsequente a primis vesperis ad occasum solis diei huiusmodi devote Ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, atque ibi, ut supra, oraverint ; *secundo :* indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, quam semel in die fideles adipisci poterunt, si corde saltem contrito salutationem angelicam in memoriam septem dolorum Deiparae Virginis ante easdem Cruces septies recitaverint ; *tertio :* indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum, ab iis fidelibus semel pariter in die lucrandam, qui corde contriti orationem dominicam, salutationem angelicam et *Gloria Patri* ante memoratas Cruces ter in memoriam trium horarum agoniae D. N. I. C. pie ac devote recitaverint. Quas omnes indulgentias, peccatorum remissiones ac paenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino indulgemus. In contrarium non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Facultates benedicendi.

Facultas erigendi, in fine missionum, cruces cum indulgentiis.

Indulgentiae applicabiles sunt defunctis.

Perpetuus valor.

Dies (18 mart. 1910).

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XVIII martii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. Card. Merry del Val,
a Secretis Status.

---

417. — SS. D. N. Pii PP. X

LITT. ENCYCL. « EDITAE SAEPE » 26 MAII 1910

Ob saecularia sollemnia S. Caroli Borromaei

(A. A. S. 26 maii 1910, 2, 357)

Ex litteris istis, quae pretiosa documenta exhibent colligenda ex vita S. Caroli Borromaei, pauca haec damus, quae magis ad argumentum nostrum spectant. Sunt autem :

A. **De Modernismo**, *de quo monumenta exscripta sunt* n. **228-230**, *p. 1-58 tomo IV*, Periodica, *haec gravia monita :*

Collatio haeresis novatorum XVI saeculi et nostrae aetatis, quod ad studia et intentionem,

Ad haec animum non intenderunt auctores illi redintegrandae suo marte fidei ac disciplinae, quorum conatibus restitit Borromeus ; nec ea nostri melius vident, quibuscum strenue nobis, Venerabiles Fratres, est dimicandum. Nam et hi Ecclesiae doctrinam, leges, instituta subvertunt, habentes in lingua promptum cultioris humanitatis studium, non quod eo de negotio valde laborent, sed quo titulis ad ostentationem paratis pravitatem consiliorum queant facilius obtegere.

Quid autem re agant, quid moliantur, quod iter affectent, neminem vestrum fugit, eorumque consilia denuntiata per Nos fuerunt atque damnata. Proposita namque ipsis est communis omnium ab Ecclesiae fide ac disciplina secessio, eo vetere illa deterior quae Caroli aetatem in discrimen adduxit, quo callidius in ipsis fere Ecclesiae venis delitescit ac serpit, et quo subtilius ab absurde positis extrema deducuntur.

quod ad originem, artes et dogmata ;

Utriusque pestis origo eadem ; *inimicus homo*, qui ad humanae gentis perniciem haud sane exsomnis, *superseminavit zizaniam in medio tritici ;* idem abditum iter ac tenebricosum ; eadem progressio, idem appulsus. Etenim, quem ad modum prior illa olim, qua fortuna rem daret eo vires inclinans, optimatium partes aut popularium alteram adversus alteram concitabat, ut utramque tandem ludificaret atque pessumdaret ; sic recentior ista clades mutuam exacuit invidiam egentium ac locupletium, ut sua quisque sorte non contentus vitam trahat usque miserrimam luatque poenam iis irrogatam, qui non *regnum Dei et iustitiam eius* quaerunt, sed caducis his rebus fluxisque adhaerescunt. Atque illud etiam graviorem facit praesentem conflictationem, quod, cum superiorum temporum turbulenti homines e doctrinae divinitus revelatae thesauro certa quaedam et fixa plerumque retinerent, hodierni non ante quieturi videantur quam excisa omnia conspexerint. Everso autem religionis fundamento, et ipsam civilem coniunctionem disrumpi necesse est. Luctuosum sane spectaculum in praesens, formidolosum in posterum ; non quod Ecclesiae incolumitati timendum sit, de qua dubitare divina promissa non sinunt, sed ob impendentia familiis gentibusque pericula, maxime

quae pestiferum impietatis afflatum aut impensius fovent aut ferunt patientius.

Necessitas zeli pastoralis.

In hoc tam nefario stultoque bello, cui commovendo, dilatando socii et adiutores potentes accedunt interdum vel ipsi qui Nobiscum facere Nostrasque tueri res deberent prae ceteris ; in forma errorum adeo multiplici vitiorumque illecebris tam variis, quibus utrisque haud pauci etiam e nostris blandiuntur, capti specie novitatis ac doctrinae, aut inani spe ducti, Ecclesiam posse cum aevi placitis amice componi, plane intellegitis, Venerabiles Fratres, nobis esse strenue obsistendum, iisdemque nunc armis excipiendum impetum hostium, quibus olim usus est Borromeus.

Quo modo sit explicandus.

Primum igitur, quoniam ipsam, veluti arcem, impetunt fidem, vel eam aperte denegando, vel impugnando subdole, vel doctrinae capita pervertendo, haec a Carolo saepe commendata memineri-mus : « Prima et maxima Pastorum cura versari debet in iis quae « ad fidem catholicam, quam S. Romana Ecclesia et colit et docet, « et sine qua *impossibile est placere Deo*, integre inviolateque « servandam pertinent ». Et rursus : « In eo genere ... nullum « tantum studium, quantum certe maximum requiritur, adhiberi « possit ». — Quapropter « haereticae pravitatis fermento », quod « nisi cohibeatur *totam massam corrumpit*, hoc est pravis opinio-nibus ementita specie irrepentibus, quas in unum collectas *moder-nismus* profitetur, sanitas est opponenda doctrinae et reputandum cum Carolo : « quam summum in haeresis crimine profligando « studium et cura quam longe omnium diligentissima episcopi « esse debeat ».

Haud opus est equidem cetera verba referre sancti viri comme-morantis Romanorum Pontificum sanctiones, leges, poenas in eos antistites constitutas, quibus purgandae dioecesis ab « haere-ticae pravitatis fermento » esset cura remissior. Non nihil tamen iuverit ad ea quae inde concludit diligenter attendere. « Proinde, « inquit, in ea perenni sollicitudine perpetuaque vigilia episcopus « versari in primis debet, ut, non modo pestilentissimus ille « haeresis morbus nusquam in gregem sibi commissum irrepat, « sed omnis plane suspicio ab eo quam longissime absit. Si vero « fortasse, quod pro sua pietate et misericordia Christus Dominus « avertat, irrepserit, in eo maxime elaboret omni ope, ut quam « celerrime depellatur : quique ea labe infecti erunt, vel suspecti, « cum illis agatur ad canonum sanctionumque pontificiarum « praescriptum ».

B. **De S. Eucharistia frequentenda**, *de qua decretum « Sacra Tridentina », et varia monumenta habentur*, n. **110. 111. 115. 160. 161**, *p. 66-70 ; 158-166 ; 177-183, t. II*, PERIODICA ; *et* n. **203**, *p. 82-84, t. III*, PERIODICA. (*Cfr. etiam disertationem, t. 3, p. 77-88.*)

Pseudoreformatores aversione a sacramentis notantur. Cum recentiores sint maxime paenitentiae et eucharistiae infensi, haec

Has opes, quarum uberem copiam Christus effudit, vir fidelis in media quaerit Ecclesia ad communem salutem, in primisque pre-candi studium, sacrificium, sacramenta, quae fiunt *quasi fons aquae salientis in vitam aeternam*. Ea omnia inique ferentes qui, transversis itineribus et posthabito Deo, ad instaurationis opus contendunt, numquam desinunt haustus illos purissimos, sin funditus exsiccare, at certe turbulentos facere, ut christianus grex inde arceatur. Qua in re profecto turpius agunt recentiores ipso-

in primis colenda sunt.

rum asseclae, qui speciem quandam religionis nobilioris adhibentes, adminicula illa salutis pro minimo ducunt habentque ludibrio, praesertim sacramenta duo, quibus aut admissa paenitentium expiantur, aut caelesti dape roboratur animus. Quapropter optimus quisque summo studio curabit, ut collata tanti pretii dona maximo in honore habeantur, neve patietur in utrumque divinae caritatis opus hominum studia restingui.

Exemplo praeivit S. Carolus.

Ita plane se gessit Borromeus, cuius inter cetera hoc scriptum legimus : « Quo maior et uberior est sacramantorum fructus quam « ut eius vis explicari facile possit, eo diligentius et intima animi « pietate et externo cultu ac veneratione tractanda ac percipienda « sunt ». Illa quoque memoratu dignissima, quibus curiones aliosque sacros contionatores vehementer hortatur, ut caelestis alimenti crebam gustationem in pristinam consuetudinem revocarent ; quod idem Nos egimus decreto, cui initium : *Tridentina Synodus.* « Ad saluberrimum illum, ait sanctus Antistes, sacrae « Eucharistiae frequenter sumendae usum, parochi ... et contio- « natores item quam saepissime populum cohortentur, nascentis « Ecclesiae institutis atque exemplis, et gravissimorum Patrum « vocibus et uberrima hoc ipso de genere Catechismi romani « doctrina, et sententia denique Tridentinae Synodi, quae optaret « quidem fideles, in singulis Missis, non solum spirituali affectu, « sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicare ». Qua vero mente, quo animo adeundum sit sacrum convivium, docet his verbis : « Populus, cum ad frequentem SS^mi Sacramenti « sumendi usum excitetur, tum etiam commonefiat, quam peri- « culosum exitiosumque sit ad sacram divini illius cibi mensam « indigne accedere ». Quam quidem diligentiam postulare videntur maxime haec tempora nutantis fidei et languescentis caritatis, ne forte ex frequentiore usu debita tanto mysterio reverentia minuatur, sed potius in hoc ipso sit causa cur *probet seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.*

Qua sapienti ratione populus ad frequentem communionem sit excitandus.

Sacramentorum utilitas.

Ex iis fontibus dives gratiae vena manabit, unde succum trahant et alantur humanae quoque ac naturales industriae. Nec enim actio christiani viri quae usui sunt et adiumento vitae despiciet, ab uno eodemque Deo, auctore gratiae ac naturae profecta ; sed illud valde cavebit, ne in externis rebus bonisque corporis captandis fruendis totius vitae finis et quasi beatitas collocetur. His rebus igitur qui recte ac temperanter uti velit, eas conferet ad animorum utilitatem, Christi obtemperans dicto : *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVI mensis maii, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri septimo.

PIVS PP. X.

418. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECLARATIO 31 MAII 1910

Decreti « In articulo », 7 sept. 1909, de studiis requisitis decr. « Auctis », 4 nov. 1893 (A. S. S. 15 iun. 1910, 2, 449)

Dubia.

Cum nonnulla dubia exorta fuerint circa rectam interpretationem Declarationum huius Sacrae Congregationis de Religiosis, d. d. 7 septembris 1909, quod ad articulum VI Decreti *Auctis admodum*, eorum solutio ab hac eadem Sacra Congregatione expostulata fuit, nimirum:

1. De vi universali declarationum quod ad loca

1. Utrum praedictae Declarationes respiciant tantum domus Religiosas studiorum solius Italiae, an etiam eas ubique terrarum constitutas.

2. et Congregationes.

2. Utrum iisdem Declarationibus sese conformare debeant eae tantum Congregationes Religiosae in quibus emittuntur vota, an etiam illae quibus alumni ligantur simplici promissione perseverantiae, ut apud Eudistas.

3. De rigore quo 4 anni theologiae requirantur.

3. Utrum, contracto vacationum tempore, et pressius aucto studiorum conatu, totus Theologiae cursus tribus tantum annis comprehendi possit; an potius per quattuor integros annos academicos, scilicet per quadraginta quinque menses integros, computatis vacationibus trium priorum annorum, semper protrahi debeat.

Et Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit, prouti respondet:

Responsa.

Ad 1. Ad 1. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 2. Ad 2. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 3. Ad 3. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Clausula. Dies (31 maii 1910). Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae, die 31 maii 1910.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
F. Cherubini, Subsecretarius.

Annotationes

1. Ex tribus propositis dubiis primum facillimam habebat solutionem. Satis enim constabat decretum quo declarabatur articulus VI decreti *Auctis Admodum*, ad eadem loca pertinere ad quae ipse articulus. Qui cum habeat vim localem universalem, universalem manifestabat vim declarationum, quas cfr. Periodica t. 5, **n. 342**, p. 44 sqq.

2. Onerosae huiusmodi declarationes potius stricte sunt interpretandae. Quare, cum latae sint pro *Institutis religiosis*, et Instituta in quibus vota desiderantur proprie religiosa non sint, opportunum fuit dubium alterum, quo quaerebatur utrum necne Instituta in quibus mera perseverantiae promissio habetur, sicut Eudistarum, his declarationibus tenerentur. Ac teneri respondit S. Congregatio, mentem S. Sedis explicans, quae in similitudine causarum fundatur.

3. Quod autem contrahendo vacationum tempus necessitas quadriennii theologicorum studiorum non tollatur, id iam satis manifestum fiebat ex responsis ad I et ad III, 7 sept. 1909. Simul S. Sedes illam necessitatem rursus confirmat.

4. Observes tamen nondum esse quaesitum utrum Instituta ubi iam dudum studia omnia theologiae curriculo trium annorum sunt regulariter contenta, eam rationem studiorum servare possint donec S. Congregatio instructionem de studiis religiosorum perfecerit quam condere decreto 7 sept. 1909 iussa est, an receptam studiorum rationem iam subvertere debeant, quamvis exspectata instructio nihil sinat stabile condere. Quocirca, manere hactenus arbitramur interpretationem quam supra, p. 47, 3, proposuimus : ubi curriculus quattuor annorum iam est inductus, debent sacerdotes omnes curriculum istum quattuor integris annis percurrere ; statim autem subvertendi curriculum breviore tempore constitutum clara lex nondum promulgata videtur.

---

419. — S. CONGR. DE SACRAMENTIS

DECLARATIO 2 IUNII 1910

Decreti « Ne temere » de Sponsalibus et Matrimonio Goana et aliarum (A. A. S. 15 iun. 1910, 2, 447)

Narratur pactum conventum inter S. Sedem et Lusitaniae regem,

Vi legum inter Apostolicam Sedem et Regem fidelissimum Lusitaniae concordatarum, circa exercitium iuris regii patronatus in nonnullis dioecesibus Indiarum Orientalium, sancitum fuit ut, quod ad plures fideles, iurisdictio quorundam Ordinariorum ea in regione sit personalis, non solum quia praefatis Ordinariis data est iurisdictio exclusiva et exempta in certa loca extra territorium continuum propriae dioecesis et intra territorium alterius dioecesis sita, sed etiam quia ob factam mutationem domicilii ab una dioecesi in aliam, iurisdictio sui cuiusque Ordinarii in subditum migrantem non amittitur. Et quod attinet etiam ad matrimonia ineunda, in comitiis S. C. de Prop. Fide una cum S. Congregatione Ecclesiasticis negotiis extraordinariis praeposita, die 11 sept. 1887. ad dubium VI : « Utrum quod ad parochialia, baptismos, matrimonia, communionem Paschalem, Extremam Unctionem et S. Viaticum exemptis (in Archidioecesi Bombayensi) liberum sit, si velint, recurrere ad Ordinarium loci vel sacerdotes eius, omissa quaestione de exemptione renuntianda », responsum fuit : « Negative » ; et haec atque aliae eiusmodi decisiones deinde ad omnes dioeceses duplicis iurisdictionis extensae fuerunt.

et responsum P. F. de competentia matrimoniali, etc. in Indiis.

Difficultas componendi ista cum novo iure decreti « Ne temere », et declaratione 1 feb. 1908.

At memorata circa parochialia personalis et exclusiva iurisdictio iis in dioecesibus impediri videtur, quod ad matrimonia, ex edito Decreto « *Ne temere* », *De sponsalibus et matrimonio,* iuxta quod iurisdictio Ordinariorum et parochorum, circa assistentiam matrimoniis praestandam, facta est omnino territorialis.

Re quidem vera, quod ad parochos qui in territorio aliis parochis assignato subditos sibi habent, decisum est etiam a S. C. Conc. in *Romana et aliarum, Dubiorum circa decretum de sponsalibus et matrimonio*, die 1ª februarii 1908, eos valide matrimoniis subditorum assistere ; nam proposito dubio IX : « Ubinam et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis assistere valeat »,

responsum fuit: « Affirmative, quod ad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum Sanctissimo ». Sed haec resolutio, quod ad tum validitatem cum liceitatem, iuribus parochorum territorialium officere non videtur; qui ideo, iuxta cit. decretum *Ne temere*, valide semper in propria paroecia, et licite quoque, praehabita menstrua alterutrius contrahentis commoratione, matrimoniis fidelium etiam exemptorum assistere videntur.

Proposita quaestio dilata est.

Quapropter, cum quaestio de praefata duplici iurisdictione in Indiis Orientalibus, quod spectat ad novas dispositiones decreti *Ne temere*, orta fuerit inter Archiepiscopum Bombayensem et Episcopum Damanensem, in generali conventu S. C. Conc. habito die 27 Iulii 1908 in *Romana et aliarum*, propositum est dubium VIII: « Utrum subditi dioecesis Damanensis, in dioecesi tamen Bombayensi commorantes, et e converso subditi dioecesis Bombayensis degentes in dioecesi Damanensi, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali, vel possint etiam coram parocho territorii »; cui dubio EE. PP. responderunt: *Dilata*.

Instantia pro solutione

Verum tum hodiernus Archiepiscopus Goanus, Patriarcha omnium Indiarum Orientalium honoris causa, nomine etiam Ordinariorum Provinciae Ecclesiasticae Goanae, tum, ex altera parte, praefatus Archiepiscopus Bombayensis ab H. S. C. iteratis precibus petiverunt ut quaestio dirimeretur; et Goanus Archiepiscopus notitias quoque locorum et personarum exposuit pro quibus duplex iurisdictio viget: ideoque, ut mens erat S. Congregationis Concilii, quaestio quod ad omnes eius generis dioeceses in Indiis Orientalibus suscepta est definienda.

Dubium *ampliatum, examinatum in comitiis 27 maii 1910.*

Ad quam rem in plenario conventu huius S. C. de disciplina Sacramentorum, habito die 27 mensis maii 1910 sequens dubium solvendum propositum fuit:

Utrum degentes in locis Indiarum Orientalium in quibus viget duplex iurisdictio, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali, vel possint etiam coram parocho territorii.

Et E^mi ac R^mi Patres, re mature perpensa, proposito dubio respondendum censuerunt:

Responsum.

Attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, affirmative ad 1^am partem, negative ad 2^am, facto verbo cum SS^mo.

Approbatio SSmi.

Facta autem SS^mo relatione de omnibus a R. P. D. Secretario eiusdem S. C., in audientia diei 29 maii 1910, Sanctitas Sua E^morum Patrum decisionem approbare et confirmare dignata est.

Dies (2 iun. 1910).

Datum ex aedibus S. C. de disciplina Sacramentorum, die 2 mensis iunii, anno 1910.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
Ph. Giustini, Secretarius.

ERRATUM

De dioecesi Rosen.

Ad p. 119, n. 9, a. De dioecesis nomine et loco decepti sumus. Compertum iam habemus, in responso ad 9, dato 13 mart. 1910, agi de dioecesi Rosensi (Roseau) quae plures complectitur Antillarum insulas sedemque habet in insula Dominica. Age porro mota difficultas conectitur cum valde diffusa inter barbaras gentes Africae

vel Americae superstitione, qua existimant nomen physico vinculo personae coniungi ita ut per nominis medium actiones magicae in ipsam personam exerceri possint. Hinc in pluribus partibus nomina interdicto cui nomen *tabou* pronuntiari vetantur vel accurate celantur. Personae tunc distinguuntur cognomine quopiam pinguis, grandis, parvi, nigri, etc. vel gradu propinquitatis : fratris, filii maioris natu, etc. ; vel nomine generico designantur ; vel, praeter nomen sacrum et verum, vulgari nomine muniuntur. (Cfr. Bros, *La religion des peuples non civilisés*, p. 197, vel I. S. Frazer. *Le rameau d'or.* Etude sur la magie et la religion. T. 1. Magie et religion. Les tabous. Trad. de l'anglais par B. Stiebel Paris, 1903. Posterius opus animo non catholico scriptum est.)

---

420. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSUM 3-4 IUN. 1910

De abbatissis et aliis praefectis perpetuis extra Italiam

(A. A. S. 1 iul. 1910, 2, 483)

Antiquum **dubium** *de Superioribus perpetuis.*

Deliberatio 3 iunii 1910.

Responsum.

Cum adhuc perdurent dubia circa extensionem Constitutionis *Exposcit debitum*, diei 1 ianuarii 1583, extra Italiam, re, in plenariis Comitiis Sacrae Congregationis de Religiosis die 3 iunii 1910 habitis, proposita, omnibus maturissime perpensis, E^mi ac R^mi Patres Cardinales declarandum censuerunt: *Servandas esse hac in re extra Italiam regulas et constitutiones a Sancta Sede approbatas et consuetudines immemorabiles ; facto verbo cum Sanctissimo.*

Approbatio pontificia.

Dies (4 iun. 1910).

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia, die 4 eiusdem mensis iunii infrascripto Subsecretario concessa, sententiam E^morum Patrum approbare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque, minime obstantibus.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
Franciscus Cherubini, Subsecretarius.

Quid habeat C. « Exposcit debitum ».

Gregorius XIII in Constitutione *Exposcit debitum* statuit, ut *in universa Italia et praesertim in utriusque Siciliae Regnis*, Abbatissae et aliae Monasteriis Praefectae, cuiuscumque Ordinis, non amplius in perpetuum, sed ad triennium tantum eligerentur, quo elapso, iterum et pluries, servata forma in Concilio Tridentino statuta, eligi possent.

Annotatio

Quia lex cuius vis *universalis intimatur* lata est de Monasteriis votorum sollemnium, huius modi Monialibus est, etiam extra Italiam, eius vis circumscribenda.

---

421. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO 9 IUN. 1910

Generaliorem hoc anno concedens gratiam indulgentiae « Portiunculae »

(A. A. S. 15 iun. 1910, 2, 443)

Gratiae occasio: septiens saecularia sollemnia Fratrum Minorum.

Sacris sollemniis ob septem ab instituto amplissimo Fratrum Minorum Ordine revoluta saecula iam ad finem feliciter vertentibus, ut tam fausti eventus iugis memoria perseveret ac fructus, piis fidelium votis pro faciliori PORTIUNCULAE, quam vocant, INDULGENTIAE consecutione ex animo obsecundantes, quae sequuntur, motu proprio atque ex certa scientia, suprema Nostra apostolica auctoritate statuimus ac decernimus :

Ordinariis fit facultas designandi ecclesias et oratoria ubi hoc anno indulgentia Portiunculae obtineri possit.

Firmis, scilicet, de memorata Indulgentia antea quomodocumque factis, quae nondum expiraverint, concessionibus, facultatem facimus omnibus et singulis locorum Ordinariis unam aut plures, pro rei opportunitate, in quovis propriae ditionis loco ecclesias aut publica vel semipublica oratoria designandi, ubi fideles, rite confessi et Sacra Synapsi refecti ac devote iuxta Nostram intentionem orantes, a vesperis diei primae ad solis occasum diei secundae mensis augusti anni currentis, *totiens quotiens* ea visitaverint, haud secus ac si aliquam Ordinis Minorum ecclesiam visitassent, *Indulgentiam Plenariam*, animabus etiam quas purgatorius ignis emundat, applicabilem, lucrari possint ac valeant.

Fidelibus vitam communem agentibus satis erit ecclesiam vel oratorium visitare.

Hanc vero eandem Indulgentiam, iisdem sub condicionibus eademque ratione lucrifieri posse concedimus a fidelibus utriusque sexus communem vitam agentibus qui propriam ecclesiam vel, si careant, proprium domesticum oratorium, ubi SSma Eucharistia asservatur, ut supra, visitaverint.

Transferendi diem facultas fit Ordinariis.

Ne cui demum, praestantissimo hoc spirituali beneficio, ob peculiaria fortassis rerum adiuncta, fruendi copia desit, benigne indulgemus iisdem locorum Ordinariis ut ad supradictam Indulgentiam lucrandam statuere possint tam pro in saeculo quam pro piis in communitatibus viventibus fidelibus, loco diei secundae augusti, Dominicam proxime insequentem, a vesperis Sabbati ad solis occasum ipsius Dominicae, hac tamen sub lege ut nequeat quis eadem concessione bis frui.

Votum Pontificis de celebratione sollemnitatis.

Optamus autem vehementer ac summopere commendamus ut in ecclesiis oratoriisve, ut supra, designatis, die ad Indulgentiam lucrandam statuta, speciales publicae ad Deum supplicationes pro Summo Pontifice, Ministris Sanctuarii universaque militanti Ecclesia peragantur ; eaeque, praemissa invocatione Seraphici Patriarchae ac Litaniis Sanctorum, Benedictione Eucharistica absolvantur.

Clausulae.

Ita volumus, decernimus, sancimus, mandantes, ad quos spectat ut ad fidelium notitiam haec omnia tempestive deducenda curent. Praesentibus hoc anno et occasione tantum valituris. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Dies (9 iun. 1910).

Datum Romae apud S. Petrum, die IX iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

422. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO 29 IUN. 1910

De iureiurando Doctorum Sacrae Scripturae

(A. S. S. 1 iul. 1910, 2, 469.)

Memoratis superioribus actis, S. Pontifex, doctrinae sacrae, et securiori bono Magistrorum atque alumnorum et Ecclesiae prospecturus, motu proprio, omnibus qui S. Scripturae lauream sunt consecuturi iusiurandum imponit,

Illibatae custodienda Religionis Nostrae doctrinae animum intendentes, plura superioribus annis providenda ac sancienda curavimus quorum virtute, Decessoris Nostri fel. rec. exempla secuti, tum debitum responsis Sacri Consilii de Re Biblica obsequium firmavimus, tum proprium huiusmodi colendis studiis, aetate hac nostra quam quae maxime gravibus, Institutum condidimus. Quoniam vero non id tantummodo Cordi Nobis est alumnos, ad magisterium contendentes, praesidiis disciplinae consentaneis ita instruere ut scientiam de Re Biblica perfecte calleant et progressionem finitimarum doctrinarum in Sacros libros defendendos apte derivent, sed etiam ut, magisterium assecuti, haustam disciplinam fideliter tradant, scientiamque in discipulorum mentibus sine ulla devii sensus suspicione inserant, idcirco formulam praeterea iurisiurandi praescribendam putavimus, quam candidati ad lauream, antequam Doctoris titulo in Sacra Scriptura donentur, recitare atque emittere teneantur. Itaque, tum doctrinae Sacrae, tum Magistrorum alumnorumque, tum denique Ecclesiae ipsius securiori bono prospecturi, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuumque in modum, decernimus, volumus, praecipimus, ut, qui in Sacra Scriptura Doctores sint renuntiandi, iuramenti formulam in hunc, qui sequitur, modum emittant :

cuius haec est formula.

« Ego N. N. omni qua par est reverentia me subicio et sincero « animo adhaereo omnibus decisionibus, declarationibus et praes- « criptionibus Apostolicae Sedis seu Romanorum Pontificum de « Sacris Scripturis deque recta earumdem explanandarum ratione, « praesertim vero Leonis XIII Litteris encyclicis *Providentissimus* « *Deus*, die XVIII novembris anno MDCCCXCIII datis, nec non « Pii X Motu proprio *Praestantia Scripturae Sacrae*, dato die « XVIII novembris anno MDCCCCVII, eiusque Apostolicis Litteris « *Vineae electae*, datis die VII maii anno MDCCCCIX, quibus « edicitur « universos omnes conscientiae obstringi officio sen- » tentiis Pontificalis Consilii de Re Biblica, ad doctrinam perti- » nentibus, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac eden- » tur, perinde ac decretis Sacrarum Congregationum a Pontifice » probatis, se subiciendi ; nec posse notam tum detrectatae obe- » dientiae tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi » quotquot verbis scriptisque sententias has tales impugnent » ; « quare spondeo me « principia et decreta per Sedem Apostolicam » et pontificiam Biblicam Commissionem edita vel edenda » uti » supremam studiorum normam et regulam » fideliter, integre « sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nec um- « quam me sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque « eadem esse impugnaturum. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus « adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».

Quod vero, documento hoc Nostro, Motu proprio edito, statutum est, id ratum firmumque esse iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Derogatio contrarium.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIX iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

Dies (29 iunii 1910).

PIUS PP. X

---

423. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 3 IUL. 1910

Evulgationem commendans decretorum de religiosis
(A. A. S. 15 iul. 1910, 2, 523)

Apostolica Sedes, admodum sollicita provehendae perfectionis inter Religiosas utriusque sexus Familias, plures edidit easque saluberrimas leges, quibus quaedam vetantur, quaedam praescribuntur, ad Sodalium ingressum, institutionem, vota, studia, vitae externae rationem aliaque id genus apte moderanda.

Memorata legum latarum utilitate et momento,

Inter quas leges, nonnullae tanti ponderis sunt, ut, iis non servatis, quidam actus invalidi, alii poenis ecclesiasticis multati, omnes autem saltem illiciti sint.

Saepe vero contingit, ut quae Apostolica Sedes sapienter constituit, ad notitiam omnium Congregationum vel Domorum Religiosarum, praesertim Monialium, non perveniant, legum beneficio sic prorsus amisso. Ita, in exemplum, dicendum de Decretis: *Singulari quidem*, 27 martii 1896, quod ad quaestuationem; *Perpensis*, 3 maii 1902, de triennali experimento sollemni professioni religiosae praemittendo; *Quemadmodum*, 17 decembris 1890, de relatione conscientiae; *Sacra Tridentina Synodus*, 20 decembris 1905, de Communione frequenti; *Inter ea*, 7 septembris 1909, de debitis contrahendis; *Ecclesia Christi*, 7 septembris 1909, de quibusdam Postulantibus in religiosas Familias non admittendis; *Sanctissimum*, 4 ianuarii 1910, quo praecedens decretum ad religiosas mulierum Familias extenditur, et de aliis.

et recitatis principalibus,

Haec igitur Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, summopere commendat Rev^mis^ locorum Ordinariis eorumque delegatis seu deputatis ad Monasteria, praesertim Monialium, quae domum sui iuris constituunt, nec generalem Superiorissam habent, ut notitiam decretorum, etiam in posterum edendorum, quae vitam religiosam respiciunt, efficaciter evulgent inter Religiosas Familias et Instituta quoque dioecesana, ad abusus, si qui irrepserint, tollendos, ad bonum largius diffundendum et uniformitatem in rerum canonicarum observantiam ubique obtinendam.

S. C. Religiosorum commendat efficacem istorum decretorum evulgationem, ab Ordinariis et deputatis ad Sorores facienda.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 3 iulii 1910.

Dies (3 iul. 1910).

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
F. Cherubini, Subsecretarius.

ANNOTATIONES

1. Iuvabit locos indicare quibus, sive in t. 2 operis nostri *De religiosis institutis ac personis*, sive in PERIODICIS nostris, monumenta indicata reperiuntur. Itaque decr. *Singulari* habetur in ipso opere, t. 2, n. **200**, p. 401 (4ae édit.); decr. *Perpensis*, t. 2, n. **64**, p. 183; decr. *Quemadmodum*, t. 2, n. **230A**, p. 488; decr. *Sacra Tridentina*, t. 2, n. **220bis**, p. 465; decr. *Interea*, PERIODICA, t. 5, n. **331**, p. 11; decr. *Ecclesia Christi*, PERIODICA, t. 5, n. **346**, p. 53; decr. *Sanctissimum*, PERIODICA, t. 5, n. **378**, p. 98.

2. Observes decreta esse etiam cum institutis dioecesanis communicanda, non quod per se in ipsa cadant (contra, expressa mentio quae haec fit potius suadet in ipsa per se non cadere), sed quia menti S. Sedi consentaneum est ut auctoritate episcopali prudenter in eadem transferantur.

---

424. — S. CONGR. S. OFFICII (Sectio de indulgentiis)

DECLARATIONES 17 IUN. ET 13 IUL. 1910

De Motu Proprio « Cum per apostolicas », 7 april. 1910

(A. A. S. 1 iul. et 15 aug. 1910, 2, 477.)

A. Decl. 17 iun. 1910. Feria IV, die 15 iunii 1910

Dubiorum occasio et **Dubia.**

Exortis circa interpretationem Motus Proprii « *Cum per Apostolicas* », diei 7 aprilis anni currentis, quibusdam dubiis, Supremae huic Sacrae Congregationi S. Officii sequentia proposita sunt, videlicet:

1 et 2. De concessionibus factis ante 1 nov. 1908, vel quae prodierunt ab alio Officio praeter S. C. Indulgent.; Secretarias Brevium et Memorialium.

1° Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendae exhiberi debeant concessiones Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium quae ante diem 1 novembris 1908 a S. Congregatione tunc temporis Indulgentiis praeposita et a Secretariis Brevium et Memorialium obtentae fuerunt?

2° An dictae exhibitioni sint obnoxiae concessiones Indulgentiarum facultatumque Indulgentias respicientium quae a Brevium Secretaria obtentae sunt post diem 1 novembris 1908; quaeque sive ante sive post eandem diem 1 novembris 1908 a quovis alio, praeter recensita, S. Sedis Officio seu Dicasterio prodierunt?

3. De concessionibus ante diem 1 nov. factis aliter ac per laudata S. Sedis Officia?

3° An Indulgentiae ac facultates Indulgentias respicientes ante diem 1 novembris 1908 aliter quam per tramitem alicuius ex supra laudatis S. Sedis Officiis seu Dicasteriis obtentae, debeant et ipsae S. Congregationi S. Officii exhiberi ab eaque recognosci sub poena nullitatis?

De facultatibus quae ab Ordinibus religiosis conceduntur.

4° Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendae, ut supra, exhiberi debeant facultates, quae conceduntur ex peculiari Apostolico privilegio ab Ordinibus Religiosis, tamquam ipsorum propriae, benedicendi pias imagines, coronas, scapularia, numismata et similia (utpote a Minoribus pro Crucifixis ad Viam Crucis, a Praedicatoribus pro coronis Rosarii, a Carmelitis pro scapularibus B. M. V. de Monte Carmelo, etc.) iisque Indulgentias annectendi?

Quibus mature perpensis, E^mi ac R^mi DD. Cardinales Inquisitores Generales in plenario conventu habito feria IV die 15 curr. mensis iunii respondendum decreverunt :

Responsa.

Ad 1um. Negative. *Ad 1.*

Ad 2um. Affirmative ad utramque partem. *Ad 2.*

Ad 3um. Affirmative. *Ad 3.*

Ad 4um. Negative. *Ad 4.*

Sequenti vero feria V, die 16 eiusdem mensis, SS^mus D. N. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, E^morum Patrum resolutiones approbare et confirmare dignatus est atque insimul declarare « non fuisse suae intentionis comprehendere sub N. 1° Motus Proprii « *Cum per Apostolicas* » facultatem Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria una alterave vice vel determinato alicui personarum coetui impertiendi. »

Approbatio Pontificis, qui etiam facultatem excipti impertiendi Benedict. Ap. cum indulg. plenaria semel vel bis, vel determinato coetui personarum concessa.

Romae, ex Aedibus S. Officii, die 17 iunii 1910.

Aloisius Giambene, Substitutus pro Indulgentiis.

Dies (17 iun. 1910).

B. Declaratio 13 iul. 1910. Feria IV, die iulii 1910.

Circa interpretationem Motus Proprii « *Cum per Apostolicas* » diei 7 aprilis currentis anni 1910, Supremae huic Sacrae Congregationi S. Officii sequentia dubia proposita sunt :

Dubia.

1° Utrum Sacrae Congregationi S. Officii recognoscendae exhiberi debeant concessiones Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium, quae ante diem 1^am novembris 1908 a S. Congregatione de Propaganda Fide factae fuerunt suis subditis.

De exhibitione indulgentiarum quae a S. C. de Propaganda Fide suis subditis concessae sint vel concedantur.

2° Utrum exhiberi debeant recognitioni Congregationis S. Officii concessiones Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium factae ab eadem Congregatione de Propaganda Fide post diem 1^am novembris 1908 et in posterum ab eadem faciendae suis subditis.

Quibus mature perpensis, E^mi ac R^mi DD. Cardinales Inquisitores Generales in plenario conventu habito feria IV, die 13 curr. mensis iulii, respondendum decreverunt :

Dies deliberationis (13 iul. 1910.)

Responsa.

Ad 1um. Negative.

Ad 2um. Negative.

Et ad mentem. Mens est ut firma et observanda maneat lata lex per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum ac SS. Reliquiarum a Benedicto XIV approbatum die 28 ianuarii 1756, confirmatum a Pio PP. IX, die 14 aprilis 1856, iterumque confirmatum a SS^mo D^no Nostro Pio PP. X, die 29 septembris 1908 *(Ordo servandus in Romana Curia, Normae peculiares cap. VII, art. 2, n. 81)* hoc est :

Additur mens qua confirmatur pristinum ius.

« Impetrantes posthac generales Indulgentiarum concessiones teneri sub poena nullitatis gratiae obtentae exemplar earundem concessionum ad Secretariam S. Congregationis deferre ». Idest, ad Secretariam S. Officii. »

Sequenti vero feria V, die 14 eiusdem mensis, SS^mus D. N. Pius divina providentia Papa X, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, E^morum Patrum resolutiones approbare et confirmare dignatus est.

Approbatio pontificia.

Romae, ex Aedibus S. Officii, die 15 iulii 1910.

Aloisius Giambene, Substitutus pro Indulgentiis.

Dies (15 iul. 1910.)

ANNOTATIONES

De utraque declaratione iuvabit distincte haec notare.

I. *De declaratione 17 iun. 1910.*

1. Praesenti responso opportunae dantur declarationes decreti *Motu Proprio* editi 17 iun. 1910. De quo cfr. PERIODICA, supra, p. 126-128. Et quia decretum istud conceptis verbis referebatur ad reformationem Curiae quae, *Cᵉ Sapienti Consilio* 29 iun. 1908 promulgata, a 1 novembris 1908 vim suam obtinuit, plures interpretes negabant facultates ante 1ᵃᵐ nov. 1908 factas in praesentem legem cadere. Quam probabilem explicationem S. Officium non penitus approbat, cum haec definite statuat :

a) Indulgentiae et facultates quae indulgentias respiciunt obtentae ab *Officio* seu *Discaterio* S. Sedis, praeter S. Congr. Indulgentiarum, Secretariam Brevium et Memorialium, exhibendae sunt S. Officio, sive ante sive post 1ᵃᵐ novembris 1908 fuerint concessae. (Responsio ad 2).

b) Exhibendae pariter sunt S. Officio eaedem gratiae aliter ac per tramitem dicasterii S. Sedis obtentae sive ante sive post 1ᵃᵐ nov. 1908 fuerint impertitae. (Responsio ad 3.) Huc spectant potissimum gratiae factae ab ipso Pontifice. Quas gratias comprehendi diximus supra, p. 128.

c) Non autem exhibendae sunt indulgentiae et facultates quas ante 1 nov. 1908 concesserint S. C. Indulgentiarum, Secretaria Brevium vel Memorialium ; dum legi exhibitionis obnoxiae declarantur indulgentiae, post 1 nov. 1908 a superstite Brevium Secretaria concessae. (Responsio ad 1 et ad 2.)

d) Numquam autem exhibendae sunt facultates quas Superiores Regulares vi privilegiorum suorum concesserint. Sic etiam diximus p. 127. 128.

e) Denique S. Pontifex ipse excepit facultatem impertiendi una alterave vice vel determinato personarum coetui facultatem Apostolicam cum Indulgentia plenaria.

Plures sunt qui etiam excipiant benedictionem quam cum indulgentia plenaria in articulo mortis S. Pontifex concedit peregrinis eorumque parentibus. Quod magis tamen menti quam verbis novae legis consentaneum arbitramur. Cfr. dicta p. 127.

II. *De declaratione 13 iul. 1910*

Novissima ista declaratione prius monemur lege exhibendi gratias S. Officio exemptas esse quotquot gratiae per S. Congregationem de Propaganda Fide pro suis subditis concessae iam sint vel concedantur.

Ad bina responsa *Negative;* mens adiungitur de cuius vi et significatione dubitari potest. Prima enim specie putaveris generaliore ratione urgeri observationem legis quae contenta est decreto S. Congr. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, quod Benedictus XIV die 28 ian. 1756 approbavit quodque, praeter novam Pii IX sanctionem, recentius ratum habuit SS. D. N. Pius Pp. X, die 29 sept. 1908, in peculiaribus Normis Ordinis servandi in Romana Curia. Quod si ita dicendum foret, nuperrimum Motu proprio *Cum per apostolicas*, 7 april. 1910, datum decretum de exhibendis facultatibus et indulgentiis etiam particularibus S. Officio, tacita abrogatione, ad pristinae legis terminos, assentiente Pontifice revocatum videretur.

Nec longe aberamus ut huiusmodi sententiam amplecteremur. Verum subinde licuit mentem S. Sedis certius rescire. Exploratum itaque habuimus mentem istam cum ipsis responsis ita cohaerere ut, non minus quam ipsa responsa, ad solas concessiones Congregationis de Propaganda Fide pertinerent. Cum enim Secretarius huius Congregationis posset in audientia Sanctissimi generales impetrare indulgentias, Congregatio S. Officii (Sectio de indulgentiis) declaravit quidem facultates benedicendi et particulares indulgentias quas S. Congr. de Propaganda Fide suis subditis largiretur recenti Motu Proprio comprehensas non esse, simul autem impedire voluit ne hac indirecta via generales obtinerentur indulgentiae quae S. Officii recognitionem effugerent. Quare, mente quam ad responsa addidit, ipsa responsa temperavit ita ut de generalibus indulgentiis (idest perpetuis et universalibus) non valerent.

425. — S. C. DE SACRAMENTIS

RESPONSUM 29 APRILIS 1910 ET DECRETUM 8 AUG. 1910

De aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam

A. *Responsum 29 april. 1910*

Responsionis occasio et dies (29 april. 1910).

In plenariis S. Congregationis de disciplina sacramentorum comitiis, die 29 aprilis 1910 habitis, quaestio proposita fuit de aetate pro prima communione sive a pueris sive a puellis peragenda in Argentinensi dioecesi, prout A. T. R. datis ad id litteris expostulabat.

Responsum.

Iam vero Emi Patres, perpensis omnibus, decreverunt : « Pueros et Puellas, cum ad annos discretionis seu ad usum rationis pervenerint, ad sacram communionem admittendos esse. »

Dum EE. Patrum resolutionem A. T. notam facio, pergratum mihi est animi mei obsequentissimi sensus testari eidem A. T. cui fausta omnia a Deo apprecor.

Amplitudinis Tuae Revmae

uti Frater,
D. Card. Ferrata, *Praef.*

Annotatio

Responsum istud, quod episcopo Argentinensi (Strasbourg) datum est, in dioecesana ephemeride Strassburger Diözesanblatt vulgatum est. Illud a Canoniste contemporain, t. 33 (1910), p. 373, mutuamur. Particulare quidem est. Sed egregie confirmat id quod a pluribus annis magis ac magis S. Sedis oraculis inculcatur : Non esse, saltem quando agitur de primo sacramenti usu (non autem de exteriore sollemnitate cui renovatio promissionum baptismalium conectitur), statuendam aetatem ante quam pueri bene dispositi ius suum *divinitus* concessum exercere prohibeantur. Immo, cum ex Conc. Lateranensi, fideles postquam ad annos discretionis pervenerint, lege annuae communionis *teneantur* et lex ista eos respiciat qui *divino* praecepto communicare *debeant*, dubitari potest utrum mos qui invaluerit satis diu differendi primam communionem, vera sit consuetudo Ecclesiae an abusus quidam iansenianis praeiudiciis tribuendus. Ipsae etiam rationes quas theologi scriptores invenerunt ad usum istum tuendum non adeo efficaces videntur, praesertim si consideres optimos et bene paratos adulescentes puniri propter segniores, et gratiis puritatis et fervoris privari innocentes vel fragiles.

DECRETUM 8 AUGUSTI 1910

B. *Decretum 8 aug. 1910*

Singularis Christi amor in parvulos.

Quam singulari Christus amore parvulos in terris fuerit prosecutus, Evangelii paginae plane testantur. Cum ipsis enim versari in deliciis habuit ; ipsis manus imponere consuevit ; ipsos complecti, ipsis benedicere. Idem indigne tulit repelli eos a discipulis, quos gravibus his dictis reprehendit : *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos ; talium est enim regnum Dei* [1]. Quanti vero eorundem innocentiam animique candorem faceret, satis ostendit cum, advocato parvulo, discipulis ait : *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno caelorum. — Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo me suscipit* [2].

Primaeva Ecclesiae traditio de S. eucharistia lactentibus tradita,

Haec memorans catholica Ecclesia, vel a sui primordiis, admovere Christo parvulos curavit per eucharisticam Communionem, quam iisdem subministrare solita est etiam lactentibus. Id, ut in omnibus fere antiquis libris ritualibus ad usque saeculum XIII praescriptum est, in baptizando fiebat, eaque consuetudo alicubi diutius obtinuit ; apud Graecos et Orientales adhuc perseverat. Ad summovendum autem periculum, ne lactentes praesertim panem consecratum eicerent, ab initio mos invaluit Eucharistiam iisdem sub vini tantum specie ministrandi.

et saepius infantibus.

Neque in baptismate solum, sed subinde saepius divino epulo reficiebantur infantes. Nam et ecclesiarum quarundam consuetudo fuit Eucharistiam praebendi puerulis continuo post clerum, et alibi post adultorum Communionem residua fragmenta iisdem tradendi.

Obsoleto hoc more, disciplina Lateranensis propenitur,

Mos hic deinde in Ecclesia latina obsolevit, nec sacrae mensae participes fieri coeperunt infantes, nisi illucescentis rationis usum aliquem haberent et augusti Sacramenti notitiam quandam. Quae nova disciplina, ab aliquot Synodis particularibus iam recepta, sollemni sanctione firmata est oecumenici Concilii Lateranensis IV, anno MCCXV, promulgato celebri canone XXI, quo fidelibus, postquam aetatem rationis attigerint, sacramentalis Confessio praescribitur et Sacra Communio, hisce verbis : « Omnis utriusque « sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia « sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno « proprio sacerdoti, et iniunctam sibi paenitentiam studeat pro « viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha « Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacer- « dotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius per- « ceptione duxerit abstinendum ».

confirmata concilio Tridentino.

Concilium Tridentinum [3], nullo pacto reprobans antiquam disciplinam ministrandae parvulis Eucharistiae ante usum rationis, Lateranense decretum confirmavit et anathema dixit in eos qui contra sentirent : « Si quis negaverit omnes et singulos Christi « fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, « teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, « iuxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, anathema sit » [4].

---

[1] Marc. X, 13, 14, 16.
[2] Matth. XVIII, 3, 4, 5.
[3] Sess. XXI, *de Communione*, c. 4.
[4] Sess. XIII, de Eucharistia, c. 8, can. 9.

Igitur vi allati et adhuc vigentis decreti Lateranensis, Christi fideles, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, obligatione tenentur accedendi, saltem semel in anno, ad Paenitentiae et Eucharistiae sacramenta.

Conclusio de vigente obligatione.

Verum in hac rationis seu discretionis aetate statuenda haud pauci errores plorandique abusus decursu temporis inducti sunt. Fuerunt enim qui aliam sacramento Paenitentiae, aliam Eucharistiae suscipiendae discretionis aetatem assignandam esse censerent. Ad Paenitentiam quidem eam esse aetatem discretionis iudicarunt, in qua rectum ab inhonesto discerni posset, adeoque peccari ; ad Eucharistiam vero seriorem requiri aetatem, in qua rerum fidei notitia plenior animique praeparatio posset afferri maturior. Atque ita, pro variis locorum usibus hominumve opinionibus, ad primam Eucharistiae receptionem hinc decem annorum aetas vel duodecim, hinc quattuordecim vel maior etiam est constituta, prohibitis interim ab eucharistica Communione pueris vel adulescentibus praescripta aetate minoribus.

Errores interpretum distinguentium confessionem a communione, et definitam aetatem statuentium.

Istiusmodi consuetudo, qua per speciem tutandi decoris augusti Sacramenti arcentur ab ipso fideles, complurium exstitit causa malorum. Fiebat enim ut puerilis aetatis innocentia a Christi complexu divulsa, nullo interioris vitae succo aleretur ; ex quo illud etiam consequebatur, ut praevalido destituta praesidio iuventus, tot insidiis circumventa, amisso candore, ante in vitia rueret, quam sancta mysteria delibasset. Etiamsi vero primae Communioni diligentior institutio et accurata sacramentalis Confessio praemittatur, quod quidem non ubique fit, dolenda tamen semper est primae innocentiae iactura, quae, sumpta tenerioribus annis Eucharistia, poterat fortasse vitari.

Istiusmodi usuum detrimenta, non compensata diligentiore institutione.

Nec minus est reprobandus mos pluribus vigens in locis, quo sacramentalis Confessio inhibetur pueris nondum ad eucharisticam mensam admissis, aut iisdem absolutio non impertitur. Quo fit ut ipsi peccatorum fortasse gravium laqueis irretiti magno cum periculo diu iaceant.

Reprobatur etiam mos differendi usum Paenitentiae,

Quod vero maximum est, quibusdam in locis pueri nondum ad primam Communionem admissi, ne instante quidem mortis discrimine, Sacro muniri Viatico permittuntur, atque ita, defuncti et more infantium illati tumulo, Ecclesiae suffragiis non iuvantur.

et negandi viaticum pueris.

Eiusmodi damna inferunt qui extraordinariis praeparationibus primae Communioni praemittendis plus aequo insistunt, forte minus animadvertentes, id genus cautelae a Ianseniani erroribus esse profectum, qui Sanctissimam Eucharistiam praemium esse contendunt, non humanae fragilitatis medelam. Contra tamen profecto sensit Tridentina Synodus cum docuit, eam esse « antidotum quo liberemur a culpis cotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur »[1]; quae doctrina nuper a Sacra Congregatione Concilii pressius inculcata est decreto die XXVI mensis decembris an. MDCCCCV lato, quo ad Communionem cotidianam aditus universis, tum provectioris tum tenerioris aetatis patuit, duabus tantummodo impositis condicionibus, statu gratiae et recto voluntatis proposito.

Erroris causae sunt : a) minus bene intellecta S. Eucharistiae ratio,

Nec sane iusta causa esse videtur quamobrem, cum antiquitus sacrarum specierum residua parvulis etiam lactentibus distribue-

quae extraordinariam

[1] Sess. XIII, de Eucharistia, c. 2.

praeparationem non exigit.

rentur, extraordinaria nunc praeparatio a puerulis exigatur qui in primi candoris et innocentiae felicissima condicione versantur, mysticoque illo cibo, propter tot huius temporis insidias et pericula indigent maxime.

b) Falsa notio aetatis discretionis.

Quaenam sit aetas discretionis, concilio Lateranensi, doctorum auctoritate et decretis S. Sedis monstratur.

Quos reprehendimus abusus ex eo sunt repetendi, quod nec scite nec recte definiverint, quaenam sit aetas discretionis, qui aliam Paenitentiae, aliam Eucharistiae assignarunt. Unam tamen eandemque aetatem ad utrumque Sacramentum requirit Lateranense Concilium, cum coniunctum Confessionis et Communionis onus imponit. Igitur, quemadmodum ad Confessionem aetas discretionis ea censetur in qua honestum ab inhonesto distingui potest, nempe qua ad usum aliquem rationis pervenitur; sic ad Communionem ea esse dicenda est, qua eucharisticus panis queat a communi dignosci; quae rursus eadem est aetas in qua puer usum rationis est assecutus.

Nec rem aliter acceperunt praecipui Concilii Lateranensis interpretes et aequales illorum temporum. Ex historia enim Ecclesiae constat, synodos plures et episcopalia decreta, iam inde a saeculo XII, paulo post Lateranense Concilium, pueros annorum septem ad primam Communionem admisisse. Exstat praeterea summae auctoritatis testimonium, Doctor Aquinas, cuius haec legimus: « Quando iam pueri *incipiunt aliqualem* usum rationis « habere, ut possint devotionem concipere huius Sacramenti « (Eucharistiae), tunc potest iis hoc Sacramentum conferri [1] ». Quod sic explanat Ledesma: « Dico ex omnium consensu, quod omnibus « habentibus usum rationis danda est Eucharistia, quantumcumque « cito habeant illum usum rationis; esto quod adhuc confuse cog« noscat ille puer quid faciat [2] ». Eundem locum his verbis explicat Vasquez: « Si puer semel ad hunc usum rationis pervenerit, « statim ipso iure divino ita obligatur, ut Ecclesia non possit ipsum « omnino liberare [3] ». Eadem docuit S. Antoninus, scribens: « Sed « cum est doli capax (puer), cum scilicet potest peccare mortaliter, « tum obligatur ad praeceptum de Confessione, et per consequens « de Communione [4] ». Tridentinum quoque Concilium ad hanc impellit conclusionem. Dum enim memorat Sess. XXI, c. 4: « parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacra« mentalem Eucharistiae communionem », unam hanc rei rationem assignat, quod peccare non possint: « Siquidem, inquit, adeptam « filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt ». Ex quo patet hanc esse Concilii mentem, tunc pueros Communionis necessitate atque obligatione teneri cum gratiam peccando possunt amittere. His consonant Concilii Romani verba, sub Benedicto XIII celebrati ac docentis, obligationem Eucharistiae sumendae incipere « postquam pueruli ac puellae ad annum discretionis per« venerint, ad illam videlicet aetatem in qua sunt apti ad discer« nendum hunc sacramentalem cibum, qui alius non est quam « verum Iesu Christi corpus, a pane communi et profano, et sciunt « accedere cum debita pietate ac religione [5] ». Catechismus Romanus

---

1 Summ. Theol., 3 part., q. 80, a. 9, ad 3.
2 In S. Thom., 3 p., q. 80, a. 9, dub. 6.
3 In 3 P., S. Thom., disp. 214, c. 4, n. 43.
4 P. III, tit. c. 12, § 5.
5 Istruzione per quei che debbono la prima volta ammettersi alla S. Communione. Append. XXI. p. 11.

autem, « qua aetate, inquit, pueris sacra mysteria danda sint, « nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos, cui illi « confiteantur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris « percunctari, an huius admirabilis Sacramenti cognitionem ali- « quam acceperint et gustum habeant [1] ».

Nec perfecta requiritur cognitio rerum fidei.

Ex quibus omnibus colligitur aetatem discretionis ad Communionem eam esse, in qua puer panem eucharisticum a pane communi et corporali distinguere sciat ut ad altare possit devote accedere. Itaque non perfecta rerum Fidei cognitio requiritur, cum aliqua dumtaxat elementa sint satis, hoc est *aliqua cognitio* ; neque plenus rationis usus, cum sufficiat usus quidam incipiens, hoc est *aliqualis usus rationis*. Quapropter Communionem ulterius differre, ad eamque recipiendam maturiorem aetatem constituere, improbandum omnino est, idque Apostolica Sedes damnavit pluries. Sic fel. rec. Pius Papa IX litteris Cardinalis Antonelli ad episcopos Galliae datis die XII martii anno MDCCCLXVI invalescentem in quibusdam dioecesibus morem protrahendae primae Communionis ad maturiores eosque praefixos annos acriter improbavit. Sacra vero Congregatio Concilii, die XV mensis martii an. MDCCCLI, Concilii Provincialis Rothomagensis caput emendavit, quo pueri vetabantur infra duodecimum aetatis annum ad Communionem accedere. Nec absimili ratione se gessit haec S. Congregatio de disciplina Sacramentorum in causa Argentinensi die XXV mensis martii anno MDCCCCX ; in qua cum ageretur, admittine possent ad sacram Communionem pueri vel duodecim vel quatuordecim annorum, rescripsit : « Pueros et puellas, cum ad annos discre- « tionis seu ad usum rationis pervenerint, ad sacram mensam « admittendos esse ».

Hinc decretum ubique servandum.

Dies deliberationis, 15 iul. 1910.

Hisce omnibus mature perpensis, Sacer hic Ordo de disciplina Sacramentorum, in generali Congregatione habita die XV mensis iulii a. MDCCCCX, ut memorati abusus prorsus amoveantur et pueri vel a teneris annis Iesu Christo adhaereant, Eius vitam vivant, ac tutelam inveniant contra corruptelae pericula, sequentem normam de prima puerorum Communione, ubique servandam, statuere opportunum censuit.

Quaenam discretio requiratur, ut praecepto paschali quispiam teneatur.

I. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis.

Quaenam requiratur cognitio religionis.

II. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intellegentiae gradatim addiscere.

III. Cognitio religionis quae in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad SS. Eucharistiam accedat.

Quinam curare debeant obligationem puerorum.

IV. Obligatio praecepti Confessionis et Communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, et institutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices eius gerunt, et

[1] P. II, De Sacr. Euchari, n. 63.

ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

De generali puerorum communione.

V. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessarii've consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur.

Providendum sedulo est frequenti puerorum communioni et instructioni catecheticae.

VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam cottidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant.

Omnino eradicandus abusus pueros non absolvendi,

VII. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, cum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollatur.

nec muniendi Viatico aut Extr. Unctione.

VIII. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

Approbatio Pontificis.

Haec a PP. Cardinalibus Sacrae huius Congregationis sancita SSmus D. N. Pius Papa X, in audientia diei VII currentis mensis omnia approbavit, iussitque praesens edi ac promulgari decretum.

Mandatum vulgandi.

Singulis autem Ordinariis mandavit ut idem decretum, non modo parochis et clero significarent, sed etiam populo, cui voluit legi quotannis tempore praecepti paschalis, vernacula lingua.

Relatio quinquennalis.

Ipsi autem Ordinarii debebunt, unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris dioecesis negotiis, etiam de huius observantia decreti ad S. Sedem referre.

Clausula.

Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Dies (8 aug. 1910.)

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die VIII mensis augusti anno MDCCCCX.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*

Ph. Giustini, a secretis.

Annotationes

Praesentis decreti momentum et gravitas causa sunt cur de eo explicatius dicamus.

I. Considerationes generales

1. Decreto *Quam singulari* fastigium nobis poni videtur eucharistico operi quo SS. DD. NN. Pius PP. IX, radicitus extirpata omni ianseniana peste, liberrimum accessum omnibus christianis patere voluit ad Eum qui miris saltibus istis de quibus S. Gregorius Magnus [1], Se nobis tam proximum fecit. Quare verba Tridentinae synodi de eucharistica participatione sacrificii cui fideles

[1] Homilia 29, M. P. L. t. 76, col. 1219.

interessent interpretatus est de efficaci optato ad obtinendam cottidianam communionem expresso [1] ; adulescentes dein tali voto comprehensos esse a S. Congregatione Concilii est expressis verbis die 15 sept. 1906 declaratum [2]. Ad haec stabilienda, necesse fuit praeiudicia removere quae ipsa diuturna quasi possessione pro veris argumentis valere videbantur, istud praecipue, quo s. Eucharistiae usus in praemium potius quam in remedium infirmitatis et languentis vitae spiritualis institutus perhibebatur, dum contra Christus panem caelestem nobis, non quia vivebamus sed ut viveremus, praebuit manducandum.

Quis, haec considerans, mirari potest deinceps haec etiam de prima communione everti praeiudicia quorum ruina superioribus decretis et plurium doctorum placitis iam praeparata videbatur ? Namque, sicut ipsa novi decreti introductione exponitur, regnante iam Pio IX [3], declaratum erat aetatem primae communionis non posse synodali lege tamquam regulam universalem imponi. Quocirca non nulli scriptores distinguere coeperunt externam et communem primae communionis sollemnitatem, quam praescriptis dioecesanis subdebant, a privata ac singulari communione, quam confessarii et parentum arbitrio faciebant obnoxiam. Nuperrime autem hic supra recitatum responsum 25 martii 1910, iam satis perspicue principalem praesentis decreti dispositionem continet.

Verba porro C. Lateranensis IV (1215), « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno.... suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiae sacramentum », a moralibus theologis de communi discretionis aetate intellecta sunt. Hinc fateri debuerunt pueros tardius quam lex ista vellet, ad primam communionem admiti consuevisse (Cfr. GÉNICOT, n. 210). Quod rursus explicabant consuetudine, eamque legitimam arbitrabantur quia plenius de rebus fidei edocti et perfectiorem discretionem adepti, adulescentes divinum sacramentum maiore fructu susciperent. Verum, cum usus eucharistiae divina lege imponatur, Ecclesia autem praecepta divina declarare et pressius definire non autem dispensatione solvere possit, erat cur dubitaretur de ipsa Ecclesiae potestate hunc usum pueris differendi ultra aetatem qua divina lex eos obligare coeperat. Hoc certe modo ratiocinatur VASQUEZ [4] : « Si Ecclesia definit communem discretionem huic sacramento recipiendo sufficere, puer qui ad hunc usum rationis pervenit, statim ipso iure divino ita obligatur, ut Ecclesia non potuerit ipsum ab eo omnino liberare. » In ratione autem quam theologi afferebant maioris reverentiae, maioris fructus inde percipiendi, parum absimilis dignoscitur fallacia eius ob quam ipsis adultis rarus quandoque suadebatur istius sacramenti usus. Quae fallacia inde repetenda videtur, quod non considerabant fructum maioris reverentiae, quae saluberrimo alimento abstinet, cum damnosa inedia compensari.

2. De sacra communione hoc alterum erroris genus est commis-

---

1 Decr. *Sacra Tridentina*, 20 dec. 1905. PERIODICA, t. 2, n. 110, p. 616.

2 Cfr. PERIODICA, t. 3, n. 155, p. 158, ss.

3 Litteris C. Antonelli, 11 mart. 1866, ad episcopos Galliae ; resp. S. Congr. Conc. 15 mart. 1851.

4 In tertiam partem S. Thomae, disp. 214, c. 4, n. 43.

sum, ut res quae, privatae utilitati destinata, privato atque intimo consilio moderanda erat, ad externae directionis provinciam paulatim inflexa sit. Quare, ante aliquot annos, communiones religiosorum atque etiam sororum, imperio Superioris etiam laici vel Superiorissae regebantur ; ut laicis adultis communione refici liceret facultas a confessario facta stricte postulabatur ; pueri autem, in pluribus regionibus, neglectis perspicuis Catechismi Romani verbis, e synodali definitione et parochi arbitratu, qui aetatem et cognitionem intellectus potissimum respiciebat, prorsus quod ad primam communionem pendere existimabantur.

Variis S. Sedis actibus usus eucharistiae ad forum omnino internum est sensim sine sensu reductus. Superiorissis primum et Superioribus laicis (Decr. *Quemadmodum*), deinde etiam sacerdotibus (Decr. *Sacra Tridentina*) arbitrium communionum est ereptum ; pro licentia confessarii substitutum est *consilium* (Decr. *Sacra Tridentina*), et normae Catechismi Romani quod ad admissionem ad primam communionem iam responso 15 sept. 1906 renovatae sunt. Has apertius confirmans, praesens lex iis qui intimas puerorum dispositiones melius perspectas habent, id est parentibus et confessario, causam communionis puerorum restituit.

3. Istud etiam animadvertendum est. Olim, XVI°, XVII° et XVIII° saeculo, mos satis invaluit, ut fideles frequentius ad Paenitentiae tribunal quam ad Eucharisticam mensam accederent. Hinc apud optimos scriptores, v. gr. apud S. Franciscum Salesium, reperiuntur consilia huius modi, quibus confessio hebdomadaria, communio vero bis in mense suadetur. Facilius tunc temporis capi poterat ut, quadam istius moris extensione, etiam pueri pluribus confessionibus ad sacram eucharistiam participandam praeparar entur. Sed cum nunc adulti immediatam communionem cum confessione sociare consueverint, ita ut multi post unam confessionem corpore Domini saepius vescantur, minus perspicitur cur solis pueris, qui rite a peccatis absoluti sunt, communio diu differatur.

4. Haec demonstrant quomodo praesens lex ad mentem plurium superiorum legum vel sanctionum satis perfecte quadret, neque opportunis praenuntiis destituta sit.

Simul etiam edocemur, usum qui etiam diu in Ecclesia servatur, non semper pro authentice probata Ecclesiae consuetudine habendum esse, nec communem etiam probatissimorum virorum opinionem cum veritate necessario conecti. In hac re, unanimem doctrinam a communi, et quam tradunt ut catholice impositam ab ea quam humanis rationibus efficere student apprime distinguere iuvat. Ea solum doctorum sententia quae unanimis sit et tamquam catholice imposita perhibeatur, infallibilitate Ecclesiae munitur. Sin aliter neque usus quo, aetate S. Ambrosii, satis pii catechumeni baptismum in provectam aetatem differre solebant, neque communis interpretatio qua solaris motus circa tellurem ex ipsis Scripturis eruebatur, neque error de Immaculata Virginis Conceptione, quo principes scholae catholicae decepti sunt, incolumi Ecclesiae privilegio declarari possent. Sicut in fidei intellectu sic in usu mediorum sanctificationis proficere possumus. Ita fit ut iisdem decretis pontificiis quibus ad ardentiorem pietatem informamur, memorabilium documentorum prima vel renovata nobis proponatur scientia.

Generali ista consideratione omissa, ut ad propositum nostrum redeamus, rationes praesenti decreto convulsae a praestantissimis auctoritatibus propositae erant ; atque sententia quae hic improbatur, a S. Alphonso l. 6, n. 301 celebrabatur « tamquam communissima et probabilior », dum de priore sententia, cui patronos dabat S. Antoninum, et Sanctium (potius benigniorem) et duos scriptores citatos apud Escobar, S. Doctor, l. c. mere hoc habet : « probabilemque putat Diana cum Tab. »

II. Brevis, ipsius decreti expositio

Sed iam praestat brevem dare expositionem decreti quod tam in *motivis* quam in *conclusione* omni attentione nostra dignum est.

A. Prius itaque de *praefatione* haec notanda sunt :

A tenero affectu quo Christus pueros complectebatur pulchre exorsa, S. Congregatio fata dein historica memorat, quae ad binas tantum aetates referenda putat : alteram ante, alteram post C. Lateranense IV.

Ante istud concilium, Eucharistia tradita primum est etiam parvulis ac lactentibus : qui mos, quamvis in se minime reprobandus [1], tamen in latina Ecclesia paulatim obsolevit.

Novam disciplinam, iam a pluribus synodis inductam, sollemniter sanxit C. Lateranense IV, cuius verba, supra recitata, in decreto Tridentino sess. XIII de Euch. cap. 8, can. 9 confirmata esse S. Congregatio demonstrat.

Viget itaque decretum Lateranense, atque ita intellegendum dicitur, ut illucescente ratione et quadam sacramenti notitia percepta, pueri praecepto paschalis communionis teneantur.

Igitur, quae contra facta sunt, erroribus sunt tribuenda atque inter non probandos usus amandanda sunt.

Errores recitantur bini : a) Discretio alia declarata est Paenitentiae alia Eucharistiae suscipiendae sufficere : « respective ad rationem materiae », sicut ait S. Alphonsus l. 6 n. 301, post Suarez (3 p. d. 70, s. 1), Vasquez, l. c. n. 40, Lugo, *De Euch.* d. 13, n. 33, et plures alios. Addebant, SS. Eucharistiae necessitatem esse minorem, potiorem vero excellentiam : quae duae notae minorem suadebant Eucharistiae quam Paenitentiae maturationem.

b) Ad hunc errorem principalem accessit error secundarius quo plenior fidei instructio ad communicandum requirebatur.

Errandi *causa* assignatur Iansenismus, qui contendebat SS. Eucharistiam praemium esse potius quam humanae fragilitatis medelam. Hinc extraordinaria postulata est praeparatio, dum status gratiae cum recto voluntatis proposito, sufficientes sunt cotidianae communionis condiciones.

Ex erroribus manarunt *usus* vel *abusus :* a) prohibendi communionem iis qui definitam aetatem consecuti non erant ; b) negandi sacramentalem confessionem vel saltem absolutionem pueris nondum ad eucharisticam mensam admissis ; c) negandi iisdem pueris aegrotantibus viaticum.

Huiusmodi usuum *damna* sub oculis ponuntur : a) Ex dilata prima communione, damnum primae innocentiae, quae, si tenerioribus annis angelorum dape munita esset, intacta servari poterat ;

---

1 Conc. Trid. S. XXI. *De communione sub utraque specie et parvulorum*, c. 4.

b) Ex negata absolutione, periculum diuturni status peccati ; c) Ex negato viatico et adultorum sepultura, privatio suffragiorum Ecclesiae. Addas, propter tot huius temporis insidias et pericula, pueros mystico cibo maxime indigere.

Depulsis erroribus, praefatio condiciones primae communionis *positive* explicare non omittit. Sunt autem :

a) *Aetas* qua puer eucharisticum panem a communi dignoscit. Et quia haec formula a S. Thoma et deinceps satis recepta erat, ad praecavendam confusionem, per aequipollentes sententias mens S. Sedis magis aperitur. Negari enim non potest inter classicos doctores fuisse qui discretionem istam inter panem eucharisticum et communem ad aetatem satis grandem ascribebant. Ita ipse S. Thomas, quamvis merito laudetur tamquam permittens usum sacramenti pueris qui « incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere huius Sacramenti [1] » nihilominus congruentem aetatem esse dicit decem vel undecim annorum [2]. Caietanus autem decem annis contentus est ; quod etiam Vasquez l. c. improbare non videtur, etsi certam aetatem definire nolit. Contendit enim discretionem inter bonum et malum haberi ante quam puer utrumque panem, eucharisticum inquam et communem, alterum ab altero secernere queat. Lugo, *De Eucharistia* d. 13, qui ipse tamen n. 13, minorem pro confessione quam pro communione discretionem postulat, rectius, n. 39, ponit tunc in pueris inesse facultatem distinguendi eucharisticum cibum ab aliis cibis, « quando habent usum rationis ad peccandum vel paulo post ». Atque ab hoc momento pueros divino communionis praecepto obligat. Sed, ut ipse pergit, praeceptum illud obligat *determinate* pro mortis articulo, « pro alio autem tempore, iuxta determinationem Ecclesiae, quae in illa aetate non determinat omnino illis annuam communionem, sed cum maiore latitudine, iuxta consilium Confessarii ». Haec indicanda putavimus ut distincte noscamus quid doctores senserint et sic capiamus quam opportune S. Congregatio sententiam suam magis definite protulerit. Itaque, placitis adhaerens S. Antonini, qui tamen aliquatenus anceps videtur [3], perinde ferme habet puerum qui s. Eucharistiam a communi pane discernit. puerum qui gratiam peccando amittere potest, puerum septem annos natum.

b) *Elementaris*, non perfecta *rerum fidei cognitio.*

Hactenus de *praefatione* seu prius scriptis considerationibus.

B. De *ipsis decreti articulis* seu de *conclusione* haec observanda veniunt.

a) Primo articulo communis confessioni faciendae et communioni sumendae aetas ea esse definitur in qua puer *incipit* ratiocinari ; atque additur id circa *septimum* aetatis annum contingere. « *Ex hoc tempore* » (id est ex quo puer annos circiter septem est natus) *praecepto* Confessionis et Communionis tenetur. Praeceptum istud accipiendum est tam *divinum* quam *ecclesiasticum*.

b) Articulo altero negatur, sive ad confitendum sive ad communicandum, plena et perfecta doctrinae christianae cognitione esse opus. Quamquam manet obligatio scientiam istam postea perficiendi.

---

[1] *Summa theol.* 3 p. q. 80, art. 9, ad 3.
[2] In 4 sent. d. 9 q. 1, art. 5, ad quartam quaestionem.
[3] Cfr. op. c. 2 Part., tit. 29, c. 9, § 1 et 3 Part, t. 14, c. 12 § 5.

c) Positive, quaenam cognitio requiratur, articulo III explicatur. *Pro suo captu* debet puer mysteria necessitate medii credenda (quattuor consueta hic intellegas) percipere, et eucharisticum panem a communi et corporali distinguere. Tunc cum devotione quae aetati congruit ad S. Eucharistiam accedere poterit.

d) Articulus quartus sollicitudinem de praeceptis confessionis et communionis quae puerum astringunt iis imponit qui pueri curam habere debent: id est parentibus, confessario, institutori et parocho. Iam enim VASQUEZ, l. c. n. 41 probavit dictum a CAIETANO, pueros excusari cum ab iis quorum curae subsunt non sinuntur communicare. Ipsam autem admissionem ad primam communionem, secundum catechismum romanum, S. Congregatio tribuit *patri* aut eius vices gerentibus, et *confessario*.

e) Articulo quinto praecipitur ut semel aut pluries in anno parochi curent generalem puerorum communionem, per aliquot dies praeparatam, indicere atque habere. Ad eam non modo eos qui tum primum communicabunt, sed etiam qui iam ante, parentum vel confessarii assensu, sacra dape refecti sunt, admittere *debent*.

f) Articulo sexto inculcatur iis qui puerorum curam habent, ut pueros ad frequentem, immo, si fieri possit, ad cottidianam communionem cum devotione quam eorum fert aetas faciendam inducant, et religiosae puerorum institutioni provideant.

g) Articulo septimo Ordinarii iubentur, adhibitis etiam remediis iuris (id est praeceptis et poenis ecclesiasticis), penitus de medio tollere abusum non absolvendi pueros qui ad rationis usum pervenerint, vel

h) (Art. 8) negandi iisdem pueris viaticum et extremam Unctionem, eosque ritu parvulorum sepeliendi.

i) Ex verbis quae ipsis articulis praescribuntur, habemus, decreto isto normam statui quae *ubique* servanda est.

Quare, ut conclusio sonat, singuli Ordinarii debent non modo parochis et clero, sed etiam populo, decretum significare. Quotannis est lingua vulgari, tempore praecepti paschalis, populo legendum. Eiusque exsecutio inter puncta ponitur de quibus quinquennalis ad S. Sedem relatio facienda est.

III. QUAESTIONES QUAEDAM CANONICAE

1. *Decreti vis.* Decretum quidem est S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, et quidem *disciplinare*, sanctiones potius quam doctrinam moralem proponens, sed quod specifica Pontificis approbatione et promulgandi iussione vim legis universalis obtinet, non secus ac decretum *Sacra Tridentina*, in simili argumento a Ce. Concilii editum.

2. *Aetas primae communionis*, ex ipso decreto, statuenda est circa aetatem 7 annorum, sive supra, sive etiam infra (id est, ni fallimur, intra 6um et 8um annum) prout pueri capacitas suaserit. Haec regula est *concreta*, et per se sequenda, cui tamen dominatur regula superior abstracta, exigens ut puer ratiocinari coeperit, possitque cum devotione aetati suae accommodata sanctissimo sacramento frui. Quare tardius quorundam ingenium causa esse poterit cur ultra 8um annum sit differenda communio, sicut parum pia institutio puerum efficere potest etiam diutius indispositum. Prudenti consiliario illud semper ante oculos habendum est: num puer iste, pro modulo suo, devote ad communionem accedet?

Si devote, communicet et maxima quidem frequentia. Si nondum devote, exspectet, sed ad ipsam devotionem informetur.

3. *Quisnam puerum ad primam communionem admittit?* Quamvis ex art. 4 munus efficiendi consilio, adhortatione, monitione ut puer suas confitendi et communicandi obligationes impleat, parentibus, confessario, institutori ac parocho simul tribuatur, formalis tamen admissio patri seu eius locum tenenti et confessario (qui ceterum in superiore enumeratione ante institutorem et parochum nominantur) addicitur. Quare ad parochum quidem spectat parentes de sua obligatione et missione commonefacere, ipse tamen, *qua talis*, puerum ad primam communionem non admittit.

Quaeres utrum *coniuncte* an *separatim* admissio ista utrique, id est patri et confessario, addicatur? Ipsa rerum natura suadet ut collatis consiliis, parentes et confessarius de re ista decernant. Confessarius enim sententiam eorum qui puerum perpetuo observant magnifacere debet, et ultro auctoritati paternae quod aequum est concedere; parentes rursus prudentius agent si confessarii approbatione confirmentur. Consensus tamen iste formaliter non requiritur. In articulo enim quinto, parochus ad generalem communionem admittere iubetur quotquot, annuente parente *vel* confessario, sacra dape iam refecti sunt. Et, pro parentum condicione vel moribus, facile accidere potest, ut res cum solo confessario componenda sit. Immo alterutrius consensus non videtur esse condicio *iuridice* requisita ut puero communicare liceat. Manet enim decretum *Sacra Tridentina*, secundum quod *omnibus* idoneis accessus ad sacram mensam integer esse debet. Et responsione 15 sept. 1906 probantur dicta a Bellarmino [1]: « Infantes in baptismo ius acquirunt ad Eucharistiam percipiendam. » Nec aliqua decreti clausula vetat ne puer sine confessarii assensu communicet. Supponas itaque parentes esse communionis incuriosos, confessarium vero praeiudiciis impediri ne praesenti legi docilem oboedientiam exhibeat. Vir quilibet prudens possit puero, quem dispositum noverit, ius suum et officium communicandi proponere et declarare.

Ut aliis utamur verbis, sicut nunc pueri, hortantibus parentibus, ad confitendum accedere solent, nec tamen Confessarium sponte adire vetantur, sic etiam invitati a parentibus sacram mensam primum participabunt. Integrum tamen ipsis est Confessarii consilia opere persequi. Ad rem S. Antoninus [2]: « Parentes pueros cogere non debent ut communicent « sed debent bene eos hortari si vident eos habere bonam discretionem, vel dimittere in iudicio confessorum suorum. Retrahendo autem eos solum ex hoc quia sunt parvi, et quia non est de more patriae pueros, quantumcumque habeant usum rationis, quod communicent, graviter peccant. »

Sed, quamvis utile sit ut de re conveniant parentes et Confessarius, sedulo tamen cavendum est, ne hac occasione a severissima Sacramentalis sigilli lege recedatur. Si enim ex confessione peculiarem noverit necessitatem moralem pro puero communicandi, Confessarius eam non poterit parentibus declarare, vel, repetita flagitatione, insinuare. Satius ergo erit ut regulariter ipsi puero sententiam suam aperiat, quam puer subinde parentibus manifestam faciat.

---

1. *De Sacramento Eucharistiae*, l. 1, c. 7.
2. *Summa theologica* 2 Part. tit. 29, c. 9, § 1.

Confessarius autem quilibet, etiam quem puer adire non soleat ad primam communionem admittere potest.

4. *De generali puerorum communione.* Semel aut pluries in anno parochi indicere ubtentur et habere generalem puerorum communionem tam pro iis pueris qui tunc primum sunt ad sacram accessuri quam pro aliis qui, annuentibus parentibus vel confessario, sacra Eucharistia refecti iam sunt. Nec quidpiam prohibet ne etiam eos admittant qui generali communioni iam interfuerint, ita ut pueri per aliquot annos sollemnes istas caerimonias participare doceantur.

Nec, nostra sententia, obstat aliquod exterioris apparatus detrimentum inde oriundum. Sicut enim postea dicemus, alii caerimoniae consuetum apparatum annexum velimus.

Cum autem cura ista parochis imponatur, simul, ut nobis videtur, Ordinariis locorum indirecte potestas tribuitur praecipiendi ut omnes pueri *semel* in paroecia isti generali communioni assistant. Id est, Ordinarius de generali communione *semel* facienda praecipere potest quod nunc de sollemni prima communione in pluribus regionibus iniungere consueverat.

5. Decretum populo quot annis *tempore praecepti paschalis* legendum praecipitur. Quid autem in civitatibus ubi *toto anno* praeceptum paschale impleri potest? Respondemus, satis ibi esse ut semel in anno, quolibet tempore, decretum, praelegatur, quamvis menti S. Sedis magis consentaneum videatur ut circa festum Paschae praecepta lectio fiat.

6. *De initio obligationis.* Quotquot praesens norunt decretum, parentes et confessarii, ad claras eius normas consilia et actionem prudenter aptare possunt. Quod per se laudabile est. Caveant tamen confessarii ne Ordinariorum instructiones intempestive praevertant, et diversis agendi modis fideles perturbent.

Quamvis enim pueris qui a piis parentibus instituuntur, nova disciplina magnam utilitatem sine detrimento allatura sit, dissimulandum non est ex modica plurium parentum religione non leves manare difficultates quae triplicis potissimum generis esse possunt.

Alii parentes receptam moribus aetatem servatam volent neque ad parendum decreto dispositi erunt.

Alii, obtenta prima puerorum communione, instructionis catecheticae prorsus incuriosi erunt.

Alii denique — sic multi sunt in Gallia, — qui *unam* tantum filiis communionem concedunt, pueros, post communionem quam septem annos nati fecerint, nec s. communionem nec informationem religiosam suscipere iam patientur.

Ob huius modi incommoda aequum non est ut familiae vere christianae diutius tot maturioris communionis bonis priventur, praesertim cum ex aliis familiis paucissimi fructus spirituales (in dies fiunt minores) colligantur et sperentur. Verum haec sapientibus ordinationibus Ordinariorum locum dabunt ut de modo agendi parochi et ministri sacri doceantur.

Opinio satis probabilis legibus vacationem duorum mensium antequam obligent permittit. Hic tamen declarationem habemus iurium et officiorum potius quam constitutionem. Quare *moralis* diligentia adhibenda est ut sine mora sanctiones istae usu firmentur. Modica rursus plurium parentum pietas vel quaedam ex usu nata pertinacia, causae facile erunt cur quadam bona fide oboedientia

aliquo tempore differatur. Quare et istud cavendum videtur generalioribus instructionibus, quo modo practice fideles ad novam disciplinam sequendam inducendi sint.

Quaeres quandonam pueri qui nondum communicarunt, secundum autem decretum, ab uno vel pluribus annis communicare debuerant, *in paroecia* praeceptum paschale quo (cfr. art. 1) TENENTUR implere debeant.

R. In regionibus ubi tempus speciale indicitur communioni paschali, pueri proximum paschale tempus exspectare poterunt. Haec videtur rationabilis mens legislatoris huius modi legem novam condentis. Atque ipsis adultis qui praeceptum paschale violarunt, obligatio communionis paschalis, saltem in paroecia propria, pro currente anno stricte, aliquot elapsis mensibus, non urgetur. — Ubi vero annus totus tamquam utile tempus adultis proponitur, hoc ipso anno praeceptum istud erit a pueris implendum. Quia tamen annus intellegi potest a Paschate ad Pascha, solutio materialiter non mutatur, ita ut satis sit si circa proximum Pascha pueri in parochiali ecclesia communicent.

Suademus tamen ut, pro familiae et puerorum pietate, communio in Pascha non differatur. Potius etiam per se habemus, ut in familiis vel domibus ubi plures filii iam sint idonei, non omnes simul, sed, pro varia aetate, aliquo intervallo v. gr. unius vel alterius mensis, separati, ad sacram mensam, sine exteriore apparatu, primum ducantur, ut sic quispiam honor grandioribus deferatur.

Quaeres num Ordinarii primam communionem iis pueris negare possint qui ipsi quidem, pro aetate sua, bene dispositi sunt, sed, facta prima communione, praevidentur doctrina religiosa vel adeo usu sacramentorum privatum iri.

Per se id, nostra sententia, facere nequeunt, quia praeviso abusu vel incommodo futuro, nec ius tollitur nec officium dispensatur. Porro pueri, sufficienti discretione utentes, communicare non tantum possunt sed debent. Haec causa tantum esse potest cur parentes in quadam bona fide linquantur neque adeo apud ipsos vis praesentis declarationis urgeatur.

IV. De modo supplendi commoda hodiernae caerimoniae « primae communionis »

Negari nequit sua praesenti mori instituendi primam communionem commoda non deesse, quae haec praecipue sunt: perfectior cognitio fidei quam, ad primam communionem faciendam, non pauci sibi procurant qui secus eam neglexissent ; — maior fervor primae communionis, cuius suavis memoria pluribus occasio deinde fit conversionis ; — denique ipsa demonstrationis sollemnitas quae ad auctoritatem religioni conciliandam non parum valet.

Oportet itaque ut alia ratione conemur tanta bona servare. Quod attinet ad *fidei cognitionem*, magis magisque satagendum est ut in ipsis scholis, inter tot alias disciplinas in principalissima religionis disciplina alumni accurate erudiantur. Ceterum difficultas eos potius attingit qui scholas vix frequentant, vel scholas « neutrales » quas dicunt adire coguntur, atque ad parum pias familias pertinent. Atque his quidem etiam praesens consuetudo diu dilatae primae communionis satis parum prodest. Vix, facta prima communione,

menses aliquot elapsi sunt, cum iam penitus rudes esse in fide cernuntur. Conandum itaque est ut omnibus qui in collegiis vel aliis institutis de religione non satis docentur, proponatur atque etiam *imponatur*, per tempus sufficiens, assidua et fructuosa frequentatio catecheticae disciplinae, v. gr. in ecclesia. Quod possit *sub gravi reatu* parentibus vel pueris praecipi, ita ut simul praemiis vel aliis artibus alumnorum aemulatio excitetur.

Ad fervorem excitandum plus facient certe a tenerioribus annis inculcatus cultus eucharistiae, ac mores magis innocentes ipsa maturiore eucharistiae usu conservati, quam extraordinarius sed semel adhibitus apparatus exterior. Addas etiam in apparatu isto saepe mundana studia misceri, et vestium vanitate vel epularum splendore plures a piis considerationibus avocari, ita ut dies primae communionis ipsis fiat quasi profanatus. Si dein quibusdam credas physiologicarum et psychologicarum rerum studiosis, conatus facti ad magnam in pueris excitandam exspectationem vel emotionem, valetudini parum favent vel causa sunt spiritualis deceptionis in detrimentum fidei et verae pietatis.

Istud tamen superest, antiquo et generali more plurium gentium comprobari humanis ingeniis consentaneum esse ut sollemnis quidam paretur accessus ad pubertatem et ad novum istud vitae stadium in quo homo magis conscia ratione officiis moralibus fungi incipit. Sollemnitatem istam diu coniunximus primae communioni quasi sacramento adultorum. Quare tunc etiam personalis fidei professio in renovatis baptismi promissionibus est postulata. Sed num feliciter ? Nonne sic communio data est tardius pro plurium puritate, dum citius, pro ingenii maturitate, requisita est haec baptismi rati habitio ? Nova contra disciplina permittit ut sine incommodo sollemnis christianismi professio in eam aetatem differatur ubi, modo plane deliberato facta, re vera animos Christo despondeat. Nolimus itaque, si mentem aperire licet, ut apparatus exterior qui nunc primam communionem adulescentum decem vel duodecim annorum comitatur, primae puerorum septem annorum communioni satis inepte coniungatur. Id potius dolendum existimaverimus. Sed huc quam maxime conandum arbitramur, ut, tardius quam nunc, adulescentibus quattuordecim vel sedecim annorum publica, maximeque sollemnis indicetur caerimonia, pompis hodiernae nostrae primae communionis celebrata [1], quae finem imponat catecheticae institutioni, atque, a generali quadam communione initium ducens, consummetur in optime praeparata fidei professione et protestatione amoris erga Christum ducem, qua adulescentes firmiter spondeant se propter Christum vivere velle e quo a pueritia vivere edocti sunt, et sic in antecessum detestentur vitam istam mixtam, quae maxime hodiernam societatem vitiat, ubi semi paganismus practicus cu n fide Christi male consociatur.

---

1 In quibusdam regionibus, si tamen S. Sedi ita visum fuerit, sollemnis administratio sacramenti confirmationis huic caerimoniae coniungi possit, praesertim cum a multis pro sacramento adultorum habeatur.

DECRETA SUMMATIM RELATA

426. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Indulgentia concessa visitantibus ecclesiam Sublacensem a Sacro Specu.* (A. A. S. 31 maii 1910, 2, 405.)

Indulgentia plenaria cotidiana.

Litteris in forma brevis, 27 oct. 1909, Sanctissimus Dominus fidelibus qui, rite confessi, ad S. Synaxim in ecclesia sanctuarii a Sacro Specu, S. Benedicti, apud civitatem Sublacensem accesserint, ibique ad intentiones Sanctitatis Suae oraverint, indulgentiam plenariam, qualibet anni die lucrandam ac defunctis applicabilem, in perpetuum concessit.

B. *Reformatio Urbanae piae unionis S. Pauli Apostoli.* (A. A. S. 15 iun. 1910, 2, 437.)

Piae Unionis origo, reformatio, adiutrix decuria, sedes.

Optimo aliquot sacerdotum consilio, anno 1797 est in Urbe constituta *Pia Unio S. Pauli Apostoli* ad eos adiuvandos qui in valetudinariis aegrotarent. Quae dein, cooptatis etiam laicis, plura opera tamquam fructus protulit, quorum tria supererant. Hanc unionem Sanctissimus Dominus reformare voluit in societatem sacerdotum Urbis, qui paulatim ad vitam communem adducerentur, atque interea inter se cohaererent ad spirituales suas, scientificas atque etiam oeconomicas utilitates promovendas. Quod perfecit motu proprio 26 maii 1910, quo etiam Unionem istam Cardinali Vicario plene subiecit, propriisque legibus donavit. Observes, ex c. 2 § 4 piae Unioni affuturam advocatorum laicorum decuriam « qui et sociorum consultationibus de iure respondeant, et clerum, quotiens iniuriis affici contigerit, quod saepius per publica scripta usuvenit, in iudicio defendant. » Porro, sedes Piae Unionis definitur ad Mariae Paciferae, et in aedibus continentibus.

C. *Societas B. M. V. auxilii christianorum et reginae pacis loci « Beauchêne » in dioecesi Sagiensi (Séez) in archiconfraternitatem erigitur.* (A. A. S. 15 iun. 1910, 2, 444.)

Institutio archiconfraternitatis pro Gallia.

Litteris in forma brevis, 20 april. 1910, sodalitas in eccl. *Beauchêne* canonice erecta, sub invocatione Virginis auxilii christianorum et Reginae Pacis, privilegiis archisodalicii donatur, facta facultate sibi aggregandi societates eiusdem tituli atque instituti, *in Gallia* canonice exsistentes.

D. *Piae mulierum Fuldensi Unioni, a missionibus nuncupatae, indulgentiae confirmantur, conceduntur, et facultas fit aggregandi novas uniones.* (A. A. S. 1 iul. 1910, 2, 470.)

Unionis Fuldensis finis et privilegia.

Litteris in forma brevis, 24 mart. 1910, Sanctissimus Dominus Unionem laudat Fuldensem, eo fine a pia femina, Catharina

Schynse, erecta ut missionarios, praesertim germanicos adiuvaret, atque etiam catholicis, in ipsa patria, inter acatholicos dispersis, opem ferret. Hinc concessas, regnante Leone XIII indulgentias SS^us confirmat, novas addit, privilegio variarum benedictionum et altaris privilegiati sacerdotes ditat, denique permittit ut ubique terrarum similes Uniones Fuldensi aggregentur.

E. *Menstrua indulgentia plenaria quibusdam sodalibus Reparationis sacerdotalis conceditur.* (A. A. S. 1 iul. 1910, 2, 474.)

Sociis qui se victimas offerant plenaria indulgentia singulis mensibus conceditur.

Litteris in forma brevis, 28 april. 1910, Sanctissimus Dominus, memorans a se, in litteris 4 aug. 1908, laudatas esse animas quae se victimas votivas Deo, pro sacerdotum peccatis, exhiberent, concedit sodalibus associationis sacerdotalis Reparationis (quae, per modum exceptionis, alias personas praeter sacerdotes admittit) qui se Deo victimas piaculares exhibeant, semel in mense indulgentiam plenariam, defunctis applicabilem. Condicionibus consuetis adicitur renovatio oblationis et devota deosculatio quinque Crucifixi Domini vulnerum.

F. *Societas sacerdotalis Reparationis moderatorem obtinet eique annectenda dicuntur similia sodalicia.* (A. A. S. 1 iul. 1910, 2, 475.)

Moderator constituitur et aggregatio cum societate principe, opportuna declaratur.

Litteris in forma brevis, 2 maii 1910, Sanctissimus Dominus Supremum Associationis Reparationis sacerdotalis moderatorem constituit in perpetuum Superiorem Generalem Congregationis Missionis pro tempore, simulque vult « ut quaelibet alia consociatio, tum erecta tum in posterum ubique terrarum erigenda, cuius sodales ad eundem finem sacerdotalis Reparationis animos intendant, memoratae principi Associationi annectatur ».

ANNOTATIO

Observes hic non mere concedi aggregationis facultatem, sed quandam induci coniunctionem quae, ex Pontificis voluntate, omnes canonice erectas vel erigendas consociationes similes complectatur.

G. *Institutio Vicarii castrensis in reipublicae Cilenae exercitu.* (A. A. S. 15 iul. 1910, 2, 501.)

Vicarii castrensis munus, designatio, facultates.

Motu Proprio 3 maii 1910, Sanctissimus Dominus instituit pro catholicis qui in terrestribus vel maritimis reipublicae Cilenae copiis stipendia merentur, Vicarium castrensem seu Cappellanum maiorem, quasi Ordinarium exercitus exemptum, qui communi S. Sedis et praesidis reipublicae consilio eligetur, a S. Sede suas obtinebit facultates cum potestate subdelegandi sibi ecclesiasticos viros ceu cappellanos minores. Horum locus tum respectu Maioris Cappellani tum respectu parochorum definitur. Iubetur etiam primus Vicarius castrensis leges conscribere ad usum minorum cappellanorum et militum, de quibus cum gubernio prius aget et quas S. Sedi approbandas exhibebit.

H. *Communicatio indulgentiarum inter tertium Ordinem saecularem S. Francisci et duos priores Ordines.*

Summa decretorum quibus mutua conceditur indulgentiarum et fructuum spirit. communicatio.

Die 5 maii 1909, Sanctissimus Dominus in perpetuum concessit saeculari Ordini Tertiariorum « ut quibus pontificalis indulgentiae donis fruuntur quosque de bonis operibus spirituales fructus percipiunt familiae seraphicae primi et secundi Ordinis, ea omnia Tertiarii Franciscales quotquot sunt utriusque sexus et cuiusvis instituti, vitae mortisque tempore » participarent. Haec ex litteris datis ad Ministrum Generalem totius Ordinis S. Francisci, cum mandato certiores faciendi eos ad quos pertinet. Litterae exhibentur v. gr. in CANONISTE CONTEMPORAIN, p. 497. 498. (1910).

Die vero 17 maii 1909 instante eodem Ministro generali Fr. Dionysio Schuler, mutua indulgentiarum et spiritualium fructuum Tertii Ordinis communicatio primo et alteri Ordini conceditur. (CANONISTE CONTEMPORAIN 1910, p. 498).

ANNOTATIO

Decretis 7 septem. 1901, et 11 dec. 1901 sublata communicatione indulgentiarum cum primo et secundo Ordine (quae brevi 7 iul. 1896 in quinque annos erat concessa) tertii Ordinis S. Francisci indulgentiis per speciales concessiones provisum est. Decreto 18 iul. 1902 (PERIOD. n. **12**, t. 1, p. 37) modo universali omnis communicatio indulgentiarum priorum Ordinum cum tertiis Ordinibus saecularibus sublata est. Quae communicatio, contra, decreto 28 aug. 1902 concessa est Tertiariis qui, votis astricti, communem vitam agant. Praesenti itaque gratia, Sanctissimus Dominus, nihil demens de gratiis quae speciali concessione factae sunt, communicationem Tertii Ordinis saecularis S. Francisci cum primo et altero Ordine restituit, eamque mutuam inducit. Quod, sicut sapienter monet R. D. BOUDINHON, CANONISTE CONTEMPORAIN, 1910 p. 499, ita est intellegendum ut alia familia Franciscana propriis alius familiae Franciscanae indulgentiis fruatur, non autem ut multiplicentur eaedem indulgentiae quae distinctis actibus erant singulis concessae. V. gr. plenaria indulgentia in die S. Francisci prioribus Ordinibus et etiam Tertio erat concessa. Non licet ita communicationem intellegere ut iam duplex vel triplex esset plenaria indulgentia in isto festo lucranda.

I. *Indulgentiae et Privilegia conceduntur sanctuario B. M. V. perdolentis, vulgo « della corona », dioecesis Veronensis.* (A. A. S. 15 iul. 1910, 2, 503.)

Litterarum argumentum.

Litteris in forma brevis, 25 maii 1910, sanctuario B. M. V. perdolentis, dicti « della corona » conceditur missa votiva cotidiana, praeter varias indulgentias; eiusque Rector pluribus facultatibus instruitur.

K. *Laudatur societas pro diffusione catholicae fidei in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis.* (A. A. S. 15 iul. 1910, 2, 505.)

Litterarum argumentum.

Litteris in forma brevis, die 9 iunii 1910 ad archiepiscopum Chicagiensem directis, Sanctissimus Dominus amplissimis verbis laudat societatem, *Catholic Church Extension Society*, Chicagii institutam, eius merita et opera recenset, eam benevolentiae episcoporum, cleri et catholicorum commendat, ei designat Cardinalem

Protectorem Em^um^ Martinelli, reservatque S. Sedi electionem Praesidis in quinquennium nominandi.

L. *Erectio Vicariatus Apostolici Ce-Kiam Occidentalis.* (A. A. S. 31 iul. 1910, 2, 535.)

Litterarum argumentum.

Litteris in forma brevis, 10 maii 1910, Sanctissimus Dominus ex Apostolico Vicariatu Ce-Kiam, in Sinis, duos instituit: alterum (novum) orientalem, alterum (priorem) occidentalem. Utriusque fines describuntur. Novus Vicariatus Congregationi S. Vincentii a Paulo committitur regendus.

M. *Indulgentiae operi piae unionis Lugdunensis ad suffragandum pauperibus defunctis concessae* (A. A. S. 15 aug. 1910, 2, 567.)

Indulgentiae plenariae peculiares condiciones.

Litteris in forma brevis 28 maii 1910, SS^us^ Dominus operi quod Lugduni in templo Deiparae ab Angelo salutatae conditum est, finemque habet opitulandi, praecipue per cottidianae missae oblationem, pauperibus defunctis, concedit, praeter indulgentias partiales, etiam plenariam semel singulis mensibus lucrandam ab iis qui « Sacro in memorata aede litando, quolibet anni ad cuiusque lubitum eligendo die, devote interfuerint, vel quamlibet missam, conspirante consensu, ubilibet audierint, ac vere paenitentes et confessi, atque intra illius actionem sacra communione refecti, Deo preces secundum praedicti pii operis institutum ac mentem effuderint. » Posthac describit ordinem quo suus cuique pauperum generi dies hebdomadae tribuitur quo missae subsidio levetur.

Quo ordine Missae dicantur.

N. *Laudes, indulgentiae et regimen associationis Canadensis pro diffusione Ecclesiae catholicae.* (A. A. S. 31 iul. 1910, 2, 536.)

Societatis origo, finis, regimen, privilegia.

A duobus annis constitutam in civitate Canadensi cui nomen Toruntum, societatem similem Chicagiensis: *The Catholic Church Extension Society*, Sanctissimus Dominus valde laudat, enumeratis eius praeclaris meritis. Eidem Protectorem designat Card. Martinelli, cancellarium, archiepiscopum Torontinum pro tempore, sibique reservat electionem Praesidis, in quinque annos nominandi. Denique eam variis ditat indulgentiis. Litterae datae sunt 9 iun. 1910.

O. *Indulgentiae per occasionem saecularium sollemnium reipublicae Mexicanae concessae.* (A. A. S. 15 aug. 1910, 2, 569.)

Gratiae occasio et summa.

Litteris in forma brevis, 16 iun. 1910, SS^mus^ D^nus^, cum Antistites consilium Sodalitatis a catholicis diurnis commentariis probassent renovandi in secunda dominica proximi mensis octobris iusiurandum quo mexicana respublica se Deiparae Virginis a *Guadelupe* patrocinio credidit atque commisit, atque ita pie commemorandi completum a vindicata libertate saeculum, concedit in praefata die indulgentiam plenariam *totiens quotiens* (instar Portiunculae) hoc anno, praeter partiales indulgentias lucrandam.

P. *Erectio in basilicas minores ecclesiae metropolitanae Leopoliensis Latinorum et ecclesiae cathedralis Plocensis* (A. A. S. 15 aug. 1910, 2, 570 et 572.)

Gratia summa.

Litteris in forma brevis, 21 iun. et 1 iul. 1910, ecclesia metropolitana Leopoliensis Latinorum et cathedralis Plocensis titulo et dignitate basilicae minoris respective decoratae sunt.

Q. *Indultum privilegiati altaris pro sociis mediolanensis consortii sacerdotum* (A. A. S. 15 aug. 1910, 2, 571.)

Gratiae occasio et obiectum.

Mediolani exstat a duobus saeculis sub titulo Virginis Perdolentis, consortium sacerdotum qui pro defunctis sodalibus gratuito sacris operantur. Huic cum quarta sectio recens adiecta esset, S. Pontifex, litteris in forma brevis, 21 iun. 1910, ad eam traduxit privilegium missarum tribus aliis sectionibus iam ante concessum.

R. *Instituitur in Gallia piacularis perpetua missa, addita plenaria indulgentia.* (A. A. S. 15 aug. 1910, 2, 573.)

Litterarum summa.

Multorum Galliae Antistitum votis annuens, S. Pontifex, per litteras datas 6 iul. 1910, in perpetuum sancit ut uno in novembris mensis dominicis diebus, in universis Galliae ecclesiis missa requietis celebretur, quasi sollemnis supplicatio ad supplenda legata missarum civilibus legibus suppressa. Plenaria simul indulgentia fidelibus conceditur.

427. — *SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII*

A. *De die qua parochus existimandus sit adeptus esse possessionem beneficii, vel officium inivisse ut matrimoniis in paroecia valide assistat.* (Archiv. fur kathol. Kirchenrecht, 1909, p. 327.)

Descripto usu Olomucensi de investitura parochi eiusque installatione. **quaeritur** *a qua die parochus ibi censeatur beneficium adeptus.*

In archidioecesi Olomucensi (Olmuetz) *investitura* ab *installatione* distinguitur. Investiturae praeest Vicarius generalis, qui, accepta professione fidei et iuramento fidelitatis, biretum instituendo imponit dicens : « Ego N. N. Vicarius generalis, investio te N. N. in parochiam N. et do tibi potestatem verbum Dei annutiandi, sacramenta conficiendi, aliaque munia parochialia exercendi et administrandi, fructusque ex iis provenientes in tuam ac praefatae N. ecclesiae percipiendi. Idque in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. » Ab ista die vel saltem a die huic diei vicina, si qua ad faciliorem computationem videatur indicanda, investitus sacerdos fructus suos facit ac pro populo celebrare debet.

Postea, aliquando decanus foraneus vel alius ab Episcopo deputatus investitum in parochialem ecclesiam inducit, eique libros parochiales et peculium ecclesiae ac beneficii tradit : haec est *installatio.*

Responsum *die 4 iul. 1908.*

Interrogata itaque S. C. Concilii utrum ab *investitura* an tantum *ab installatione,* parochi Olomucenses essent idonei ad assistendum matrimoniis, respondit 4 iul. 1908 : « Nomine possessionis (respectu decreti *Ne temere* art. 4 § 1) hic intellegi illum actum qui, sive institutio corporalis, sive inthronizatio, sive aliter nuncupetur, tamen semper id efficit ut institutus in beneficium exinde adispiscatur liberum exercitium potestatis suo officio annexae. »

Responsionis interpretatio.

Quod responsum, non tam perlucidum, dioecesana ephemeris ita interpretata est ut, in Olomucensi dioecesis, competentia matrimonialis *ab investitura* initium sumeret.

B. *De privatione tituli ordinationis.* (A. A. S. 1 iul. 1910, 2, 479.)

Dubium *et* **Responsum.**

Postulante Vicario Generali Strigoniensi, ex mandato E^mi^ Archiepiscopi, utrum necne, servato iudicii ordine, sacerdotes excommunicati et atrocium criminum rei, sicut beneficii titulo, sic

etiam privari possint titulo *dioecesis*, quo ius habetur ad sustentationem ex pensione dioecesana obtinendam, S. Congr. Concilii, in plenariis comitiis 11 iun. 1910, respondit:

« Affirmative, salvis tamen iuris dispositionibus quod ad alimenta pro iis qui vere indigeant. »

Quam sententiam S. Pontifex die 12 iunii approbavit. *Confirmatio pontificia.*

C. *De processionibus Sanctissimi Corporis Christi.* (A. A. S. 15 iul. 1910, 2, 515.)

In causa Granatensi, S. Congregatio Concilii ratam habendam duxit ordinationem Archiepiscopi, iubentis ut in singulis paroeciis extra urbanis processio Corporis Christi celebraretur, dum Municipium urgere volebat legem synodalem qua ceteri parochi sese Ecclesiae Metropolitanae coniungerent. Quod observatu nimis difficile visum est. De obligatione istius processionis et potestate Episcopi plura disseruntur in hac causa. *Brevis summa responsionum S. C. C.*

Dubia soluta sunt die 11 iun. 1910.

D. *Responsum in generalibus comitiis de mansionariis a capitulo dimissis.* (A. A. S. 31 iul. 1910, 2, 542.)

Die 15 maii, in plenariis comitiis, S. Congregatio Concilii, in causa Arianen. gravem diremit controversiam inter mansionarios dimissos et Capitulum cum Episcopo. Respondendo *ad mentem*, iussit S. C. ut tres antiqui mansionarii restituerentur in officio, efficiendo cum novis unum coetum. Quid Capitulum mansionariis debeat deinde statuit. Denique, ad providendum celebrationi missarum, iussit ut elenchus missarum conficeretur atque S. Congregationi una cum assignatis reditibus exhiberetur. *Causae genus. Quo modo soluta fuerit.*

E. *Condiciones quibus pauperes Hispaniae indultis fruantur.* (A. A. S. 15 aug. 1910, 2, 583.)

In audientia concessa Cardinali Praefecto S. Congregationis Concilii, Sanctissimus Dominus declaravit, pauperes in Hispania, non soluta eleemosyna pro Bulla Cruciatae assignata, posse frui indulto vescendi ovis et laticiniis in ista Bulla contento. *Gratia Pontificis; opportunitas istius gratiae.*

Quia enim ova et lacticinia indulgentur etiam extra quadragesimam, declaratio S. C. C. 22 ian. 1910, qua pauperes tenebantur fundenda eleemosyna si vellent uti aliis privilegiis Bullae Cruciatae praeter indultum quadragesimale, videbatur hanc eleemosynam ad utendum indulto ovium et lacticiniorum postulare.

428. — *S. C. CONSISTORIALIS*

Modus quo episcopales sedes provinciae Terrae Novae providendae sint. (A. A. S. 15 aug. 1910, 2, 576.)

Decreto 18 iul. 1910, SS. Dominus, secundum votum S. C. Consistorialis statuit in providendis cathedralibus sedibus provinciae S. Ioannis Terrae Novae, servandas esse easdem normas quae in dominio Canadensi servantur. *Modus provisionis statuitur.*

429. — *S. CONGR. S. OFFICII (Sectio de indulgentiis)*

Visitatio oratorii proprii pro visitatione ecclesiae conventualis. (ANALECTA ECCLESIASTICA, 1910, p. 182.)

Privilegium Praedicatorum explicatur.

Die 25 ian. 1910, Sanctissimus Dominus, per facultates Assessori S. Officii tributas concessit ut novici, et simpliciter professi Ordinis Praedicatorum possent, visitando privatum noviciatus oratorium, ubi sanctissima Eucharistia asservatur, lucrari indulgentias pro quibus ecclesia conventualis visitanda foret.

Observes noviciis et simpliciter professis prodesse non potuisse generale indultum 14 ian. 1909 (PERIODICA, n. **309**, t. 4, p. 320) quo communem vitam agentes permittuntur, pro ecclesia, propriae domus oratorium visitare ad lucrandas indulgentias. Oportet enim ut propria ecclesia vel publico oratorio careant.

430. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE*

A. *Missio a vicariatu Kimberliensi dismembratur.* (A. A. S. 31 maii 1910, 2, 410.)

Decreti summa.

Decreto 4 maii 1910, probante SS^mo, Missio pro Aborigenarum evangelizatione, a Vicariatu Kimberliensi (in Australia) dismembratur atque ecclesiasticae iurisdictioni Abbatiae Novae Nursiae subicitur donec in Abbatiam Nullius erigi queat.

B. *Limites mutantur Praefecturae Uellensis et Vicariatus Africae Centralis.* (A. A. S. 1 iul. 1910, 2, 484.)

Decreti summa.

Decreto 16 iun. 1910, approbante S. Pontifice, limites septemtrionales Praefecturae Apostolicae Uellensis, quae nunc parallelo 4° lat. bor. continetur, versus septemtrionem proferuntur, ex accessione regionis quae ex Vicariatu Apostolico Africae Centralis seiungitur.

431. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

Recursus contra sent. rotalem de coadiutoribus.

Decreto 29 martii 1910, supremum istud tribunal instantiam reiecit coadiutorum curatorum Modoetiae in archidioec. Mediolanensi, adversus sententiam rotalem 23 mart. 1909 quae potestatem et dependentiam definierat coadiutorum curatorum. (A. A. S. 31 maii 1910, p. 431. 432.)

432. — *SACRA ROTA ROMANA*

De iure canendi missas adventicias funeraticias; et de vi contrariae consuetudinis.

1. Die 5 martii 1910, in causa Segusina (Susa), inter rectorem ecclesiae non parochialis, dictae a Suffragio et Praepositum ecclesiae cathedralis, S. Rota, infirmans sententiam rotalem ante latam, declaravit integrum esse rectori ecclesiae a Suffragio, ut canat missas adventicias, etiam funeraticias, sine Praepositi licentia. Is arguebat ex consuetudine quae sibi videbatur suae ecclesiae contulisse privilegium huius modi missas admittendi. (A. A. S. 15 iun. 1910, p. 450.)

De competentia fori ecclesiastici in causis civilibus clericorum.

2. Die 15 martii 1910, in causa Romana inter Rev. D. Iulium Baglioni et D. Antonium Boni, S. Rota negavit Revo Do Baglioni actori Boni qui eum, coram tribunali ecclesiastico citaverat ut solverat creditam pecuniam, exceptionem qua forum ecclesiasticum, ipse clericus defensor, declinare voluerat. (A. A. S. 1 iul. 1910, 2, 494.)

De nullitate matrimonii ob defectum testium.

3. Die 22 martii 1910, in causa Ugentina, inter Camillum Bleve et Conceptam Saporito, de nullitate matrimonii ob testium defectum, declaravit nullitatem istam non esse demonstratam. (A. A. S. 15 iul. 1910, 2, 524.)

Citatio edictalis.

4. Pag. 533, tomi 2, A. A. S. edictalis citatio 16 iul. 1910 continetur, qua conventa quaedam mulier, cuius domicilium ignoratur, comparere iubetur, Ordinarii autem, si qui de domicilio aut commoratione istius personae notitiam habeant, curare debent ut de citatione moneatur.

De communi inter parochum et capitulum usu ecclesiae.

5. Die 2 aprilis 1910 in causa Ripana (Ripatransone) *Iurium*, inter parochum SS. Georgii et Margaritae, et cathedrale capitulum, S. Rotae tribunal negavit capitulo esse ius exclusionem celebrandi officia generalia pro defunctis, atque utendi ecclesia vel organo, parocho vero praedicto competere dixit titulum parochi ecclesiae cathedralis. (A. A. S. 31 maii 1910, 2, p. 418.)

De summa anna de qua contendebant parochus eiusque coadiutor.

6. Die 21 april. 1910 in causa Rossanen. *crediti*, inter R. D. Ianuarium Chiarelli, coadiutum parochum, et coadiutorem Dominicum Mancini, de supplemento congruae, quod, ex ipsa inscriptione, videbatur ad Coadiutorem pertinere, S. Rota Romana die 21 april. 1910 supplementum istud coadiutori adiudicavit. (A. A. S. 31 iul. 1910, 2, 554.)

De nullitate matrimonii ob defectum consensus vel dispensationum.

7. In causa Baltimoren. *nullitatis matrimonii*, inter Mariam Reid, catholicam, et Fridericum Parkhust, acatholicum non baptizatum, S. Rota, die 30 iun. 1910, declaravit non constare de nullitate matrimonii quod impetebatur propter defectum consensus vel dispensationum. (A. A. 15 aug. 1910, 2, 584.)

NOTANDUM

De numismatibus quae pro scapularibus gestari possunt.

Superioris (n. **424**) declarationis, quae ad facultates benedicendi etiam pertinet, occasionem nacti, haec monenda ducimus. Ab ineunte mense iunio, circiter, facultates bededicendi numismata quae pro scapularibus adhibentur, iam non a S. Rituum Congregatione concedi possunt. De ipsis numismatibus, C. Sancti Officii nondum quicquam decrevit nec sibi exhibitas facultates ad oratores remisit. Quod integrum sinit esse valorem benedictionum hactenus adhibitarum. Immo valent etiam interea facultates quae ante diem 7 aprilis 1910 (Motu proprio *Cum per apostolicas*) concessae erant, ita tamen ut nisi proxima die 7 octobris 1910 authentice recognitae sint, efficacia sua sint destituendae. Quae facultates post diem 7 aprilis concessae sint a die tantum authenticae recognitionis valere incipiunt.

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA ET RESCRIPTA [1]

---

433. — 13 maii 1910. — **Ordinis Fratrum Minorum.** — *De vetitis, in altari, caronis sive ligneis sive metalicis.* (A. A. S. 1 iul. 1910, 2, 485.)

Orator.

Hodiernus S. Montis Alverniae Superior cum suo Directorio, de consensu R^mi Procuratoris Generalis Ordinis Minorum, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit.

Proposito usu et argumentis quibus confirmari videbatur, ex responsione Rituum subortā **Dubia** *solvenda postulat.*

Multis in Ecclesiis, ad maiorem Altarium munditiem et ne rugosae sed magis extensae eorundem mappae servarentur, usus invaluit, innumeris abhinc annis, coronidum variis materiis confectarum, lignea non exclusa. Hae coronides ligneae ab Altaribus removebantur, iuxta Episcoporum Caerimoniale (lib. I, cap. 12, n. 11), dum festivis diebus Sacra Sollemnia sive Missae sive Vesperae celebrabantur. Talem agendi rationem esse consonam supradicti Caerimonialis praescriptionibus, eruitur etiam ex novissimo Ordinis Minorum Caerimoniali, die 4 octobris 1908 edito et rite a S. Sede approbato (lib. I, part. 2, cap. et art. 1), in quo agitur de non apponendis Altaribus ligneis Coronidibus iuxta Caerimoniale Episcoporum supradictum, cum de ornatu Altarium in Vesperis et Missis sollemnibus sermo est. Cum autem Sacra Rituum Congregatio ad dubium super liceitate talium corollarum, die 24 februarii 1908 respondisset his generalibus verbis : *negative iuxta Caerimoniale Episcoporum Lib. I, cap. 12, n. 11* « *Nullae tamen coronides ligneae* » etc. ; atque haec responsio aliquam attulerit dubietatem ; idem Orator ab ipsa Sacra Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter postulavit :

I. Utrum, remotis ab Altaribus Coronidibus ligneis dum Sacra Sollemnia, ut supra, peraguntur, tolerari et permitti possint aliis temporibus, attenta praesertim antiquissima consuetudine ?

II. Quatenus negative, utrum adhiberi possint ex metallo decenti coopertae, vel saltem de metallo totaliter confectae ?

Responsa.

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit :

Ad 1 et ad 2. Dies (3 maii 1910).

Ad I. et II. Negative.

Atque ita rescripsit. Die 13 maii 1910.

---

[1] Decreta hic apposita, praeter unum paulo antiquius, quod n. **438** summatim cum nomine subscribentium referetur, subscripserunt Praefectus, Emus Fr. S. Card. Martinelli, et Secretarius, Illus D. Petrus Lafontaine, Episc. Charystien.

434. — 8 iun. 1910. — **Urbis et Orbis.** — *De Missa seu collecta in anniversario electionis seu translationis Episcopi.* (A. A. S. 1 iul. 1910, 2, 486.)

Memoratis superioribus decretis de die quae electioni vel translationi Episcopi assignabatur et pro anniversaria habebatur, S. R. C. firmum ac novum modum statuit computandi diem anniversarium electionis vel translationis Episcopi in consistorio vel extra consistorium electi seu translati, et Episcopi qui fuit coadiutor cum iure successionis.

Ex Decretis S. R. C. n. 3661 *Halifaxien.* 16 aprilis 1866 ad III et n. 3876 *Quebecen.* 13 decembris 1895 ad VIII dies electionis seu translationis Episcopi est ille, in quo provisio ecclesiae episcopalis a Summo Pontifice publicatur in Consistorio, sive ipsa electio seu translatio fiat in Consistorio, sive in eo tantum enuncietur electio seu translatio antea facta; atque ab eiusmodi publicatione consistoriali hucusque communiter computatum est anniversarium electionis seu translationis Episcopi ad effectum Missae seu Collectae respondentis iuxta Caerimoniale Episcoporum (lib. II, cap. XXXV). Nunc vero, de mandato SS^mi^ Domini Nostri Pii Papae X, ex audientia diei 20 nuper elapsi mensis maii, per Sacram Congregationem Consistorialem patefacto, Sacra Rituum Congregatio statuit ac declarat diem anniversarium electionis seu translationis, in casu et ad effectum de quo agitur in citato libro et capite Caerimonialis Episcoporum, quod ad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, computandum adhuc esse a die publicationis consistorialis, quod ad ceteros vero Episcopos antea electos seu translatos, in posterum non a die expeditionis decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium; non obstantibus resolutionibus in contrarium hucusque editis. Denique Sacra eadem Congregatio iterum atque opportune declarat, diem anniversarium electionis seu translationis Episcopi Coadiutoris cum futura successione relate ad Missam ipsam seu Collectam, cessante Coadiuti munere et adveniente Coadiutoris successione, item a die expeditionis decretorum seu Litterarum Apostolicarum pro Coadiutoria supradicta esse computandum; prouti alias resolutum fuit, praesertim in una *Marianopolitana* n. 3440, diei 30 ianuorii 1878. Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit ab hac die 8 iunii 1910.

Dies (8 iunii 1910).

---

435. — 8 iul. 1910. — **Urbis et Orbis.** — *Quam diu recitanda sit collecta pro eligendo Episcopo.* (A. A. S. 31 iul. 1910, 2, 552.)

Memorato decreto 3 iun. de computatione diei electionis seu translationis Episcoporum, consequenter definitur ad quam diem dicenda sit, Sede vacante, collecta pro eligendo novo Episcopo.

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis, diei 3 iunii nuper elapsi, dies electionis seu translatonis Episcopi in Consistorio electi seu translati adhuc computanda est a die nominationis consistorialis, quod ad Episcopos autem ante Consistorium electos seu translatos eiusmodi dies computanda est, non a die publicationis in Consistorio, sed a die expeditionis Decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium. Quapropter etiam Collecta pro eligendo novo Episcopo, tempore Ecclesiae vacationis, iuxta dispositionem Caerimonialis Episcoporum lib. II, cap. 38, num. 27, quae ex decreto n° 2672 in *Florentina* diei 19 decembris 1829 ad III, continuari debuerat usque ad diem electionis seu Consistorii secreti, deinceps continuabitur usque ad diem, qua notitia de facta Episcopi electione seu translatione, sive per provisionem Consistorialem, sive per Litterarum Apostolicarum expeditionem, a Curia Dioecesana rite evulgata fuerit.

Atque ita haec Sacra Rituum Congregatio declaravit et in posterum servari mandavit, die 8 iulii 1910.

Dies (8 iul. 1910).

436. — 8 iul. 1910. — **Dubium** *de missa quae in festis suppressis est in ecclesiis parochialibus retinenda.* (A. A. S. 31 iul. 1910, 2, 553.)

Dubium *de Missa permissa in quibusdam festis suppressis.*

Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, sequens dubium propositum fuit, nimirum :

In quibusdam dioecesibus, Missa in Festis suppressis celebranda et applicanda pro populo, de speciali Indulto Apostolicae Sedis, pro peculiari aliqua intentione applicari potest, dummodo stipendium et commune aerarium dioecesanum deferatur. Quaeritur : Utrum in Ecclesiis Parochialibus, ubi unus est tantum Sacerdos, dictis diebus, enunciata Missa necessario sit celebranda de die currente ; an possit esse cum cantu de Requie in die et pro die obitus seu depositionis, physice vel moraliter praesente cadavere ?

Responsum.

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo discussa et perpensa, propositae quaestioni ita respondendum esse censuit : Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam.

Dies (8 iul. 1910.)

Atque ita rescripsit, die 8 iulii 1910.

Annotatio

Sedulo cavetur ut in sollemnioribus diebus, missa diei seu festi in parochiis numquam omittatur. Praesenti itaque decreto regula ista firmatur, ut quamvis, ex indulto pontificio, obligatio missae pro populo dicendae in quibusdam festis sit sublata, una tamen missa de festo sit retinenda.

S. R. C. DECRETA ET ACTA SUMMATIM RELATA

437. — *Beatificationes vel Canonizationes*

1. Die 19-27 aprilis 1910, in causa Collen. (Colle de Val d'Elsa) confirmatur immemorabilis cultus praestitus B. Bartholo Buonpedoni, parocho e tertio Ordine S. Francisci. (A. A. S. 31 maii 1910, p. 411-414.)

Causae *B. Bartholi Buonpedoni.*

2. Iisdem diebus, in causa Neapolitana, introducta est causa Ven. S. D. Paschalis Attardi, sacerdos saecularis. (A. A. S. 31 maii 1910, p. 414-417.)

S. D. Paschalis Attardi.

3. Die 19 iun. 1910, in causa Parisiensi, Sanctissimus Dnus pronuntiavit ita constare de virtutibus in gradu heroico V. S. D. Francisci Mariae Pauli Libermann, institutoris Congr. S. Cordis Mariae quae Congregationi Missionariorum S. Spiritus, ab ipso est dein coniuncta, ut ad examen trium miraculorum procedi possit. (A. A. S. 1 iulii 1910, 2, 487.)

S. D. Francisci Mariae Libermann.

4. Die 19 iunii 1910, in causa Marianopolitana, Sanctissimus Dominus pronuntiavit constare de virtutibus in gradu heroico V. S. D. Margaritae Bourgeoys, fundatricis Congregationis a Nostra Domina, ita ut procedi possit ad examen quattuor miraculorum (A. A. S. 1 iul. 1910, 2, 489.)

S. D. Margaritae Bourgeoys.

5. Die 19 iun. 1910, in causa Tifernaten. Sanctissimus Dominus pronuntiavit constare de virtutibus in gradu heroico V. S. D. Floridae Cevoli, Monialis Professae in monasterio Cappucinarum, Tiferni. (A. A. S. iul. 1910, 2, 490.)

S. D. Floridae Cevoli.

438. — *Concessio officii et Missae B. Ioannae d'Arc, Fratribus Praedicatoribus Galliae et Americae Septemtrionalis* (Analecta Ecclesiastica, p. 185. 186.)

Die 21 ian. 1910, S. Rituum Congregatio indulsit tribus provinciis gallicis Ordinis Praedicatorum ac Tertio Ordini Regulari instituendae iuventuti, officium ac missam B. Ioannae d'Arc sicut clero saeculari Galliae est concessum, paucis additis vel mutatis in Officio proprio ut ad Ordinis ritum aptetur.

Indulti summa.

Quae gratia, die 9 febr. 1910, traducta est etiam ad Congregationem S. Dominici in America Septemtrionali.

N. B. Ambo haec decreta subscripta sunt a Fr. Card. Martinelli, *Praef.* et a Phil. Can. di Fava, Substituto.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Ascetica

P. Cotel, S. J. *La Conduite des Exercices Spirituels de S. Ignace dans leur application aux retraites ordinaires*. Paris, Lethielleux, 1910 1 vol. in-16, 188 p.

Juan B. Ferreres, *Maria por Espana y Espana por Maria*. Panegiricos y articulos. Barcelona, Libreria católica, 1910. 1 vol. in-12, p. 256.

Dominicus Galeazzi, *De praecipuo e promissis SS. Cordis Iesus seu de novem communionibus*. Dissertatio historica et theologica. Romae, Desclée 1910 1 vol. in-12, 236 p. Pretium, 2,50 fr.

PRAEFATIO de facta promissione.

PARS I. *Historica :* Authenticitas. Potestne admitti alucinatio et error B. Marg. Mariae. Promissionis auctoritas. Explicatio litteralis. Promissionis ultimus finis. Estne propria promissio. Promissionis certitudo.

PARS II. *Theologica*. Nihil promissio continet quod doctrinae catholicae adversetur. An promissio etiam ad peccatores pertineat. Non fovet abusus. *Conclusio*. Opportunitas promissionis et cautelae.

M. Gatterer, S. J. und **P. Krus**, S. J. *Die Erziehung zur Keuschheit*. Gedanken über sexuelle Belehrung und Erziehung, den Seelsorgern und Erziehern. Innsbruck, Rauch, 1910. 1 vol. in-12, p. 120.

J. Lintelo, S. J. *La Prédication des Triduums eucharistiques* prescrits par SS. Pie X. Brochure. Tournai, Castermann, 1910.

P. Peeters, S. J. *L'âme et la vie*. Conférences. In-16, 98 p. Louvain, Uystpruyst, 1910, prix 1 fr.

D. Ansfridus van Kempen, O. S. B. *Aan onze Jongens*. 1 vol. in-16, 61 p. Brugis, Verbeke (1 exempl. 0,20 ; 100, 12 fr.) Opusculum optimis atque affectu plenis consiliis refertum.

J. Lintelo, S. J. *Directoire eucharistique des maisons d'éducation*. 1 vol. in-8, 162 p. Tournai, 1910, 1 fr.

Préface. Ch. 1. La communion quotidienne dans les maisons d'éducation. — Ch. 2. Craintes et préjugés. — Ch. 3. Le grand écueil : les Vacances. — Ch. 4. Les leçons de l'expérience. — Ch. 5. Conditions de progrès. — Ch. 6. La communion et la crise de jeunesse. — Ch. 7. La communion et les vocations supérieures. — Ch. 8. Le rôle des éducateurs non-prêtres. — Ch. 9. La communion fréquente dans les écoles primaires.

Conclusion. Questionnaire. Bibliographie.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

SUPPLEMENTA

SUPPLEMENTUM SEXTUM DECIMUM

BREVIS MODERNISMI EXPOSITIO

Vis ista prorsus singularis qua universalis ovium Christi Pastor omnes monet ne vel incauti in Modernismi scopulos impingamus, nobis suadet, rem nec inutilem, nec Pontificis menti dissentaneam, nec lectoribus ingratam nos facturos esse, si, occasionem nacti nuperrimi Motu proprio dati decreti *Sacrorum Antistitum*, quo Modernismus denuo simul damnatur et declaratur, universam eius rationem summatim verbis perstringere conemur.

Itaque, ut ordine dicere incipiamus :

1. Ipsa *modernismi* vox a professore Lovaniensi PERIN primum usurpata esse videtur in libello *Le modernisme dans l'Église d'après des lettres inédites de Lamennais* (Paris, 1881). Modernismum autem definit : « Audax propositum excludendi Deum omni vita sociali. » Quare ad modernismum temperatum ipse omnem liberalismum ascribit. Antea tamen I. I. ROUSSEAU philosophum quendam athaeum *modernistae* nomine notaverat in epistola citata in lexicon LITTRÉ. Is *modernistam* vocat virum qui modernum aevum antiquo anteponat. (Cfr. vocem *Moderniste*.)

Praesenti vero usu, qui a pristinis illis nullo pacto pendet atque in Italia circa annum 1905 ortus videtur, *modernismi* nomine improbantur quaedam novitatis studia quibus non pauci e iuniore clero seducebantur et fortasse adhuc, in italicis maxime regionibus, seducuntur. Modernistarum nomen ipsi renovatores prius repudiarunt, admisere vero postquam per Enc. *Pascendi*, *De modernistarum doctrinis*, authentice promulgatum est his verbis : « Modernistarum (sic enim iure in vulgus audiunt) callidissimum artificium est. » Namque opus-

culum quo Pontificiis litteris respondere ausi sunt inscripserunt : *Il programma dei modernisti.*

2. Itaque quotquot modernistae merito appellantur renovatam volunt Ecclesiam ac religionem catholicam, ita ut cum modernae vitae exigentiis et propensionibus magis congruere incipiant. Quare scientiam, civiles potestates atque ipsas singulorum conscientias autonomas praedicant ac solutas potestate ecclesiastica, quae ipsa collectivae conscientiae pedisequa esse iubetur ; immobilibus dogmatibus infensi, omnia temporibus volvi atque ab uno in alium sensum transire arbitrantur ; denique varias fidei professiones, immo omnes religiones inter se, interdum etiam cum quodam atheismo, componere et conciliare student.

Ut vero intentum finem assequerentur, necesse fuit ut catholicam *dogmatis* notionem corrumperent : in qua corruptione Modernismus quem *essentialem* dixerimus consistere nobis videtur. Ad adulterinam autem dogmatis notionem variis hodiernae philosophiae principiis perducti sunt, ita ut alibi [1] modernismum describere potuerimus tamquam criticen supernaturalis cognitionis secundum falsa hodiernae philosophiae postulata.

3. Sic autem, ut exemplo quodam rem illustremus, *modernisticus* quispiam *ratiocinandi processus* proponi potest.

Homo, cum sensibus non percipiat nisi phaenomena quae variant et transeunt, mente autem nihil praeter actus suos intueatur, omni copia destituitur attingendi, etiam per intellectum, substantiam permanentem si qua phaenomenis obtegatur. Simul tamen in se ipse, in voluntate sua, homo instinctum quendam detegit quo fertur ad quaerendam propriam perfectionem in Ente quopiam, nec cognito nec cognoscibili, in cuius secum unione finem suum consequatur ; seu, ut generalioribus Modernistarum verbis utamur, ad sese erigendum in se usque ad Absolutum, quod nec cognitum, nec cognoscibile, aliquo tamen modo a nobis « realizandum » est. Et sic, affectus sui instigatione in Deum impellitur. Necessaria ista inclinatio (*subconscia vocatur*) conscientiam primo fugit, conscientiam dico claram et distinctam.

Postquam autem conscia facta est, statim Deum intime praesentem animae manifestat. Atque haec mani-

[1] In *Catholic Encyclopaedia*, v. *Modernism*.

festatio, quae commune opus est Dei et hominis, *revelationem*, instinctus vero quo Deus quaeritur, *religiosum sensum* efficiunt. Qui sensus rursus hominem indesinenter impellit, ut Deum sibi repraesentare vel exprimere conetur, et aptam quaerat se habendi ad Deum et cum Ipso communicandi rationem, talem scilicet qua ipse sensus contentus quiescat. Variis istis conatibus *religiosa experientia* componitur quae, alia in aliis personis, in quibusdam adeo felix est et excellens, ut hac sua singulorum experientia instinctui multorum satisfaciant.

Hi per experientiae suae communicationem, cuiuspiam religionis conditores evadunt. Nulla itaque religio vera vel bona dicenda est eo quod doceat vel tradat quae obiective sunt, sed potius eo quod sensui religioso apprime respondeat.

Age porro, Christus Deum expertus est Patrem atque in Patre Deo homines sensit esse fratres, ita ut in filiali Dei et in hominum fraterna dilectione omnia reposuerit. Qua sua experientia religionem condidit quae animam plene satiat et ceteras omnes religiones veritate et excellentia transcendit. *Christianam* porro *fidem* habent quotquot, Christum imitati, se Deo tamquam Patri committant, hominesque tamquam fratres diligant et colant.

Huius modi fides in voluntate potius quam in intellectu sedem habere perspicitur. Sed, cum fides ista pluribus communis facta sit, ultro nata est fidelium societas, atque etiam quae omni societati necessaria est auctoritas. *Vitali* itaque *emanatione* Ecclesia et Hierarchia constitutae sunt. Filialis autem et fraternus ille affectus seu christiana fides, per varias idaeas seu intellectuales conceptus se ipsa reddere, exprimere tentat, quibus subinde idaeis ipsa fulcitur ac nutritur.

Inde fit, ut animae viva fide donatae erumpant in varia asserta de Deo, de rebus divinis, quae *dogmata* erunt postquam, tamquam vitae communitatis opportuna, auctoritati probata et accepta erunt. Dogmata igitur nos nihil de Deo docent, sed *symbolicae* sunt repraesentationes quae alendae fidei sunt utiles. Si vero utilitate illa, quae fluxa est, destituantur, ipsa pro novis deserenda sunt. Quamquam ecclesiastica potestas, prae ingenita sua a mutationibus aversione, antiquata dogmata facile diutius servat quam par fuerit et communitati oporteat.

Privatus vero vir communitatem satis revereri debet ut potestati etiam erranti *externum* obsequium non

detrahat. Sed *interne* ad nulla dogmata servanda obligatur, ita ut etiam paucis primitivae Ecclesiae dogmatibus contentus esse possit. Immo laudendus est si Ecclesiam suam ad novam aetatem melius capiendam disponere atque parare conetur.

Sic formam quandam radicalis modernismi (sunt enim mitiores) adumbravimus.

4. Quantum porro a modernistis radicalibus catholica dogmatis ratio corrumpatur quis simul non videt?

Catholice, dogmata e fonte manant exstrinsecae et liberae Dei revelationis, quae miraculis et prophetiis vera demonstratur. Dum modernista dogmata ex ipsa conscientia haurire cogitur.

Catholice, dogmata ab Ecclesia, nomine Dei qui eam infallibilem fecit, promulgantur, dum *modernista* Ecclesiam mere habet pro interprete conscientiae collectivae, quae ipsa privatam conscientiam obligare nequit.

Catholice, plura dogmata rationem et naturam superant, cohaerentque cum fine qui creatae naturae non est debitus, quamvis eam sit perfectissime satiaturus. *Modernista* vel repudiat mysteria, negando ea cogitari posse, vel contra, eadem putat ab ipsa ratione quondam inventum iri.

Catholice, dogmata, qua parte et quo sensu definita sunt, perpetua futura credimus. Quamquam neque omnem dogmaticam evolutionem neque varium in fide profectum negamus. Etenim labentibus saeculis, plura definita sunt dogmata quae antea in controversiam venire potuerunt. Ipsa dogmatis demonstratio et explicatio humano labore perficiuntur. Nec sterilem esse putamus ullam dogmaticam veritatem. Sed *modernista* nullum dogma arbitratur esse perenne, cum omnia mutabiles sint unius permanentis religiosi sensus traductiones seu significationes.

Catholice, dogma *verum* est quia saltem analogice repraesentat id quod re vera est ; dum *modernista*, neglecta prorsus ista veritate, hoc tantum considerat quo pacto formula dogmatica sensui religioso satisfaciat.

5. Quantum autem adulterina ista ratio ad fundamentales quas diximus Modernistarum propensiones faciat, non minus clare perspicitur. Et re quidem vera :

Dogmate quod e subiectivo affectu religioso manat nec de rebus uti sunt quicquam docet, scientifica exploratio impediri minime potest. Immo, cum conscientiis

mere utendum offeratur, nulla obligandi easdem vi praeditum est. Nec societati isti vel hierarchiae quam spontaneus in fide consensus genuit, res publica vel civilis potestas aliquo modo observandae astringitur. Sic autem tres quae modernistis placent autonomiae hac dogmatis ratione facile vindicantur.

Nec minus manifestum fit in relativa appetitus religiosi satisfactione non inesse unde dogma perpetuum consistere queat, sed contra, dogmatum significationem atque ipsa dogmata pro vario fidelium affectu variare debere. Denique, si definitae religiones eatenus valent quatenus sensum religiosum alant et pacent, aliae possunt aliis esse perfectiores, nulla autem stricte vera vel falsa dici potest, cum omnes in simili munere atque utilitate conveniant.

6. Eadem denique spuria dogmatis ratione explicantur varia asserta quae in Enc. *Pascendi* inter modernistarum placita numerantur. Etenim, si fides Christum repraesentat non sicuti est sed sicut ad religiosam fidelium necessitatem aptatur, probe intellegitur quo modo Christus aliam in fide aliam autem in historia personam induat, possitque idem homo plura de Christo credere quae historice falsa esse existimat. — Quo pacto Ecclesia et sacramenta mediate tantum a Christo sint instituta, satis aperte est declaratum. Fructus enim sunt religiosae experientiae quam Christi fideles, quasi Christum imitantes et continuantes, post Christum habuerunt. Ipsa porro huius modi sacramenta valere non possunt nisi ad excitandos affectus et animum movendum fere sicut eloquentia verba animos commovere solent. Praeterea, negata exteriore revelatione, libri sacri a subiectiva quorundam hominum excellentium pietate originem mutuentur necesse est. Nec continere possunt nisi religiosas experientias quae communitati prodesse videbantur.

Ex suis principiis quibus scientificam cognitionem ad quicquam ultra phaenomena pervenire negant (*agnosticismus*), fidei autem symbolicas tribuunt repraesentationes quibus obiectum transfiguratur et defiguratur, modernistae adducuntur ad criticen praedicandam internam et textualem qua, secundum subiectivam normam et praeiudicatam opinionem, in scriptis religionis monumentis, alia ad scientiam alia ad fidem amandant, alia loco mutata decernunt.

7. Tandem S. Pontifex modernistas etiam arguit cuiuspiam nimis audacis temeritatis reformandi, quae minus cum essentiali ipsorum errore quam cum placitis evolutionis et studio accommodandi religionem ad aevum modernum cohaerere videtur. Quare non omnes modernistae de his rebus consentiunt. Huc autem spectant huius modi consilia, ut omnis externus apparatus detrahatur potestati ecclesiasticae, quae intra spiritualis provinciae suae fines se magis contineat ; ut ipsum Ecclesiae regimen magis fiat democraticum ; ut ecclesiastica actio politica et socialis variet ; penitusque mutentur SS. Congregationes S. Officii et Indicis ; ut caelibatus sacerdotibus iam non praecipiatur ; ut minuantur exteriores devotiones ; ut praelectiones philosophiae et theologiae methodis magis modernis proponantur ; ut activae virtutes passivis anteponantur.

8. Et quia error de ipsa dogmatis ratione omnia dogmata necessarie inficit, nullumque intactum linquit, iam exinde habemus cur S. Pontifex in encyclicis litteris universum Modernistarum systema *omnium haereseon collectum esse* semel et iterum affirmaverit.

9. *Modernae philosophiae* Modernistas, ipsa nostra modernismi definitione, obnoxios fecimus. Atque a KANT mutuati sunt negativam criticen rationis speculativae et methodum qua utuntur ad religionem essentialem a dogmatibus discernendam.

Praetereundum tamen non est KANT, qui auctor est agnosticismi, eundem temperate tantum profiteri, nec fidem ponere in voluntate sed in assensu vere rationali quo credimus postulata rationis practicae, idest ea quae ad mores informandos necessaria sunt. Est siquidem KANT rationalista, cui sola religio naturalis, sine dogmatibus revelatis et oratione, placet. Quare potiores modernismi parentes alii sunt qui toti in religioso hominis affectu observando et declarando versantur, ac potissimum, in Germania, SCHLEIERMACHER (1768-1834) et RITSCHL (1822-1889). Omnimodam autem evolutionem ab Anglo SPENCER (1820-1903) edoceri potuerunt. Denique protestans A. SABATIER (1831-1901) gallicis suis scriptis modernistica principia inter gentes latinas propagavit.

10. Praeter *plenum* modernismum, qui ipse non una et aeque absoluta ratione ab omnibus admittitur, partes quaedam modernisticae separatim exsistere possunt, ita

ut modernismus, latius acceptus, vel *philosophicus,* vel *politicus*, vel *socialis* tantum esse possit. Caveas tamen sedulo, quod archiepiscopus Mediolanensis et Pisanus, ambo Cardinales, factum dolebant, ne nota modernismi genuinos catholicos, a quibus dissentias, temerarie damnare volueris. Non eo quod nova, sed tunc tantum si nova proponat quae *certae* Ecclesiae doctrinae adversantur, in modernismi reprehensionem incurrere quispiam potest. Nec privatis viris fas est doctores agere Ecclesiae.

Est etiam modernismus qui « *litterarius* » dicitur, quia per opera amoena, fabulas romanenses, modernismi placita tueri atque inter homines spargere conatur. De hoc modernismi genere cfr. infra quae ex litteris cl. professoris DECURTINS exscripsimus, et ad ipsum missas S. Pontificis litteras.

11. *Psychologicae* demum Modernismi radices seu causae hae paucis verbis indicari possunt. Modernismo favet scepticismus iste intellectualis quo innumerabiles mentes hodie aliquo pacto imbuuntur ; — favent, in Italia praesertim et Gallia, turbatae res politicae et sociales : haec S. Sedem moverunt ut plura praeciperet utilia quidem, sed quae variis hominum studiis et inclinationibus vel somniis repugnabant. Hinc non pauci, parum ad oboedientiam propensi, aures libenter praebuerunt doctrinae qua ipsam inoboedientiam fucatis rationibus fulcire possent ; — favet mollis quaedam humanitas, quae, in tanta religionum et opinionum varietate, plerosque homines a necessaria ad salutem via aberrare aegre admittit ; — favet plurimum ipsa fidei catholicae ignoratio quae media nescit quibus, secundum catholicos theologos, errantibus extra Ecclesiae corpus spes manet salutis aeternae ; — favit etiam nimia paucitas magistorum qui, simul catholice et accommodate ad praesentes necessitates, sacras disciplinas tradendo, iuvenum animos ab imprudentis novitatis studiis efficaciter averterent.

Quare optandum maxime est ut in dies, numero frequentiores fiant magistri qui in genuina scholasticae philosophiae et theologiae ratione perfecte eruditi, atque assidui in observandis praesentis temporis et erroribus et studiis, quae ex toto mala et falsa esse nequeunt, hodiernis animis lumen et pacem afferant, dum votum explent Concilii Vaticani, optantis, ut « in eodem genere,

dogmate et sensu », « crescat et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum et saeculorum gradibus, intellegentia, scientia, sapientia ». C. *Dei Filius,* c. 4, qui locus est in Enc. *Pascendi* receptus.

QUAESITA VARIA

XVI. Ex decreto « Ecclesia Christi », de religiosorum cooptatione

Secundum declarationem 5 april. 1910, quotquot primam fecerant professionem ante promulgatum decretum *Ecclesia Christi* 7 sept. 1909 (id est ante 15 sept. 1909), valide ad sollemnem vel perpetuam professionem admittuntur, quamvis, si nunc cooptandi forent lege decreti comprehenderentur. Iubentur tamen Superiores, sub gravi obligatione, secretas iuratasque informationes exquirere Superiorum Seminarii, Collegii, Instituti religiosi *a quo*, de veris causis exitus alumnorum de quibus agitur ; ac praeterea aliunde moraliter certi fieri de idoneitate ad professionem definitivam in gradu laicali vel clericali. Porro Superiores *a quo* iuratas huiusmodi informationes dare debent.

Hinc varia **quaeruntur.**

1. Debentne informationes huius modi sumi de alumno qui, ex dispensatione apostolica, ad sacros ordines ante professionem perpetuam vel sollemnem in Instituto religioso iam est admissus ?

2. Quid, si Superior interrogatus informationes omnes vel saltem iuratas dare recusat ?

3. Quomodo obligationem informandi cum lege secreti qua saepe tenetur Superior componere poterit ?

Respondendum censemus :

Ad. 1. De clerico qui, ex dispensatione pontificia, in Instituto ad sacros ordines est assumptus, huius modi informationes sumendae non videntur. Etenim, clericus sic in sacris constitutus non magis quam in perpetuum professus invitus dimitti potest. Cessat itaque ipsa ratio cur informationes capiendae sint.

Ad 2. Superiores qui interrogare iubentur, cum informationes exquisierint, suae obligationi satisfecerunt. Restat ergo ut aliunde de idoneitate alumni fiant certiores. De qua si certiores sint, perpetuam professionem concedere poterunt ac debebunt. Si vero dubitent, prudenter agant sicut facere consueverint de alumno qui dubie aptus ad perpetuam vel sollemnem professionem videatur.

Ad 3. Inter varias secreti leges distinguendum est. Secreto *mere promisso* Superiores non impediuntur quin informationes dent. Promissio enim fidelitatis non ligat nisi quatenus *tacere* liceat. Lege autem iusta tacere vetantur.

Secreto *commisso*, praesertim si consilii petendi causa, vel ad rationem conscientiae reddendam, rem noverint, tenentur nisi alumnus ingressum vel professionem postulare non potuerit vel in eodem manere quin graviter noceret Instituto in quod est cooptatus, ita ut revelatio iustae defensionis rationem induat.

Ceterum, quia Superiores *a quo* mere de veris discessus causis respondere debent, nemo autem propter defectum in reddenda conscientiae ratione manifestatum invitus dimitti possit, Superior qui vitia nulla novit nisi ex conscientiae ratione, quod verum est testabitur affirmando alumnum ultro Instituto valedixisse.

Quod autem in iurata notitia omitti possint quae secreto tegenda sunt facile perspicitur. Omnis enim rationabilis interrogatio circumscribitur iis rebus quae, omnibus perpensis, communicari permittuntur.

XVII. De inscriptione in Confraternitates

Quamvis regulares et religiosi nulli Tertio Ordini valide nomen dare possint, licet ipsis suam in varia sodalicia seu confraternitates cooptationem impetrare. Quae cooptatio exigere solet ut nomen sodalis in album confraternitatis referatur. Sed cum mos sit apud plerosque regulares ut, deposito nomine saeculari, novo religionis nomine appellentur, iam quaestio fit quodnam nomen, utrum baptismatis an religionis, sit inscribendum.

R. Satius profecto erit ut, indicato nomine religioso, addatur: « qui in saeculo vocabatur N. ». Sufficere tamen arbitramur ut persona suo particulari signo distinguatur.

Quare alterutrum nomen inscribi poterit. Tunc tamen melius erit ut nomine quo designari consuevit (idest religioso, plerumque) in tabulis confraternitatis appelletur.

XVIII. De iure Superioris aperiendi religiosorum litteras

Superior quispiam religiosus omnes litteras aperire et legere solet quas subditi sui miserint vel receperint, eas etiam quae inscribuntur *Res conscientiae. Quaeritur* iam utrum iure suo utatur, an egerit iniuste vel aliter peccaverit. Ipse ex regula arguit quae Superiori mandat ut litteras *lectas* mittat, tradat vel retineat.

R. 1. Claritatis causa, varios casos praeponere iuvat qui distinguendi videntur.

Superior domus sacerdos esse potest cui ex iure communi et ex Constitutionibus generalis est facultas manifestationem conscientiae suis subditis praecipiendi, vel Superior est Instituti laici qui decreto *Quem ad modum* manifestationem istam postulare prohibetur.

Litterae rursus, vel domi scriptae sunt ut mitterentur, vel in domum missae sunt ut religioso domum habitanti traderentur.

Is denique *de cuius conscientia* agitur, vel subditus est Superioris litteras legentis, vel Superiori isti obnoxius non est.

2. In primis ius a Superiore abiudicari nequit satis inspiciendi litteras scriptas vel missas, ut ex scribentis vel recipientis nomine et qualitate vel ceteris adiunctis certior fiat re vera de rebus agi quae ad conscientiam spectent, nec fraudem aliquam hoc colore obtegi. Atque etiam perspicitur, res conscientiae vix cum alio atque sacerdote tractari serio posse.

Itaque, si ad religiosum qui non est sacerdos litterae missae fuerint, nisi sacerdotis cuiuspiam responsum contineant, praesumptio quaedam nascitur quae inscriptionem suspectam facere potest. *Praesumptio,* inquam. Non enim repugnat quin alumnus v. gr. de re vel secreta vel quae etiam ad conscientiam suam respiciat, cum religioso etiam non clerico sed prudentis iudicii et maturae aetatis serio agere voluerit.

Quare alterum interius involucrum, quod clausum fortasse sit et res istas continere dicatur, *per se* aperire, ut de argumento constet, Superior non prohibetur.

Per se, inquam. Si enim hoc ipsum auctor litterarum rationabiliter nolle declaret, vel si Confessarius litteras inscripserit *res confessionis,* Superiori hae solae manebunt optiones, litteras vel destruendi vel ad auctorem remittendi vel tradendi ei ad quem missae sunt.

3. Quotiescumque auctor litterarum simul est Superioris subditus qui *de propria agit conscientia,* distinguendum est inter Superiorem cui ius est rationem conscientiae exigendi et alium Superiorem qui ultroneam tantum conscientiae manifestationem recipere potest. Prior Superior, stricte loquendo, litteras verbis *res conscientiae* munitas aeque legere ac subditi conscientiam explorare potest, donec de secreto confessionis non agatur. Alter autem res ipsas litteris contentas cognoscere non potest. Integrum tamen ipsi est litteras lacerare, atque etiam praecipere subdito ne de rebus suae conscientiae cum aliis ac suis confessariis agat.

Si subditus de *aliena conscientia* scripserit, Superior res ipsas inspicere non potest, strictum autem ius servat litteras non mittendi.

De stricto loquimur iure, quia caritas vel ipsa aequitas aliam, benigniorem agendi rationem saepe suadebunt.

4. Si vero litterae a persona extranea vel non subdita scriptae fuerint, Superior nequit ob proprias Constitutiones se naturali secreti lege dispensatum existimare. Quare, nisi Superior clericus ea tantum legat quae de sola subditi sui conscientia tractant, vel casus interciderit ubi iniusta aggressio depellenda videatur, idest ubi litterae iniuriam faciant quae vi impediri vel arceri potest, litterae ipsae quae inscribuntur *res conscientiae*, legi non permittuntur. Atque eas legendo facile contra iustitiam graviter peccari possit. Secretum enim iusta et inviolabilis est scribentis proprietas. Restat tunc ut, si litteras dare prudenter recuset, Superior easdem destruat, vel melius ad scribentem remittat, ipsum ex aequitate monendo de iusta ratione cur sic fecerit.

5. Potest etiam generali modo subditum prohibere ne huius modi litteras recipiat, vel scribentem monere futurum esse ut aperiantur litterae quocumque modo inscriptae fuerint. Qui si nihilo minus litteras mittat quas de rebus conscientiae esse declaret, suo obtinendi secretum iure excidere videtur. Per litteras enim istas alienam domum, invito Superiore vel domino, invadit.

Accepta monitione, id suo periculo et damno faciat necesse est. Nec ullam conquerendi causam habet.

6. Quid, si, inspecto nomine aliisque adiunctis, Superior *dubitet* utrum necne de rebus conscientiae serio agatur, ita ut tantum legendo quae fortasse secreta fuerint dubium deponere possit? Huiusmodi Superiorem censemus legendis litteris abstinere debere. Siquidem, propter suam dubitationem, auctorem litterarum iure a se possesso spoliare non potest. Itaque litteras non lectas tradere debet, nisi eas destruere vel remittere malit.

7. Incolumi quidem iustitia, litteras subdito negare potest, non autem semper incolumi caritate. Sicut enim próximum iuvare ipse debet, sic media opitulandi proximo subditis secundum suam vocationem, negare non potest. Rationabilem etiam offensionis causam caritas vitare iubet.

8. Quae de *rebus conscientiae* diximus ad alias res quadantenus secretas transferenda etiam sunt. Gravis omnino causa esse potest cur ad religiosum quaedam scribantur, v. gr. de familia sua, quae cum alio sine detractionis peccato vel notabili iniuria communicari non possunt. Superior autem si litteras cognoverit quantum satis est ut disciplinae religiosae sit consultum, imprudenter ac temere alia rescire vellet. Nec aliquo Superioris iure alienum rationabilis secreti ius eliditur.

9. Denique hodie etiam caveat Superior ne litteras imprudenter legendo vel destruendo in civilem incurrat reprehensionem, quae in foro civili multari facile queat.

XIX. De facultatibus a S. C. Prop. Fid. concessis

S. C. Propagandae Fidei plures fecit facultates personis vel Institutis regionum quae, post reformatam Curiam Romanam, suo imperio exciderunt. Hinc **quaeritur**, utrum facultates istae robur suum servent an sint renovandae.

R. Facultates istas manere constat, cum nulla clausula abrogentur.

MONUMENTA

439. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM 3 MART. 1910

Super doctrina renovationis, quam vocant, eschatologicae (A. A. S. 31 aug. 1910, 2, 635)

Feria IV, die 2 martii 1910

Cum renuntiatum esset Supremae huic Sacrae Congregationi Sancti Officii doctrinam Renovationis, ut aiunt, Eschatologicae, etsi iam alias per Sacram Indicis Congregationem proscriptam, libris ac diariis, inter quae nominanda cum primis ephemeris « Jésus-Roi » quae Pictavii in lucem prodiit, adhuc inter fideles evulgari ; Emi ac Rmi Dni Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, in plenario conventu habito supradicta feria IV, omnibus mature perpensis, decernendum censuerunt : « Doctrinam de Renovatione Eschatologica esse reprobandam ». *Dies deliberationis.* *Decreti occasio.*

Quam Emorum Patrum resolutionem sequenti feria V die 3 eiusdem mensis et anni SSmus D. N. D. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii impertita benigne approbare et confirmare dignatus est. *Reprobatur doctrina.* *Approbatio SSi.*

Aloisius Castellano S. R. et U. I. Notarius. *Dies (3 mart. 1910.)*

440. — S. CONGR. DE SACRAMENTIS

RESPONSUM 29 IUL. 1910

De dispensatione impedimentorum matrimonialium imminente mortis periculo (A. A. S. 31 aug. 1910, 2, 650)

Romana et aliarum

Decreto S. Congregationis de disciplina Sacramentorum edito die 14 mensis maii anno 1909, statutum fuit : « Quemlibet Sacerdotem qui ad normam art. VII Decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel Sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio assistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis *Dubitandi occasio.*

matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita. »

Dubium. Circa quod decretum, eidem S. C. dirimendum propositum est dubium :

« An praefato decreto comprehendantur etiam parochi, etsi non fuerint, ad normam declarationis S. Officii diei 9 ianuarii 1889, habitualiter subdelegati a propriis Ordinariis ».

Responsum. Et haec S. C., re perpensa, respondendum censuit : « Affirmative ».

Dies (29 iul. 1910.) Datum ex aedibus eiusdem S. C., die 29 mensis iulii, anno 1910.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*
Ph. Giustini, Secretarius.

Annotatio

Responso isto confirmatur sententia quam supra, Periodica, t. 5, p. 39, proposuimus ; et praevisa ibi declaratio promulgatur.

---

441. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSUM 16 AUG. 1910

De competentia ad concedendas sacerdotibus missas votivas (A. A. S. 31 aug. 1910, 2, 649)

Dubia. Propositis dubiis : 1° utrum ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum spectet concedere facultatem legendi Missam votivam, praeterquam caeco aut caecutienti, de quibus in normis Romanae Curiae (pars 2, cap. 7, art. 3, n. 10 g), etiam senio confectis vel alio morbo laborantibus ; 2° utrum eadem Sacra Congregatio, in superius memoratis casibus, concedere valeat facultatem non solum legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis, sed etiam alias Missas votivas a S. Sede approbatas : haec Sacra Congregatio Consistorialis, praehabito voto Consultoris, omnibusque sedulo perpensis, respondendum censuit : *affirmative ad utrumque.*

Responsum. *Approbatio SSi.* Facta autem relatione ab Emo Card. Secretario, SSmus Dominus noster praedictas resolutiones ratas habuit et confirmavit.

Dies (16 aug. 1910.) Die 16 augusti 1910.

Carolus Perosi, Substitutus.

ANNOTATIO

In peculiaribus Curiae Romanae normis, quae 29 sept. 1908 sunt promulgatae S. Congregationi de disciplina Sacramentorum tribuebatur, inter plures alias facultates, potestas indulgendi « caeco aut caecutienti, ut litare possit, cum facultate legendi missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis. » (Periodica, n. **298**, t. 4, p. 302.) Potestas igitur bifariam circumscripta videbatur, ita ut nec ad alias causas praeter oculorum caliginem nec ad alias Missas praeter B. M. Virginis aut pro defunctis traducenda videretur. Utrumque tamen genus, ob manifestam rationum paritatem, facultatibus comprehensum S. Congr. Consistorialis praesenti responso opportune declaravit.

442. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 27 AUG. 1910

De aliqua in noviciatu studiis opera danda

(A. A. S. 15 sept. 1910, 2, 730)

Noviciatus ratio.

Ad explorandum animum illumque religiosa perfectione gradatim imbuendum, Noviciatus institutus est, qui ideo, per unum saltem annum, sub Magistro, spiritualibus tantum exercitationibus totus insumitur.

Utilitas tamen cuiuspiam studii litterarum.

Cum autem experientia constet, assiduis pietatis officiis, licet opportune variis, adulescentium praesertim defatigari mentem, et ad continuos per diem religionis actus minus intentam afferri plerumque voluntatem ; et cum in ipso Noviciatu moderata aliqua studiis assignatio possit Noviciis non parum utilitatis afferre, ne dediscant quae didicerunt, ac re ostendant quales sint ingenio, idoneitate et diligentia ; Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, in Plenario Coetu E^morum^ Patrum, die 26 augusti 1910 ad Vaticanum habito, sequentia statuit, a singulis Ordinibus et Congregationibus Religiosis apprime servanda :

Hinc decretum generale.

1. Novicii, privatim, unam horam singulis diebus, festis tantum exceptis, studiis dedicabunt.

Studium privatum cotidianum.

2. Studiis praeerunt Magister Noviciorum vel Vicemagister, qui respondente scientia pollere debent, vel, aptius, aliquis ex professoribus humaniorum litterarum, qui domi vel prope commoretur. Horum erit, non ultra ter in hebdomada, per unam horam, praeter aliam, cotidie a Noviciis studiis privatim addicendam, Novicios in unum collectos, veluti in schola, instruere aut saltem progressus in studiis exquirere.

Studiis quinam et quomodo praesint.

Diligenter his studiis incumbendum est.

3. Quamvis haec ut veri nominis schola censeri nequeat, non tamen veluti merum mortificationis exercitium habeatur. Ita igitur fiat, ut, inde, Novicii omni cum diligentia in eam incumbant ac verum fructum ex eadem percipiant ; hinc autem, Magistri apta methodo studia moderentur, de uniuscuiusque tyronis talento ac sedulitate iudicium adipiscantur et progressum curent. Genus autem studiorum cuiusvis Ordinis vel Congregationis naturae respondeat. Linguae patriae, et pro Noviciis Ordini sacro destinatis, linguae latinae quoque ac graecae studium commendatur, sive per repetitionem eorum, quae iampridem Novicii didicerunt, praesertim grammatices, sive per lectionem eorum sanctorum Patrum et antiquorum Ecclesiae auctorum, quos litteris quoque enituisse constet, v. g. S. Ambrosii, S. Augustini, S. Hieronymi, Lactantii, S. Ioannis Chrysostomi, Eusebii et similium ; item Evangelii S. Lucae et Actuum Apostolorum, graece conscriptorum.

Alia exercitia commendantur.

Scripta quoque exercitia, v. g. extemporalia, exempla Mariana, magna cum utilitate accedere poterunt. Quae quidem omnia et alia, sive patrio sive latino sermone redacta, ut Novicii e suggestu legant vel memoriter recitent summopere convenit, ad veram pronuntiationem et quandam publice dicendi dexteritatem acquirendam. Item opportunum erit, ut Novicii inter se colloquentes, loco patrii sermonis, lingua aliquando utantur latina, qua poterunt etiam interdum breves sermones vel catecheticas instructiones ad sodales habere.

Ratio de studiis reddenda.

4. Qui scholae praeest annotet, in scriptis, cuiusvis Novicii diligentiam ac progressus, et horum, item scriptum mittat ad Superiorem Generalem vel Moderatorem Provincialem testimonium, reliquis addendum, antequam Novicii, expleto Noviciatu, ad professionem votorum admittantur.

Approbatio SSi; derogatio contrariorum.

Quae omnia Sanctissimus Dominus noster Pius Papa Decimus, referente infrascripto Subsecretario, confirmare dignatus est, die 27 augusti 1910. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Dies (27 aug. 1910).

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 27 augusti 1910.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
Franciscus Cherubini, Subsecretarius.

Annotationes

1. Decretum istud, quamvis non sit proprium clericorum (in ipso namque n. 3, novicii Ordini sacro destinati distinguuntur ab aliis qui etiam studiis litterariis incumbere iubentur), de iis solis tamen agere nobis videtur qui ex ipsa futura professione sua ingenium intellectuali quopiam labore exercere debent. Quare neque in fratres laicos domesticis curis destinatos, neque in Instituta corporalibus misericordiae operibus addicta stricte est transferendum. Quamquam horum alumni iam, ex Decreti mente, intellectum pro viribus et gradu suo colere laudabiliter poterunt. Perinde dicendum est de Monialibus et Sororibus : lege non tenentur ; docentur tamen laudabilem modum agendi.

Sed quia omnibus contrariis, etiam speciali mentione dignis, derogatur, nullus Ordo virorum in quem lex per se cadat se exemptum putare potest.

2. Studia ista iam ab inito noviciatu facienda sunt, ita ut temperentur dicta in Normis a S. Congregatione anno 1903 editae, quibus primo noviciatus anno studia satis absolute vetari videntur.

Sic enim sonant art. 73 et 74. « 73. Annus noviciatus, ubi unicus est, dicari omnino debet.... formationi spiritus..... Propterea noviciae [1] applicari non debent studiis litterarum aut artium, nec exterioribus operibus Instituti. 74. Ubi duo sunt noviciatus anni, horum primus prorsus insumi debet ut unicus de quo supra. In secundo autem anno noviciae, semper sub directione et vigilantiae magistrae, studiis vel aliis operibus Instituti moderate vacare poterunt. »

3. Cotidianum quidem praecipitur studium ; sed rursus id est « cum grano salis » sumendum, ita ut excipi possint feriae, spiritualia exercitia et si quae consuetae noviciorum exercitationes cum his studiis componi nequeant.

4. Studiorum delectus Superioribus permittitur. Commendatur tantum ut naturae Ordinis vel Congregationis consentanea seligantur. Simul opportuna adduntur consilia de variis exercitationibus quae studia iuvare et perficere possunt.

---

[1] Notum est in istis Normis communia praecepta feminino genere esse scripta, ita tamen ut ab initio moneamur eadem religiosis viris applicanda esse.

5. Dum studia quaedam modica praecipiuntur, a nimietate cavendum est. Quare schola proprie talis, primo noviciatus anno, erigi nequit. Oportet enim, ex ipso decreti initio, ut annus moraliter totus spiritualibus exercitationibus insumatur.

6. Unum istud efferendum iudicamus. Sapientissime ratio de studiis reddenda edicitur, quae in admissione ad professionem consideretur. Fit enim ut ex neglecto studio ipsa pietas suspecta merito habeatur, vel saltem animus prodatur firmi consilii inops atque operibus Instituti parum idoneus.

---

443. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 27 AUG. 1910

Quod ad sacerdotes comitantes praesidem capituli in electione priorissae

Quaestionem saepe agitatam definire volens S. Congr.

Emi Patres Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in Plenario Coetu, ad Vaticanum habito die 26 mensis augusti 1910, quaestioni, saepe agitatae, si et quot Sacerdotes sociare sibi debeat Episcopus vel Praelatus Regularis, qui praeest Monialium Capitulo, ad eligendam Abbatissam vel Priorissam Monasterii coacto, re mature perpensa, responderunt :

regulam statuit generalem.

« In electionibus Abbatissae aut Priorissae, sive Monasterium « subiciatur Episcopo, sive Praelato Regulari, singula vota Monia- « lium in urna clausa colligantur et a Praelato Praeside cum « duobus Sacerdotibus scrutatoribus aperiantur ; quod si gravi de « causa, vota oretenus dentur, id fiat coram Praelato, assistenti- « bus tamen Sacerdotibus scrutatoribus. Sacerdotes, de quibus « agitur, sint maturae aetatis et probatae virtutis. Attamen uti « scrutatores aut socii Episcopi vel Praelati non admittantur ipsi « Monialium Confessarii ordinarii. »

Approbatio SSi.

Quae omnia Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, referente infrascripto Subsecretario die 27 eiusdem mensis augusti 1910, rata habere et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (27 aug. 1910).

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 27 augusti 1910.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus.*
Franciscus Cherubini, Subsecretarius.

---

444. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO 1 SEPT. 1910

Quo quaedam statuuntur leges ad modernismi periculum propulsandum

Perseverans audacia Mo-

Sacrorum antistitum neminem latere arbitramur, vaferrimum hominum genus, modernistas, persona quam induerant illis

dernistarum qui tales se produnt quales litteris « Pascendi » descripti sunt.

detracta per encyclicas Litteras *Pascendi dominici gregis* [1], consilia pacis in Ecclesia turbandae non abiecisse. Haud enim intermiserunt novos aucupari et in clandestinum foedus ascire socios, cum iisque in christianae reipublicae venas opinionum suarum virus inserere, editis libris commentariisque suppresso aut mentito scriptorum nomine. Haec audaciae maturitas, per quam tantus Nobis inustus est dolor, si perlectis iterum memoratis Litteris Nostris, consideretur attentius, facile apparebit, eius moris homines haud alios esse quam quos ibi descripsimus, adversarios eo magis timendos, quo propiores ; ministerio suo abutentes ut venenatam hamis escam imponant ad intercipiendos incautos, doctrinae speciem circumferentes, in qua errorum omnium summa continetur.

Hinc, ut officio fratres confirmandi Pontifex satisfaciat, praefati documenti praescripta refert.

Hac lue diffluente per agri Domini partem unde laetiores essent exspectandi fructus, cum omnium Antistitum est in catholicae fidei defensione laborare, summaque diligentia cavere, ne integritas divini depositi quicquam detrimenti capiat, tum ad Nos maxime pertinet Christi Servatoris imperata facere, qui Petro, cuius principatum, licet indigni, obtinemus, dixit : *Confirma fratres tuos.* Hac nempe de causa, hoc est, ut in praesenti dimicatione subeunda confirmentur bonorum animi, opportunum duximus memorati Nostri documenti sententias et praescripta referre hisce verbis expressa :

(Hoc loco exscribuntur varia practica documenta litterarum « Pascendi », quae habentur Periodica *t. IV, p. 30, linea 21, ad p. 37 lineam 30.)*

His confirmatis, quaedam adiuntur.

His, quae plane confirmamus omnia sub poena temeratae conscientiae adversus eos qui dicto audientes esse renuerint, peculiaria quaedam adicimus, quae ad sacrorum alumnos in Seminariis degentes et ad instituti religiosi tirones referuntur.

De institutione clericorum ad sacerdotium contendentium.

In Seminariis quidem oportet partes omnes institutionis eo tandem aliquando conspirent ut dignus tali nomine formetur sacerdos. Nec enim existimare licet, eiusmodi contubernia studiis dumtaxat aut pietati patere. Utraque re institutio tota coalescit, suntque ipsa tamquam palaestrae ad sacram Christi militiam diuturna praeparatione fingendam. Ex iis igitur ut acies optime instructa prodeat, omnino sunt duae res necessariae, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Altera postulat ut alumna sacrorum iuventus iis artibus apprime erudiatur quae cum studiis rerum divinarum artiorem habent cognationem ; altera singularem exigit virtutis constantiaeque praestantiam. Videant ergo moderatores disciplinae ac pietatis, quam de se quisque spem iniciant alumni, introspiciantque singulorum quae sit indoles ; utrum suo ingenio plus aequo indulgeant, aut spiritus profanos videantur sumere ; sintne ad parendum dociles, in pietatem proni, de se non alte sentientes, disciplinae retinentes ; rectone sibi fine proposito, an humanis ducti rationibus ad sacerdotii dignitatem contendant ; utrum denique convenienti vitae sanctimonia doctrinaque polleant ; aut certe, si quid horum desit, sincero promptoque animo conentur acquirere. Nec nimium difficultatis habet investigatio ; siquidem virtutum, quas diximus, defectum cito produnt et religionis officia ficto animo persoluta, et servata metus causa, non conscientiae voce, disciplina.

Quaenam requiratur probitas.

---

[1] Dat. d. VIII septembr. MCMVII.

Quam qui servili timore retineat, aut animi levitate contemptuve frangat, is a spe sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime. Haud enim facile creditur, domesticae disciplinae contemptorem a publicis Ecclesiae legibus minime discessurum. Hoc animo comparatum si quem deprehenderit sacri ephebei moderator, et si semel iterumque praemonitum, experimento facto per annum, intellexerit a consuetudine sua non recedere, eum sic expellat, ut neque a se neque ab ullo episcopo sit in posterum recipiendus.

Duo igitur haec ad promovendos clericos omnino requirantur, innocentia vitae cum doctrinae sanitate coiuncta : Neve illud praetereat, praecepta ac monita, quibus episcopi sacris ordinibus initiandos compellant, non minus ad hos quam ad candidatos esse conversa, prout ubi dicitur : « Providendum, ut caelestis sapientia, « probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos com- « mendet... Sint probi et maturi in scientia simul et opere... eluceat « in iis totius forma iustitiae ».

Quaenam doctrina.

Ac de vitae quidem probitate satis dictum esset, si haec a doctrina et opinionibus quas quisque sibi tuendas assumpserit, posset facili negotio seiungi. Sed, ut est in proverbiorum libro : *Doctrina sua noscetur vir* [1] ; utque docet Apostolus : Qui... *non permanet in doctrina Christi, Deum non habet* [2]. Quantum operae vero dandum sit addiscendis rebus multis equidem et variis, vel ipsa huius aetatis condicio docet, nihil gloriosius efferentis quam lucem progredientis humanitatis. Quotquot igitur sunt ex ordine cleri si convenienter temporibus velint in suis versari muneribus ; si cum fructu *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* [3] ; si opes ingenii in Ecclesiae utilitatem transferre, oportet cognitionem rerum assequantur, eamque minime vulgarem, et ad excellentiam doctrinae propius accedant. Luctandum est enim cum hostibus non imperitis, qui ad elegantiam studiorum scientiam saepe dolis consutam adiungunt, quorum speciosae vibrantesque sententiae magno verborum cursu sonituque feruntur, ut in iis videatur quasi quid peregrinum instrepere. Quapropter expedienda mature sunt arma, hoc est, opima doctrinae seges comparanda omnibus, quicumque sanctissimis perarduisque muneribus in umbratili vita se accingunt.

Ne ab his studiis seminaristae distrahantur, legere diaria et commentaria vetantur.

Verum, quia vita hominis iis est circumscripta limitibus ut ex uberrimo cognoscendarum rerum fonte vix detur aliquid summis labiis attingere, discendi quoque temperandus est ardor et retinenda Pauli sententia : *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* [4]. Quare, cum clericis multa iam satis eaque gravia sint imposita studia, sive quae pertinent ad sacras litteras, ad Fidei capita, ad mores, ad scientiam pietatis et officiorum, quam *asceticam* vocant, sive quae ad historiam Ecclesiae, ad ius canonicum, ad sacram eloquentiam referuntur ; ne iuvenes aliis quaestionibus consectandis tempus terant et a studio praecipuo distrahantur, omnino vetamus diaria quaevis aut commentaria, quantumvis optima, ab iisdem legi, onerata moderatorum conscientia, qui ne id accidat religiose non caverint.

---

1 *Prov.* XII, 8.
2 II *Ioan.* 9.
3 *Tit.* I, 9.
4 *Rom.* XII, 3.

Ante scholas, exhibendae Antistiti theses.

Ut autem suspicio segregetur omnis clanculum se inferentis modernismi, non solum omnino servari volumus quae sub numero secundo superius praescripta sunt, sed praeterea praecipimus ut singuli doctores, ante auspicandas ineunte anno praelectiones, Antistiti suo textum exhibeant quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones sive *theses* ; deinde ut per annum ipsum exploretur sua cuiusque magisterii ratio ; quae si videatur a sana doctrina discedere, causa erit quamobrem doctor illico amoveatur. Denique, ut, praeter fidei professionem, iusiurandum det Antistiti suo, secundum adiectam infra formulam, et subscripto nomine.

Quid de suspecto doctore.

Iusiurandum, cum fidei professione praescriptum. Quibusnam personis.

Iusiurandum hoc, praemissa Fidei professione per formulam a sa. me. Decessore Nostro Pio IV praescriptam, cum adiectis definitionibus Concilii Vaticani, suo antistiti item dabunt :

I. Clerici maioribus ordinibus initiandi ; quorum singulis antea tradatur exemplar tum professionis fidei, tum formulae edendi iurisiurandi ut eas accurate praenoscant, adiecta violati iurisiurandi, ut infra, sanctione.

II. Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri contionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi.

III. Parochi, Canonici, Beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem.

IV. Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et iudicibus.

V. Allecti contionibus habendis per quadragesimae tempus.

VI. Officiales omnes in Romanis Congregationibus vel tribunalibus coram Cardinali Praefecto vel Secretario eiusdem sive Congregationis sive tribunalis.

VII. Religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium.

Ubinam servanda documenta.

Professionis fidei, quam diximus, editique iurisiurandi documenta, peculiaribus in tabulis penes Curias episcopales asserventur, itemque penes Romanarum Congregationum sua quaeque officia. Si quis autem, quod Deus avertat, iusiurandum violare ausus fuerit, ad Sancti Officii tribunal illico deferatur.

Iurisiurandi Formula

Iuramenti formula.

« Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, asserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intellegentiae esse maxime accommodata. Tertio : Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, cum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolicae hierachiae principem eiusque in aevum successores aedificatam. Quarto : Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres

eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio ; ideoque prorsus reicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia ; pariterque damno errorem omnem quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae. Quinto : certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse caecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati exstrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

« Me etiam, qua par est, reverentia, subicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris « *Pascendi* » et in Decreto « *Lamentabili* » continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. — Idem reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelleguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse. — Damno quoque ac reicio eorum sententiam qui dicunt, christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quae credentis fidei contradicant, aut praemissas astruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur. — Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. — Sententiam praeterea illorum reicio qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitius ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri ; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. — In universum denique me alienissum ab errore profiteor, quo *modernistae* tenent in sacra traditione nihil inesse divini ; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt ; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum ; hominum nempe sua industria, sollertia, ingenio scholam a Christo eiusque apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione* [1] ; non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *numquam aliter credatur*, *numquam aliter* intellegatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata [2].

[1] IREN., 4, c. 26. — [2] *Praeser.* c. 28.

« Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus, etc. ».

De Sacra Praedicatione

Ratio cur documentum, iubente Leone XIII de praedicatione confectum, Ordinariis latine versum commendetur.

Quandoquidem praeterea diuturna observatione sit cognitum Nobis, episcoporum curis ut annuntietur divinum Verbum pares non respondere fructus, idque, non tam audientium desidiae, quam oratorum iactantiae tribuendum putemus qui hominis verbum exhibent magis quam Dei, opportunum censuimus, latine versum evulgare atque Ordinariis commendare documentum, iussu Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII a Sacra Congregatione episcoporum et regularium editum die XXXI mensis iulii anno MDCCCXCIV et ad Ordinarios Italiae atque ad religiosarum Familiarum Congregationumque moderatores transmissum.

Contionatores deligendi virtute et doctrina ornati.

1° « Et in primis quod ad ea pertinet virtutum ornamenta quibus sacri oratores emineant potissimum oportet, caveant ipsi Ordinarii ac religiosarum familiarum Moderatores ne umquam sanctum hoc et salutare divini verbi ministerium iis credant qui nec pietate in Deum nec in Christum Filium eius Dominum nostrum caritate ornentur ac redundent. Istae enim si in catholicae doctrinae praeconibus desiderentur animi dotes, quavis tandem ii polleant dicendi facultate, aliud nihil profecto praestabunt quam *aes sonans, aut cymballum tinniens* [1]: neque umquam id ipsis suppetet a quo evangelicae praedicationis vis omnis ac virtus derivatur, studium videlicet divinae gloriae aeternaeque animorum salutis. Quae quidem oratoribus sacris apprime necessaria pietas, eluceat oportet etiam in externa vitae eorundem ratione : ne sermone celebratis praeceptis institutisque christianis disserentium mores refragentur : neve iidem opere destruant quod aedificant verbo. Ne quid praeterea profani pietas eiusmodi redoleat : verum ea sit praedita gravitate, ut probet eos esse revera *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* [2]. Secus enim, ut scite animadvertit Angelicus, *si doctrina est bona et praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae doctrinae Dei* [3]. — At vero pietati ceterisque christianis virtutibus comes ne desit scientia : cum et per se pateat, et diuturna experientia comprobetur, nec sapiens, nec compositum, nec frugiferum dicendi genus posse ab iis afferri qui doctrina, praesertim sacra, non affluant, quique ingenita quadam freti celeritate verborum, suggestum temere ascendunt ac ferme imparati. Hi profecto aerem verberant, et inscii divina eloquia contemptui obiciunt ac derisioni ; plane digni quibus aptetur divina illa sententia : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* [4] ».

Quaenam argumenta tractanda sint.

2° « Igitur episcopi et religiosarum familiarum antistites divini verbi ministerium ne cui sacerdoti committant, nisi ante constiterit, ipsum esse pietatis doctrinaeque copia rite instructum. Iidem sedulo advigilent ut ea tantum pertractanda sumantur quae sacrae prae-

---

[1] I *Cor.* XIII, 1.
[2] I *Cor.* IV, 1.
[3] Comm. in *Matth.* V.
[4] Os. IV, 6.

dicationis sunt propria. Quae vero eiusmodi sint, Christus Dominus tunc aperuit cum ait : *Praedicate evangelium...* [1] *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* [2]. Ad quae verba apte S. Thomas : *Praedicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo exhortando, hominibus praedicare* [3]. Et sacrosanctum Concilium Tridentinum : *Annuntiantes iis vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant* [4]. Quae omnia fusiore calamo persecutus, f. r. Pius IX haec scripsit : *Non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes, sanctissimae religionis nostrae dogmata et praecepta, iuxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populo clare aperteque annuncient ; peculiaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles, Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere et caelestem gloriam consequi valeant* [5]. Ex quibus omnibus perspicuum fit, symbolum Apostolorum, divinum decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacramenta, virtutes ac vitia, sua cuiusque conditionis officia, novissima hominis et cetera id genus aeterna vera, haec esse propria argumenta de quibus oporteat contionari.

Error quorundam recentiorum de conferentiis.

3° « Sed rerum talium copiam et uberrimam et gravissimam recentiores divini verbi ministri haud raro nil pensi habent ; uti obsoletum quid et inane neglegunt ac paene abiciunt. Hi nimirum cum probe compertum habeant recensita rerum momenta captandae populari gratiae, cui tantum inhiant, minus esse idonea ; *quae sua sunt quaerentes, non quae Iesu Christi* [6], eadem plane seponunt ; idque vel ipsis quadragesimae diebus ac reliquis sollemnioribus anni tempestatibus. Una vero cum rebus immutantes nomina, antiquis contionibus recens quoddam ac minus recte intellectum alloquendi sufficiunt genus, quod CONFERENTIAM dicunt, menti cogitationique alliciendae magis aptum quam impellendae voluntati atque instaurandis moribus. Hi profecto haud secum reputant contiones morales omnibus, *conferentias* vix paucis prodesse ; quorum si moribus diligentius perspectum foret per inculcatam saepe castitatem, animi demissionem, obsequium in Ecclesiae auctoritatem, hoc ipso praeiudicatas de fide opiniones exuerent lucemque veritatis promptiore animo exciperent. Quod enim complures de religione prave sentiunt, maxime inter catholicas gentes, id effrenatis animi cupiditatibus potius est tribuendum quam vitio aberrantis intelligentiae, secundum divinam sententiam : *De corde exeunt cogitationes malae... blasphemiae* [7]. Hinc Augustinus Psalmistae referens verba : *Dixit insipiens in corde suo : non est Deus* [8], commentatur : *in corde suo, non in mente sua.*

---

1 *Marc.* XVI, 15.
2 *Matth.* XXVIII, 20.
3 Loc. cit.
4 Sess. V, cap. 2, *De Reform.*
5 Litt. Enc. IX nov. MDCCCXLVI.
6 *Philip.* II, 21.
7 *Matth.* XV, 19.
8 *Psal.* XIII, 1.

Quaenam prorsus amovenda.

4° « Haec tamen non ita sunt accipienda, quasi sermones id genus per se omnino sint improbandi, cum contra, si apte tractentur, perutiles possint esse aut etiam necessarii ad refellendos errores quibus religio impetitur. Sed amovenda omnino est a suggestu pompa illa dicendi quae in quadam rerum contemplatione magis quam in actione versatur ; quae civitatem spectat proprius quam religionem ; quae denique specie nitet melius quam fructuum ubertate. Ea nempe omnia commentariis et academiis magis accommodata, dignitati atque amplitudini domus Dei minime congruunt.

De conferentiis prudentes cautiones.

Sermones autem, seu *conferentiae*, quae propositam habent religionis tuitionem contra hostiles impugnationes, etsi quandoque necessarii, non omnium tamen humeris apti sunt, sed validioribus. Atque ipsis quidem oratoribus eximiis magna est adhibenda cautela, quod eiusmodi defensiones haberi non decet nisi ubi tempus aut locus aut audientium condicio eas necessario postulent, spesque adsit non fore fructu vacuas : cuius rei iudicium legitimum penes Ordinarios esse ambiget nemo. Oportet praeterea in sermonibus id genus probandi vis sacris doctrinis multo plus quam humanae sapientiae verbis innitatur, omniaque nervose dicantur ac dilucide, ne forte mentibus auditorum haereant altius impressae falsae opiniones quam opposita vera, neve obiecta magis quam responsa percellant. Ante omnia vero illud cavendum, ne talium sermonum frequentia moralium contionum dignitatem deminuat ab usuve removeat, quasi hae inferioris ordinis essent ac minoris faciendae prae pugnaci illo dicendi genere, adeoque contionatorum et auditorum vulgo relinquendae ; cum contra verissimum sit contiones de moribus plerisque fidelibus esse maxime necessarias ; dignitate vero contentiosis disceptationibus minime cedere ; ita ut vel a praestantissimis oratoribus, coram quovis elegantiori frequentiorique coetu, saltem identidem summo cum studio essent habendae. Quod nisi fiat, multitudo fidelium cogetur audire semper loquentem de erroribus, a quibus plerique ipsorum abhorrent : numquam de vitiis ac noxis, quibus eiusmodi auditoria prae ceteris inficiuntur.

Vitia quae ad orationis speciem ac formam spectant.

5° « Quod si vitiis haud vacat argumenti delectus, alia, eaque graviora etiam, querenda occurrunt si animum quis referat ad orationis speciem ac formam. Quae, prout egregie edisserit Aquinas, ut reapse sit *lux mundi*, *tria debet habere praedicator verbi divini : primum est stabilitas, ut non deviet a veritate : secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate : tertium est utilitas, ut quaerat Dei laudem et non suam* [1]. At vero forma hodierna dicendi saepenumero, non modo longe abest ab illa evangelica perspicuitate ac simplicitate quae iisdem deberet esse propria, sed tota posita est in verborum anfractibus atque abditis rebus quae communem populi captum excedunt. Dolenda sane res ac prophetae deflenda verbis : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret iis* [2]. Sed illud etiam miserius, quod saepe his contionibus deest illa species religionis, afflatus ille christianae pietatis, illa denique vis divina ac Sancti Spiritus virtus interius loquentis et ad bonum pie permoventis animos : qua sane vi ac virtute sacris praeconibus semper essent usurpanda Apostoli verba :

---

[1] Loc. cit.
[2] *Thren.* IV, 4.

Sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis [1]. Iidem contra freti *persuabilibus* humanae sapientiae verbis, vix aut ne vix quidem animum ad divina eloquia intendunt et ad Scripturas Sanctas, quae sacrae praedicationi potiores uberioresque recludunt latices, uti diserte docebat nuper Sanctissimus Dominis Leo XIII hisce verbis gravissimis : — « Haec propria et singularis Scriptura-» rum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae » oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi » libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis » enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non » loquitur *in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto,* » *et in plenitudine multa* [2]. Quamobrem ii dicendi sunt praepostere » improvideque facere, qui ita contiones de religione habent et prae-» cepta divina enunciant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae » et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. » Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, lan-» guescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis » Dei, eandemque longe abesse ab illa qua divinus sermo pollet » virtute : *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior* » *omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animae* » *ac spiritus* [3]. Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum » est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque » dignam rebus eloquentiam; id quod Augustinus pervidit diserteque » arguit [4], atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus » sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque » meditationi se praecipue debere, grati Deo, affirmarunt [5] ».

E quibusnam fontibus hauriendа sint argumenta.

« En igitur eloquentiae sacrae fons facile princeps, Biblia. Sed qui ad nova exempla componuntur praecones, dicendi copiam non e *fonte* hauriunt *aquae vivae*, sed abusu haud sane ferendo, se ad *humanae sapientiae cisternas dissipatas* convertunt, et, seposita doctrina divinitus inspirata vel Ecclesiae Patrum et Conciliorum, toti sunt in profanorum recentiorumque atque adeo viventium scriptorum nominibus sententiisque proferendis : quae sane sententiae saepe interpretationibus ansam praebent, aut ambiguis aut valde periculosis. — « Alterum offensionis caput iniciunt qui ita de rebus religionis disserunt, quasi omnia caducae huius vitae emolumentis commodisque metiantur, futurae ac sempiternae pene obliti : qui fructus quidem a christiana religione illatos hominum societati praeclare persequuntur ; officia vero ab iisdem servanda dissimulant ; Christi Servatoris unam efferunt caritatem ; iustitiam silent. Inde istius praedicationis exiguus fructus, qua audita profanus homo persuasionem secumfert, etiam non mutatis moribus se fore christianum, dum dicat : Credo in Christum Iesum [6] ». — Verum, quid ipsorum interest fructus colligere ? Non id sane propositum habent, sed illud maxime, ut auditorum *prurientes auribus* iisdem assententur ; dumque templa referta videant, vacuos animos

---

1 I. *Cor.* II, 4.
2 I. *Thess.* I, 5.
3 *Hebr.* IV, 12.
4 *De Doctr. christ.* IV, 6, 7.
5 Litt. encycl. *de Studiis Script. Sacr.*, XVIII nov. MDCCCXCIII.
6 Card. Bausa, Archiep. Florentin., *ad iuniorem clerum*, 1892.

remanere patiuntur. Hac nempe de causa mentionem iniciunt nullam de peccato, de novissimis, aliisque maximi momenti rebus, sed in eo toti sunt ut *verba placentia* effundant, tribunicia magis et profana eloquentia quam apostolica et sacra, ut clamores plaususque aucupentur ; contra quos ita Hieronymus : *Docente in Ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur : auditorum lacrimae laudes tuae sint* [1]. Quo fit ut istorum contiones, cum in sacris aedibus tum extra, scenicum quendam apparatum exhibeant, omnemque speciem sanctitatis et efficaciam adimant. Hinc ab auribus populi et plurium etiam e clero migravit voluptas omnis quae a divino verbo hauritur ; hinc bonis omnibus iniectae offensiones ; hinc vel admodum exiguus, vel plane nullus aberrantium profectus, qui, etiamsi interdum concurrant audituri verba placentia, praesertim si magnificis illis illecti centies resonantibus *humanitatis ascensum*, *patriam*, *scientiam recentius invectam*, postquam dicendi peritum effuso prosecuti sunt plausu, templo iidem qui antea discedunt, haud eorum absimiles, qui *mirabantur*, *sed non convertebantur* [2].

Praescripta Episcopis et generatim Superioribus officia.

« Volens igitur haec Sacra Congregatio, ex mandato Sanctissimi Domini Nostri, tot ac tam improbandos abusus cohibere, Episcopos omnes et eos qui religiosis Familiis institutisve ecclesiasticis praesunt tamquam supremi moderatores, compellat, ut apostolico pectore sese iisdem opponant omnique studio exstirpandos curent. Memores igitur eorum quae a SS. Concilio Tridentino praescripta sunt [3] — *Viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere tenentur*, — in hoc negotio perquam diligenter cauteque se gerant. Si de sacerdotibus agatur suae dioecesis impense caveant Ordinarii ne umquam iidem ad id muneris admittantur, quin *prius de vita et scientia et moribus probati fuerint* [4], hoc est nisi facto periculo aut alia opportuna ratione illos idoneos esse constiterit. Si vero de sacerdotibus res sit alienae dioecesis, neminem suggestum ascendere sinant, idque sollemnioribus praesertim diebus, nisi prius ex testimonio scripto proprii Ordinarii vel religiosi Antistitis constiterit eosdem bonis moribus esse praeditos eique muneri pares. Moderatores vero sui cuiusque Ordinis, Societatis vel Congregationis religiosae neminem prorsus ex propriae disciplinae alumnis obire sinant contionatoris munus, eoque minus litterarum testimonio commendent locorum Ordinariis, nisi eiusdem perspectam habeant et morum probitatem et facultatem contionandi uti decet. Si quem vero commendatum sibi litteris oratorem exceperint ac subinde experti cognoverint eum in contionando a normis praesentium Litterarum discedere, cito in obsequium adigant. Quod si non audierit, a suggestu prohibeant, iis etiam, si opus fuerit, adhibitis canonicis poenis, quas res videantur postulare.»

Finalis hortatio ad zelum explicandum.

Haec praescribenda censuimus aut recolenda, mandantes ut religiose observentur, gravitate permoti succrescentis in dies mali, cui serius occurri non potest sine summo periculo. Neque enim iam res est, quemadmodum ab initio, cum disputatoribus prodeuntibus *in vestimentis ovium*, sed cum apertis infensisque ini-

---

[1] *Ad Nepotian.*
[2] Ex Aug. in *Matth.* XIX, 25.
[3] Sess. V, c. 2, *De reform.*
[4] Conc. Trid., Sess. V, c. 2, *De reform.*

micis, iisque domesticis, qui facto foedere cum Ecclesiae capitalibus hostibus, propositam habent fidei eversionem. Sunt hi nempe, quorum audacia adversus deductam caelo sapientiam cotidie consurgit, cuius corrigendae sibi ius arrogant, quasi esset corrupta ; renovandae, quasi esset senio confecta ; augendae aptandaeque saeculi placitis, progressionibus, commodis, quasi eadem non levitati paucorum, sed bono societatis esset adversa.

Hisce ausibus contra evangelicam doctrinam et ecclesiasticam traditionem numquam satis opponetur vigilantiae aut severitatis nimium ab iis quibus commissa est sacri huius depositi custodia fidelis.

Clausula praeceptiva.

Quae igitur monita et salutaria mandata Motu hoc proprio ac certa scientia ediximus, ab universis catholici orbis cum Ordinariis tum etiam regularium Ordinum institutorumque ecclesiasticorum supremis Magistris religiosissime servanda, rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Dies (1 sept. 1910).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 1 mensis septembris, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

ANNOTATIONES

1. In regionibus quae, sicuti Belgium nostrum, lue sic dicti « Modernismi » satis sunt immunes, repetita ista vis qua S. Pontifex, pro zelo suo, istam errorum summam impugnat, mirationem quampiam afferre potest. Sed quam acri simul ac perfidi conatus ad turbandam Ecclesiam et seducendos iuniores clericos alibi explicentur praeterire non debemus. Nonne, ad promovendum Modernismum, foedus clandestinum et suo modo catholicum seu pluribus gentibus commune est pactum ; nonne in ephemeridibus vel commentariis suis, v. gr. in REVUE MODERNISTE INTERNATIONALE (Genève, 1910) gloriantur de numero et varietate asseclarum quos ubique atque in ipsa Urbe se habere profitentur ?

2. Praesenti autem Motu Proprio, S. Pontifex, expressis verbis referendo quae superiore Enc. *Pascendi* disposita erant, imprimis accuratam istarum sanctionum (de his cfr. PERIODICA nostra, t. 4, p. 30 37 et p. 55-58) exsecutionem obtinere proponit. Non nulla subinde addit praecepta de institutione clericorum qui ad sacros ordines suscipiendos disponuntur. Tum bene multis personis, praeter fidei professionem, iuramentum antistiti suo dare iubet secundum formulam in qua principales Modernistarum errores memorantur et reprobantur. Denique, in Motu Proprio, latine redditum et Episcopis commendatum inserit documentum de sacra praedicatione quod, auctore Leone XIII, S. Congregatio Episcoporum et Regularium, die 31 iulii 1894, ad Ordinarios Italiae et Superiores religiosos transmiserat.

3. De novis praeceptis haec notanda videntur.

a) Initio nuntiantur peculiaria quaedam quae ad sacrorum alumnos in Seminariis degentes et ad instituti religiosi tirones referantur.

Sacrorum alumni sunt quotquot, sive in humanioribus, sive in philosophicis, sive in theologicis studiis versantur, ad sacerdotium quondam capessendum definite praeparantur. Hi omnes enim

sunt ex voto Concilii Tridentini et usu plurium gentium Seminario continendi et alendi. Sicubi tamen, sicut in Belgio, nemo ante philosophica studia pro seminarista habeatur, humaniorum litterarum cultores praesenti lege non comprehenduntur. Non omnes tamen sacrorum alumni sed qui *in Seminariis saecularibus* degunt positivis sanctionibus obnoxii sunt. *Seminarii* enim condicio conceptis verbis additur. Quare nec in clericos qui Universitates frequentant nec in eos qui, etiam in Seminariis, iam sacerdotio sunt aucti lex nostra cadit. Cum autem alumnos in Seminariis degentes ab Instituti religiosi tironibus ipsa legis verba distinguant, Seminaria intellegenda esse *saecularia* satis perspicitur.

Instituti religiosi tirones, sicut contexta oratio facit manifestum, nec soli nec maxime sunt quos *novicios* vocamus, sed omnes *iuniores religiosi*, idest qui votis temporalibus vel simplicibus ad professionem perpetuam vel ultimam disponuntur. Nec, nostra sententia, sinit aequitas ut inter tirones habeas qui ultra quinque vel sex annos a primis votis priorem professionem, ob peculiares sui Instituti leges, servare iubentur. Ad communem enim condicionem lex accommodanda est. Communis autem condicio est ut viginti quinque annos nati, vel tribus aut quinque, summum sex, votorum annis probati non iam inter tirones sed inter maturos religiosos habeantur.

Verum, si ad verba novi decreti attendas, sua utrique generi clericorum et tironum *distincta* nuntiari videntur praecepta. Ac de priore Seminaristarum genere initium fieri videtur per verba : *In Seminariis quidem*, ita ut postea exspectes : *In Institutis vero religiosis*. Frustra tamen quidpiam peculiare quaesieris dictum de *tironibus Instituti religiosi*, quamvis multi tirones prorsus diversam a Seminaristis condicionem habeant. Quare omissam vel suppressam suspicamur esse partem quae tironum huius modi propria erat. Quod si ita res se habeat, verba « ad instituti religiosi tirones » iam superfluere videntur, vel ita esse scripta ut, *donec S. Sedes aliter responderit*, positivae sanctiones solis Seminaristis saecularibus, *stricte* loquendo, circumscribi possint. *Stricte loquendo*, inquam ; namque qua ratione, ex Pontificis mente, instituendi sint religiosi tirones qui ad sacros ordines praeparantur satis demonstratur.

Interpretatio nostra eo confirmatur quod praecepta dicuntur observanda *in Seminariis*, in seminariis autem tirones religiosi commorari non consueverunt. — Praeterea, Doctores Seminarii qui Antistiti suo iusiurandum dare iubentur, profecto sunt tantum *saeculares*, cum de Doctoribus religiosorum postea, in enumeratione n. VII, sermo fiat.

b) Explicatis necessariis clericorum dotibus, S. Pontifex haec positive sancit : « Ne iuvenes aliis quaestionibus consectandis tempus terant et a studio praecipuo distrahantur, omnino vetamus diaria quaevis aut commentaria, quantumvis optima, ab iisdem legi, onerata moderatorum conscientia qui ne id accidat religiose non caverint. »

Quae sic exponenda videntur :

Dum *diaria* sunt ea quae *giornali*, *journaux*, *dagbladen*, *daily papers*, *Tagblätter*, etc. vulgari sermone vocantur ; *commentariorum* nomine veniunt *libelli periodici*, id est : *reviste*, *revues*, *tijdschriften*, *magazine*, *Zeitschrifte*. Sic ipsa Acta Apostolicae Sedis *Commentarium Officiale* inscribuntur. Postquam autem, finito

anno, in unum volumen compacta fuerint, commentaria libris satis aequiperari posse videntur ut aeque ac bonos et utiles libros bona atque utilia commentaria bibliothecam Seminaristarum ornare posse videantur.

Quamvis verba sint generalia, si tamen unicam animadverteris rationem, quae ex nullo animi periculo sed ex vitanda distractione petitur, vetari non dixeris ea commentaria quae, quia sunt de sacris litteris, fidei capitibus, iure canonico vel de scientiis quae seminaristis proponuntur, studia iuvant nedum ab iis distrahere animum putentur. Quam quidem sententiam, donec de alia Pontificis mente constiterit, modeste teneri posse arbitramur. Prohibentur itaque, quantumvis optima, tam diaria quam commentaria quae argumenta semper vel saepe a studiis Seminarii aliena volvunt.

Nec prohibentur commentaria « *domestica* » quae, saepe ad mutuam caritatem fovendam, de missionibus vel rebus Instituti aut Seminarii agunt : haec sunt minus stricte dicta Commentaria.

Lectio intellegi potest habitualis, in Seminario, non quae per accidens fiat.

Ac ratio legis sinit ut vetitam lectionem eam intellegamus quae tempus terendi aut distrahendi animum det occasionem. Quare, non dixerimus contra legem facere moderatores qui *probe a se selectum* diarium unum vel in villa, vel inter recreationem, per modicum et definitum tempus seminaristis cursim legendum offerant, ut vel utilis conversationis argumentum hauriant, dummodo diarium istud in ipsorum manibus ne maneat.

Nec lectionis nomine venit *auditio*, etiam communis, utilium rerum quas quis, in diariis selectas, probante Superiore, statis diebus v. gr. e suggestu legat.

Denique tempora *feriarum*, saltem cum a scholis per plures hebdomadas cessatur, etiam in Seminariis lege excipi posse videntur.

Directe autem non tam Seminaristarum quam moderatorum conscientia ligatur, qui ipsi religiose cavere debent ne haec legantur.

c) Doctores iubentur Antistiti suo textum seu tractandas quaestiones ante inchoatas anni praelectiones exhibere.

Doctores sunt qui sacras disciplinas in Seminariis praelegunt.

Antistes autem est vel ipse Episcopus, si voluerit hanc sibi provinciam reservare, vel quem Seminario regundo aut saltem studiis moderandis praefecerit. Ipsa enim vox latam hanc secum fert interpretationem.

d) Eodem loco, paulo infra, edicitur ut quispiam « praeter fidei professionem, iusiurandum *det* Antististi suo, secundum adiectam infra formulam, et subscripto nomine ». Quaeritur iam *quisnam* hac obligatione teneatur ?

Ac si voces consideres, cum numero singulari ponatur *det*, nec alia vox singulari numero praecesserit praeter *doctorem* qui amovendus dicitur, putaveris obligationem istam ad suspectum illum referri, ita ut iuramentum istud cuiuspiam canonicae purgationis rationem induere videretur.

Quia tamen statim postea religiosarum familiarum *doctores*, antequam officium ineant, iusiurandum dare iubentur, nec appareat ratio cur saeculares doctores eodem iuramento sint exempti, arbitramur istud iurandi praeceptum omnibus imponi magistris disciplinarum sacrarum, antequam in *Seminario* munus suum exercere incipiant.

e) *De iurisiurandi praecepto.*

Iurisiurandi formula non tantum recitanda est, sed subscripto

nomine confirmanda et in peculiaribus tabulis asservanda penes Curias episcopales, pro plerisque iuramento astrictis, penes Romanarum Congregationum officia pro officialibus. Ad tabulas istas quae lege numerantur, addendae videntur tabulae monasterii independentis, vel provinciae, vel totius Instituti religiosi, ac Tribunalis Romani pro iuramento quod a Superiore Religioso vel Tribunalis Praefecto receptum fuerit.

Antistes cui iuramentum dari debet est *Episcopus* (seu Praelatus Nullius) pro personis quae n. II. III. IV. V. numerantur; pro clericis qui maioribus ordinibus initiandi sunt est *Episcopus proprius* vel *Praelatus* cui exemptus religiosus est obnoxius. Officiales Romanae Congregationis vel Tribunalis iuramentum *Cardinali Praefecto* vel *Secretario* eiusdem Congregationis vel Tribunalis dare debent. Cum Rota (cfr. Periodica, t. 4, p. 231) nec Cardinalem Praefectum nec Secretarium habeat, *Decano*, ni fallimur, iuramentum dandum erit. Doctores religiosi *Superiori* suo, Moderatores autem Superiori maiori iuramentum dabunt. Quid autem si sint supremi vel sui iuris? Hos exemptos putamus, sicut ipsi sunt Praefecti Congregationis vel Tribunalis Romani.

Cum, sine peculiari indulto, professio fidei a Pio IV pluribus praescripta, in eius qui lege designatur manibus non autem in manibus delegati facienda sit, perinde hic esset dicendum, nisi nuperrima declaratio 25 sept. delegandi potestatem fecisset.

Quotiens autem faciendum est iuramentum? Quotiescumque qualitas accipitur cui obligatio coniuncta sit. Itaque, iurare iterum debebit clericus qui ante suam ordinationem iuravit, cum ad confessiones audiendas approbatur; et tertium, si distincto actu facultate contionandi donatur. Quotiescumque ineatur beneficium vel committatur officium regendi domum religiosam aut docendi in aliquo Instituto iurandum erit, sicut de professione fidei iam declaratum erat. Ante singulas quadragesimas contionatores [1] iuramentum repetere debebunt, nisi officium per plures quadragesimas explendum susceperint.

Attamen, ut novam legem aeque interpretemur, arbitramur satis esse ut clerici ante subdiaconatum iuramentum emittant: ii enim soli stricte sunt maioribus ordinibus *initiandi*. Nec iuramentum repetendum videtur ab eo qui in una dioecesi approbatus, in alia facultatem obtinet confessiones audiendi vel contiones habendi, vel ab eo qui in eadem episcopali curia vel Congregatione romana vel in eodem tribunali aut in eodem Seminario officium mutat vel aliam disciplinam tradere incipit.

Praeter *peccatum*, externa violati iuramenti sanctio additur, cum formalis periurii reus ad *S. Officium deferendus dicatur*. A quibusnam? Ab iis qui delictum certo cognoverunt. Hic enim obligatio restituitur deferendi eos qui hoc modo in fide suspecti sint. Tribunal autem S. Officii videtur etiam esse episcopale tribunal, cum Episcopus inquisitor natus dicatur.

N. B. Quo modo haec omnia nova declaratione ampliata sint, cfr. infra, n. **447**.

---

[1] Observes tamen in Italia contionatores quadragesimales eos esse qui cotidie, per horam integram, per totam quadragesimam de variis argumentis dogmaticis, moralibus vel apologeticis sermonem habent. In nostris regionibus, quadragesimales contionatores ii erunt qui in maioribus ecclesiis sollemnes conferentias semel vel bis in hebdomada proponunt. Minime vero iuramentum imponendum est iis qui in variis ecclesiis mere Christi passionem pie commentantur.

f) *De iurisiurandi formula.*

Ad nostram provinciam non spectat varia istius formulae capita declarare. Satis erit ut moneamus nos novo hoc monumento de placitis quae modernismo notari possunt ac debeant positive doceri.

Quare etiam theologis solvendam linquimus difficultatem quae ex primo iuramenti capite moveri potest. Generali enim modo iurans profitetur se recipere « quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, asserta ac declarata sunt ». Statim autem profiteri iubetur « Deum,.... naturali rationis lumine per ea quae facta sunt.... tamquam causam per effectus, certo cognosci, *adeoque demonstrari* etiam *posse* profiteor. » Sed enim in concilio Vaticano, cum schema haberet : « Eadem sancta Mater Ecclesia tenet et docet Deum..... naturali rationis lumine.... certo cognosci et demonstrari posse », Deputatio fidei suppressam voluit vocem *demonstrari*. « Quamvis, sic relator, aliquatenus *certo cognoscere* et *demonstrare* sit unum idemque, tamen phrasim mitiorem Deputatio de fide sibi eligendam censuit et non istam duriorem. » Quae emendatio longe maiore suffragiorum parte est approbata [1]. Quaestio itaque fit quo pacto « *Deum demonstrari posse* » inter capita inerranti magisterio definita numeretur. Praesenti enim *Motu proprio*, nihil profecto definitur.

Sed de hac re sapientiores pronuntiaverint.

4. Documento de sacra praedicatione quod, post praescriptam iuramenti formulam, inseritur, nulla nova accedit auctoritas sed commendatio Ordinariis facta. Cfr. etiam n. **447**.

5. In fine gravis istius monumenti, S. Pontifex quasi suarum voluntatum exsecutores constituit universos locorum Ordinarios ac supremos Magistros regularium Ordinum et institutorum ecclesiasticorum, idest institutorum quae stricto vel lato usu familiae religiosae vocari possunt. Conclusio ista simul demonstrat *gravem* huius legis obligationem Ordinariorum Moderatorum potius quam subditorum conscientiae imponi, ita ut subditi iussionem Superiorum suorum tuto exspectare possint.

---

445. — SS. D. N. PII PP. X

LITTERAE 15 SEPT. 1910

De modernismo « litterario » (A. A. S. 10 oct. 1910, 2, 738)

Dilecto Filio Gaspari Decurtins [2], *Doctori Decuriali in Athenaeo Catholico Friburgensi.*

Laus operis et auctoris.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. Tuum opus de « modernismo litterario » firmissimis argumentis et magna disserendi subtilitate conscriptum, haud studiose minus quam iucunde perlegimus. In eo enim qualem antea, te praebes fidelissimum Ecclesiae filium ac defensorem strenuum, dignum propterea

---

[1] Cfr. VACANT, *Études théologiques sur les Constitutions du Concile du Vatican.* La C. *Dei Filius*, t. 1, p. 297, 298 et Document XIV, p. 658.

[2] Occasio litterarum S. Pontificis tres sunt clarissimi Professoris epistolae, ad iuvenem quendam scriptae a dec. 1909 ad iul. 1910 quas, una cum his pontificiis litteris, ipse D. DECURTINS nobis utendas humanissime tradidit. Nonnulla ex praeclaris istis litteris referenda putavimus ad calcem litterarum pontificiarum.

Quibusnam formis et quo periculo modernismus in litteras, praesertim post Enc. « Pascendi » irrepserit.

quem, sicut illustris Decessor Noster, ita et Nos peculiari existimatione ac benevolentia prosequamur. Dudum quidem animadvertimus, multiplici sub forma se occulentem modernismum in litteras irrepsisse, nec solum in fabulas quas romanenses appellant aliave narrationum genera, verum etiam in sermones qui in criticorum arte versantur. Novum hoc propagandi erroris adminiculum, mentita specie tractandi litteras de iisque iudicandi, in dies evulgatius, eoque periculosius quo simulatum callidius et ad virus diffundendum expeditius, acerbum Nobis dolorem attulit. Ea namque agendi ratio declarat, fidei ac disciplinae catholicae adversarios nihil intentatum relinquere ut deploranda consilia sua ad exitum perducant. Haec nempe causa est quamobrem, praesertim post editas encyclicas litteras Nostras « Pascendi », quae modernismum philosophicum ac theologicum directo percellebant, transversae sint initae viae ad exitiosos illos errores longe lateque proferendos.

Modernistica ratio scribendi exponitur.

Magnam enim, ut egregie tu disseris, in artibus et litteris vim sitam esse animadverterunt ad hanc novam dimicationem, maxime vero in romanensibus aliisve fabulis. Hinc mira illa librorum id genus colluvies, pluribus linguis redditorum, quibus propositum est humanitatem inimicorum Ecclesiae summis laudibus efferre; nostrorum studia et scripta commiserari, deridere, quasi longe inferiora; fatuam quandam religionem et commenticiam recti pulchrique formam quam « Idealismum » dicunt, perpetuo celebrare, suo cuiusque sensu duce ac magistro, reiecta quavis disciplinae norma et freno quovis legitimae auctoritatis excusso; implicite saltem promovere inductam illam philosophandi rationem, a qua, velut a fonte, singuli errores derivantur, quae absolutam veritatem cognosci posse negat, omnemque religionem nihil aliud esse contendit, nisi inchoatam quandam formam eamque mutabilem, hoc uno utilem homini, quod eius animum expleat in ea pronum quae naturam excedunt. Haec omnia quam falsa sint atque improbanda facile intellectu est. Primum enim, non fictam catholicae Ecclesiae historiam perlegenti patebit, hanc omnis humanitatis matrem et altricem fuisse, nulla cultus parte seclusa, Romanosque Pontifices eiusdem tuendae vindicandae auctores impigros exstitisse. Quod vero pertinet ad novissima de religione iudicia, quibus modernistae conantur evincere, nihil aliud esse religionem quam insitum unicuiqne sensum rerum caelestium, cui minime res ipse respondeat, Nos quidem refellimus iam atque damnavimus errorem funestissimum, quo fatalis via sternitur ad veri nominis despicientiam incuriamque rerum ad religionem spectantium, quam indifferentismum vocant, vix dissimulatam fucatis verbis a rethorum officina petitis. Haec lenocinia atque hae simulationes ingenii ad inventionem excolendi et critices artis exercendae, quae mire inserviunt erroribus disseminandis aut facilius divulgandis, haec pompa sententiarum ad incautos lectores decipiendos, existimari debent uti arma omnium funestissima ad falsi tutelam et ad oppugnationem veri. Oportet igitur omnes, quicumque haud inani gloriantur nomine catholicorum, insidias hasce denuntient repellantque viriliter. Qua in re nemo sane poterit melius ferre suppetias quam iuventutis institutores et auctores operum edendorum. Campus enim his patet latissimus, in quo possint subtile indicium atque elegans, idemque plane catholicum, in animis adulescentium inserere, proposito exemplo scriptorum qui ex eo numero immortalem sibi famam pepererunt; aut causam

Denuo dogmata modernistarum improbantur.

Generalis adhortatis cua omnes praesertim iuventutis institutores et auctores operum edendorum ad insidias modernistarum re-

litterarum a catholico sensu prodeuntium suscipere contra novissimum agmen iniquo animo scriptitantium; aut, si cui Deus hanc facultatem concesserrit, addere se scriptorum numero probe de religione sentientium Huius navitatis exemplum, quod ipse, dilecte Fili, praebuisti nobilissimum, incitamento sit ceteris. Nobis gratissimum est praeclaram operam tuam pro Christo et Ecclesia impensam, excellens ingenium exquisitamque doctrinam, in obsequium veritatis collata contra erroris astutiam, publica laude honestare. Caelestis autem pignus mercedis, eademque excitatrix ad continuanda praelia Domini, sit apostolica benedictio, quam tibi, dilecte Fili, paterno animo effusoque impertimus.

pellendas excitantur.

Commendatur exemplum Di Decurtins, adaita benedictione.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis septembris anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

Dies (15 sept. 1910.)

PIUS P. P. X

APPENDIX

Ex epistolis D. Decurtins de modernismo excerpti loci

Au XVIIIme siècle, la superficialité des connaissances et le jansénisme desséchant avaient livré les catholiques comme une proie facile aux ravages du philosophisme. Il n'en alla pas de même lorsque le Kulturkampf éclata ; il trouva les catholiques prêts à la résistance, unis sur la question de l'infaillibilité pontificale, qui fut la pierre de touche de leur foi. Les catholiques restés fidèles prirent résolument la défense de la vérité chrétienne. Une sève de foi et d'espérance joyeuse fermenta dans les œuvres des littérateurs catholiques ; plus d'une page, sans doute, était fruste et rugueuse ; mais un souffle d'ardente conviction communiquait à tout la chaleur de la vie.

L'ennemi, victorieusement repoussé, dut battre en retraite. Sous Léon XIII, une ère de labeur créateur fleurit ; les milieux catholiques s'épanouirent à la vie intellectuelle, s'efforçant d'y marcher de pair avec l'adversaire. C'est alors que les idées qui avaient en vain essayé de s'imposer à la veille du Concile, renouvelèrent leur tentative par voie d'insinuation. Elles réussirent à gagner de l'influence et graduellement obscurcirent dans les esprits la notion chrétienne du monde. N'attribuer au modernisme que la portée d'une hérésie théologique serait une méprise qui prouverait que l'on a un esprit fermé à la signification de la vie moderne et que l'on est resté sans avoir saisi la genèse du modernisme et le processus de son développement. Le modernisme, comme la libre pensée, embrasse tout le domaine de la vie intellectuelle et vise à en commander toutes les manifestations.

On a cru qu'on trouverait un pont — ou qu'on réussirait à en jeter un — entre les conceptions catholiques et celles de l'incroyance. Cette chimère tourmenta de nombreux esprits. Le modernisme est né surtout d'elle. Le terrain théologique s'étant dérobé sous lui, il en a cherché un autre où il pût réaliser son rêve : ce terrain est celui de l'art et de la littérature. Il y a pris vigoureusement pied et c'est là, sans aucun doute, qu'il se montrera le plus hardiment conquérant. La raison en est simple : artistes et poètes ne connaissent point d'autre maître que leur cœur et leur imagination ; et puis, nous vivons dans un temps où l'on accorde à l'art et à la littérature un crédit, une autorité quasi dogmatiques.

La littérature moderne n'est plus chrétienne : voilà la vérité qui

éclate aux yeux. Un subjectivisme effréné se donne carrière dans la nouvelle et dans le roman ; il poursuit ardemment le rêve d'une religion nouvelle pour les hommes de demain. La poursuite de cet objectif va trop souvent de pair avec une animosité contre le christianisme dont la violence ne le cède point au fanatisme des encyclopédistes. En même temps, agnostiques, panthéistes et spirites se vouent avec ardeur à élaborer la loi religieuse-morale de la société future.

En présence de ces tendances, qui vont chercher du renfort jusque dans l'intellectualisme néo-japonais, le devoir se fait plus pressant que jamais pour nous de marquer le point de vue catholique dans la littérature contemporaine. Le phénomène dont nous sommes témoins nous montre combien est vraie la parole de Goethe proclamant que le problème religieux est le souci capital de l'humanité.

Comme ces palais qui offrent aux étrangers, au milieu de nos sites alpestres, leur confort raffiné, le monde civilisé multiplie autour de l'homme les commodités et les jouissances. Mais l'habitant des fastueux hôtels est pris, au milieu des fictions du luxe qui l'entoure, de la nostalgie du réel, et il court aux âpres beautés de la montagne. De même, l'homme intellectuel, rassasié d'une civilisation toute de surface et sans âme, cherche avidement la vérité qui donne un sens à la vie.

Nous sommes les fidèles de Celui qui a dit : « Je suis la vérité ! ». Dès lors, c'est un devoir pour nous de nous montrer les gardiens vigilants de la vérité, en littérature comme dans les autres domaines de l'esprit, et d'écarter résolument tout ce qui est une négation ou une altération de la vérité.

L'offensive ouverte de l'adversaire contre la foi catholique n'est pas ce que nous devons le plus redouter ; le danger est autrement grand de certaines tentatives insidieuses d'accréditer comme catholiques des tendances qui ne le sont point et de démonétiser les vérités traditionnelles. Or, c'est là le propre du modernisme.

. . . . . .

Depuis que Lessing a prêché dans *Nathan le Sage* cette tolérance qui veut que nous respections toutes les croyances, parce qu'aucune n'aurait en partage le vérité intégrale, il nous a été rarement donné d'entendre proclamer plus éloquemment cet évangile de la tolérance que ne l'a fait Mme de Handel-Mazzetti dans ce morceau de psychologie amoureusement fouillé qu'est la description de la « conversion » de Jessé. — Nous sommes loin des spécimens que nous ont laissés, dans ce domaine, la littérature du XVIIIe et celle du XIXe siècle. Point de phrases pathétiques, chez Mme de Handel-Mazzetti ; pas d'appel au sentiment ; cet écrivain est tout à fait à part des hommes et des femmes qui furent les ouailles du vicaire savoyard. (N. B. Scriptoriste filialem S. Pontifici oboedientiam recens professus est.)

***

L'auteur de *Jesse und Maria* a tracé un tableau saisissant des luttes religieuses de la réformation et des horreurs qui ont marqué cette guerre fratricide. Quand on est au bout de cette lecture poignante, le mot qui vient invinciblement aux lèvres, c'est : « Que de maux a faits la religion ! » Et comme la narratrice s'est soigneusement interdit toute échappée sur le surnaturel, le lecteur éprouve en fin de compte l'accablante sensation de l'inutilité de l'effort à la

poursuite de la vérité intégrale ; ainsi, la fleur de la tolérance croît dans le champ ensanglanté des luttes de religion.

En une nuit, l'auteur fait accomplir à son héros une évolution qui a été, dans l'histoire de l'esprit humain, l'œuvre de plusieurs siècles. Il a fallu le scepticisme de Bayle, le philosophisme anglais et français, l'œuvre de Kant et de ses successeurs, toute cette longue entreprise de négation dirigée contre le christianisme et contre le fait de la révélation, pour que la tolérance dont Jessé reçoit l'intuition, pût établir son règne.

Cette conception de la tolérance a un lien étroit avec la philosophie en vogue, qui dénie à la religion le privilège de la vérité révélée et lui accorde les mêmes titres de créance qu'à la poésie. Aux yeux de cette philosophie, la religion n'est rien autre qu'un mouvement de l'âme si profond qu'il prime tout autre sentiment. On est dans la vérité religieuse dès qu'on est sincère. Combien, dès lors, les hommes ont tort de se poursuivre d'une haine réciproque au nom de leurs expériences religieuses ! Voilà le *quod erat demonstrandum* du roman de *Jesse und Maria*, et voilà pour quel but a été mis en œuvre le thème historique fourni par l'antagonisme du catholicisme et du protestantisme au XVIIme siècle. Au point de vue de l'esprit du temps, que l'histoire des religions passionne, le sujet est choisi et traité d'une main de maître ; quant à la leçon qui se dégage du livre, c'est incontestablement celle de la *relativité de la connaissance religieuse*, qui est une des idées fondamentales du modernisme.

En effet, si l'on a lu l'encyclique *Pascendi*, on reconnaîtra aisément dans *Jesse und Maria* l'erreur fondamentale condamnée par le document pontifical ; il n'existe pas, que nous sachions, d'ouvrage littéraire dans lequel l'apologie du subjectivisme religieux soit présentée avec autant d'adresse et de séduction. Ceci explique l'accueil fervent qu'a fait à ce roman la classe nombreuse d'esprits qui n'éprouvent qu'aversion pour les luttes religieuses dont il retrace le tableau.

Ce qui est incompréhensible, par contre, c'est qu'on ait pu dire que *Jesse und Maria* est un « roman catholique », et même qu'il est un « hymne à la gloire de l'Eglise ». Pour s'expliquer ce jugement déconcertant, il faut se rappeler que l'époque où le roman parut fut précisément celle où l'on essaya de susciter, au sein du catholicisme, un courant religieux analogue à celui du réformisme protestant.

*
* *

J'ai pris la plume parce que j'ai vu qu'on voulait limiter le modernisme à la théologie ; on vient de voir qu'il a déjà pris possession d'un autre terrain de combat. Il ne faut pas se faire illusion : *bien loin que nous en soyons aux dernières passes d'armes avec le modernisme, la bataille ne fait que commencer.*

Une grosse part de l'effort se donnera sur le terrain littéraire. L'histoire nous apprend que ce ne sont pas les ouvrages pesants des dissertateurs de théologie et de philosophie qui ont fait la révolution des idées au XVIIIme siècle, mais bien la littérature légère des poètes et des conteurs. La cause de la vérité est assurée de triompher, pourvu que les bons esprits se tiennent avertis de ne pas prendre le change sur le faux aloi religieux de certaines œuvres qui se présentent à eux sous le couvert des idées catholiques.

Soyons donc vigilants. Les belles-lettres sont le miroir où se reflètent, jusque dans leurs nuances les plus indécises, les idées directrices d'une époque. Sachons veiller à ce que la littérature catholique soit le miroir pur et fidèle où nous puissions contempler toujours les traits inaltérés de l'immuable vérité.

. . . . . .

Que le modernisme, devenu plus audacieux en ces derniers temps, ait gagné du terrain, des faits aussi nombreux qu'affligeants en sont la preuve.

Tout homme non prévenu qui considère sans passion la situation présente, conviendra sans doute que nous nous trouvons aujourd'hui en face, ou plutôt au sein, d'un mouvement puissant : étrange amalgame de naturalisme et de scepticisme, de relativisme historique et de mysticisme, qui nous fait songer au rationalisme du XVIIIe siècle.

Il serait assurément aussi malaisé que pour le rationalisme du XVIIIe siècle, de signaler toutes les hérésies que le modernisme porte dans ses flancs. Une chose certaine, c'est que le modernisme *a pour but, comme son devancier, de saper par la base tous les principes de la vie et de la civilisation catholique.* Signaler aujourd'hui les dangers du modernisme, c'est s'exposer aux railleries dont on accabla les hommes qui avaient été assez courageux pour éveiller l'attention sur les périls du vieux rationalisme.

Ce n'est pas sans raison que des professeurs de théologie catholique hasardent aujourd'hui une apologie du rationalisme contre une appréciation historique qu'ils traitent d'injuste et de haineuse. Est-il rien de plus naturel que de défendre ses précurseurs dans la mêlée des doctrines !

Les vieux rationalistes couvraient aussi de soupçons injurieux quiconque combattait leur système : ils prodiguaient les faciles reproches de « sycophantes » et de « flaireurs d'hérésie » ; ils tournaient vers Rome des regards défiants, et se garaient contre Rome à poings fermés.

---

446. — SS. D. N. PII PP. X

ACTA 1 NOV. 1909, 15 AUG. ET 8 SEPT. 1910

De Ordine Fratrum Minorum et tribus eius familiis

A. *Litterae 1 nov. 1909 ad tres Ministros Generales : Dionysium Schuler, Dominicum Reuter et Pacificum a Seiano, de trium familiarum concordia* [1]. (A. A. S. 15 sept. 1910, 2, 705.)

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Memoratis prioribus litteris, quae confirmantur,

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Paucis ante diebus, ex occasione saecularium sollemnium ob memoriam Franciscalis Ordinis instituti, Apostolicas Litteras « *Septimo iam pleno saeculo* [2] » edidimus in eum quidem finem, ut

[1] Improbantur dicta in quodam *Memoriali*. Eius auctores humiliter se subiecerunt.

[2] Litteras istas dedimus in PERIODICIS, n. **337**, t. 5, p. 27 ss.

fraternam concordiam, quae inter tres Ordinis vestri familias intercedere debet, apte confirmaremus. Nunc, eiusdem concordiae studio adducti, ad ea revertimur quae per ipsas illas Litteras vel declaravimus vel decrevimus, quo nempe mens et voluntas Apostolicae Sedis in hoc argumento illustretur magis et pateat. Quas enim contentionum conviciorumque causas aut humanae cupiditates sub specie recti aut opinionum errores afferre consueverunt, eas omnes resecari de medioque tolli iam tandem oportet. Igitur, habentes rata quaecumque a Nobis in iisdem, quas memoravimus, Apostolicis Litteris definita, constituta, concessa sunt, haec praeterea documenta praeceptaque Nostra inviolate ab omnibus in perpetuum custodiri volumus.

his novis haec in eundem finem documenta praecepta dantur.

I. Etsi beatus Franciscus simplici *Fratrum Minorum* nomine sodales Ordinis sui nominavit, id tamen minime prohibuit quominus, Ordine Franciscali in duas primo, in tres deinde Familias canonice diviso, hae Familiae peculiarem appellationem, nomini Fratrum Minorum additam, invenirent, qua nimirum inter se facile distinguerentur: quod cum mente Seraphici Patriarchae pugnare, nemo sine temeritate dixerit.

Nomini Fratrum Minorum *facta additio improbanda non est.*

II. Minores Conventuales profecto, ut corpus distinctum, ante annum MDXVII non exstiterunt: sed pariter Minores a Regulari Observantia, ut corpus distinctum, ipso dumtaxat anno ac die, quo Conventuales, legitime esse coeperunt. Ante editam a Leone X Constitutionem « *Ite et vos,* » quae quidem prodiit die XXIX maii anno MDXVII, non ex Conventualibus tantum, nec ex solis Observantibus constabat Ordo Minorum; sed ex utrisque. Ipse Leo X in ea Constitutione Fratres « Regulam ipsam B. Francisci pure et simpliciter observantes » inter se copulans, « ex quibus omnibus supradictis, inquit, *unum corpus insimul facientes*, eosdem ad invicem perpetuo unimus ». Quod factum attingens, Leo XIII affirmat: « Aliorum ab aliis secessione facta, hinc Observantes orti, illinc Conventuales... Ex prioribus iis Fratrum Capulatorum Familia coalita, divisio tripartita consecuta est ».

Minores Observantes qua tales, simul cum conventualibus esse coeperunt.

III. Nec vero fas est a Conventualibus nomen propriamque rationem abiudicare Fratrum Minorum, quasi Regulam Sancti Francisci in maximis quibusdam rebus non observent. Iniurium hoc est iis religiosis viris qui, licet in quibusdam Regulae Seraphicae capitibus, ex venia Sedis Apostolicae, mitiorem sequantur disciplinam, praecepta tamen consiliaque in quibus ipsius Regulae summa consistit, numquam non observarunt. Quod si legitimus usus privilegii aut indulti, religiosam aliqua ex parte mitigantis Regulam, degenerem sancti cuiuspiam Conditoris prolem argueret, iam haud facile religiosum Ordinem reperires cuius sodales sive alumni, se iure semper Auctoris sui filios praedicare possent; quandoquidem saepe fit, ut indulgentia Sedis Apostolicae indigeant, quae Regulae rigorem temperet. Hoc plurima Apostolicae Sedis acta, tum vetera tum recentia, confirmant; ex quibus apparet huiusmodi indulta Observantibus quoque et Capuccinis ipsis haud raro tributa esse, atque illa non modo sodalibus singulis aut coenobiis, sed etiam certis provinciis et ad tempus universae eorum Familiae, idque in causa paupertatis atque in tractatione pecuniarum: nec tamen quisquam propterea suspicatus est ipsos vere Fratres Minores, quales fuissent, esse desiisse.

Conventuales vere sunt Fratres Minores.

IV. Quod autem Minores Capuccini e Minoribus Regularis Ob-

Nec inferio-

ris condicionis sunt Fratres Capuccini.

servantiae orti sunt, non idcirco inferioris condicionis sunt habendi, multoque minus Fratrum Minorum pura simplicique appellatione privandi. Ipsi enim non alii sunt quam Franciscani sodales qui, cum Regulae Seraphicae observantiam in sinu Familiae Observantium communiter usque a principio inivissent, eam ipsam deinde continuare cum severioris disciplinae studio instituerunt, coalescentes seorsum in corpus Minoriticum, canonice constitutum et Apostolicae Sedis auctoritate recognitum, sub Capuccinorum cognomine.

Temerarie negatur S. Franciscus esse trium familiarum genuinus parens.

V. Plena temeritatis est ea sententia, illud recte argumentando colligi, beatum Franciscum unius tantum Familiae Minoriticae, nempe Fratrum a Regulari Observantia, legitimum seu authenticum esse parentem; nec minus temerarie contenditur, si tres Familiae proprium unaquaeque cognomen adhibere deberent, hoc secuturum, nullam ex tribus Familiis Franciscanis quae hodie exstent, a Francisco profectam esse, propterea que Ordinem Franciscanum veri nominis iam interiisse: quae quidem eo spectant ut inferatur, nec beatum Franciscum Conventualium et Capuccinorum esse legitimum seu authenticum Patrem, et harum Familiarum neutram verum esse Franciscalium Ordinem.

Conventuales et Cappuccini eodem atque Observantes iure sunt primi Ordinis.

VI. Iniuriosum est in Conventuales et Capuccinos, negare ipsos in Primo Ordine numerari eodem prorsus pacto ac Sodales Regularis Observantiae, propterea quod priores illi pontificiis utantur indultis, alteri autem non admodum obsequantur Francisco, qui alumnos instituti sui omnes *uni* Ministro Generali parere iusserit.

Nec sola Observantium familia a S. Francisco originem repetit,

VII. Persuadere autem velle, Familiam Fratrum Minorum Regularis Observantiae esse unicam cuius perpetuitas vitae legitimae inde a beato Francisco ad hanc diem et historiae monumentis et iuris argumentis ostendi possit, contumeliosum est in duas reliquas Franciscalium Familias, ipsorumque iuri, ab Apostolica Sede sancito, contrarium; quo iure usque ad Seraphicum Conditorem sine ulla intermissione revehuntur.

vel succedit in pristinum Minorum Ordinem.

VIII. Item falsa et duabus aliis Minorum Familiis iniuriosa sunt illa: vel successionem non interruptam pristini Minorum Ordinis tantummodo in Familia Fratrum Regularis Observantiae atque in serie Ministrorum eius Generalium inveniri, vel successorem Sancti Francisci legitimum, ob non interruptam decessorum seriem, nullum esse nisi Ministrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum, seu Regularis Observantiae.

Similia tenenda sunt de quolibet Ordine in plures familias legitime diviso.

IX. Quod si apud quemvis religiosorum Ordinem in duas pluresve Familias aut Congregationes canonice divisum, quae, cum unam eandemque Regulam servent, Constitutiones tamen sequuntur monastica austeritate dispares, isti quos hic improbamus spiritus valerent, profecto passim increbrescerent exempla fratrum, pertinaci studio inter se de primatu Congregationum, de dignitate antistitum, de hereditate ac successione Auctoris sui contendentium, magna cum offensione christianae plebis, maiore cum iactura christianae humilitatis, caritatis fraternae, religiosaeque disciplinae. — Igitur, de quolibet religiosorum Ordine, canonice diviso in plures Familias, quae unam eandemque Regulam secundum suas quaeque Constitutiones observent, haec edicimus, in legitima Ordinis pristini seu indivisi stirpe omnes numerandos esse sodales, quotquot sunt e variis Familiis in quas is Ordo divisus rite fuit; eorumque summos moderatores habendos omnes esse pari iure

veros Patris legiferi successores, utpote successione numquam interrupta ab eo profectos; atque ipsos, etiam cum eorum unus ab alio deberet suae creationis ratihabitionem petere, sui iuris seu *autonomos* inter se fuisse, plenamque auctoritatem et iurisdictionem in suos quemque subditos exercuisse.

Tres Familiae Franciscanae recta non interrupta linea a S. Francisco proficiscuntur.

X. Licet tres Minorum Familiae, quemadmodum hodie sunt canonice constitutae, antiquiores non sint saeculo XVI, omnes tamen eodem pacto ac pari iure « habent originem seu principium realiter et cum « effectu computandum a tempore primaevae et « originalis institutionis Regulae Seraphicae sine aliqua interrup- « tione seu divisione, per veram lineam rectam numquam inter- « ruptam », uti sollemniter a decessoribus Nostris, Leone X, Clemente VIII, Paulo V, Urbano VIII, Clemente XII et a Nobis ipsis in causa Observantium, Reformatorum et Capuccinorum declaratum est; quae declarationes etiam Conventualibus pleno iure suffragentur.

Refellitur comparatio trium Generalium cum tribus SS. Pontificibus.

XI. Itaque nullo pacto tolerandum est quod asseritur: « Duo vel « tres Ministros Generales Minorum non posse eodem tempore « esse et haberi veros legitimosque successores Sancti Francisci, « nisi manifesta ipsius praescriptione contempta, quemadmodum « non licet simul esse duos vel tres Pontifices Maximos, eosque « haberi Vicarios Iesu Christi et successores Sancti Petri, cum « Christus ipse aperte iusserit unum Ecclesiae suae praeesse Pasto- « rem ». Hoc asserendo, primum magna fit ecclesiastici iuris cum divino confusio; deinde perniciosus error admittitur, exaequando successioni Pontificum in Cathedra beati Petri successionem antistitum in supremo regimine Ordinum Religiosorum; cum quidem huius successionis vis omnis ab auctoritate manet Apostolicae Sedis, cuius concessu Ordines Religiosi non solum habent quicquid iuris habent, sed hoc omnino ut sint, successio autem Pontificum Romanorum Iesu Christi ordinatione nitatur.

Confirmatur doctrina decreto S. C. Concilii de Tertio Ordine Paenitentiae.

XII. Tribus Familiis Minoriticis itemque singulis ipsarum alumnis aptanda perpetuo sunt ea verba quibus S. Congr. Concilii, cum causa ageretur de Tertio Ordine, usa est, quaeque deinceps Benedictus XIV in Litteris Apostolicis « *Laudabile* » die II augusti MDCCXLV adhibuit: « Facultatem hanc potestatemque Tertium « Ordinem Paenitentiae instituendi iis omnibus tributam fuisse « qui divi Francisci, horum omnium Parentis, legitimi Filii sunt et « veri Successores, quoque demum nomine nuncupentur, sive « Minores Observantes, sive Excalceati, sive Recollecti, sive alio « atque alio, eousque porrectum fuit, ut Minoribus etiam Capuc- « cinis facultas illa tributa fuerit ». Idque recte: siquidem omnes pari iure Franciscales sunt. Quod si Apostolica Sedes singulos ipsos fratres veros Sancti Francisci successores agnoscit, dolendum sane, tam multum diuque de his rebus disceptatum esse eo consilio ut una Familia Minoritica supra ceteras attolleretur.

Recta interpretatio privilegiorum Fratrum Regularis Observantiae.

XIII. Ea verba Constitutionis « *Felicitate quadam* » de Fratribus Regularis Observantiae: « Qui concessu Sedis Apostolicae antece- « dunt loco et honore ceteros, quique *Fratrum Minorum* merum « nomen a Leone X acceptum retinent », itemque illa « Ministrum « Generalem totius Ordinis Minorum, uti ius est, vocant » non ita interpretanda sunt, tamquam primatum illius Familiae Minoriticae in reliquas duas significent, aut quasi indicent ipsam solam in possessione esse non interruptae Sancti Francisci successionis,

verum ut haec denotent : in numerandis legitime Familiis Minoriticis primo loco Familiam Regularis Observantiae numerari debere : Ministrum eius Generalem duobus aliis Ministris Generalibus Minoriticis in coetibus sacrisque publicis praecedere ; eundem honoris causa rite posse et appellatione uti Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, et sigillum adhibere quod hunc ipsum titulum impressum habeat.

Qua mente concessum est ut Observantes dicerentur simpliciter « Fratres Minores ».

XIV. Nomen merum Fratrum Minorum Fratribus Regularis Observantiae certe Leo X dedit, idque, ut datum a Decessore fuerat, Leo XIII confirmavit. Sed utriusque Pontificis non ea mens fuit ut huiusmodi appellatio nullum umquam appositum admitteret, etiam si ad vitandam ambiguitatem videretur necessarium ; eoque minus ut ipsa in instrumentum verteretur inanis gloriae ad sodales ceterarum Familiarum deprimendos. Etenim Leo X Fratribus de quibus loquimur, facultatem quidem fecit, non necessitatem imposuit utendi eo mero nomine : nam, cum eos sollemniter nuncupasset *Fratres Minores Sancti Francisci Regularis Observantiae*, nihilominus licuturum iis dixit, *vel simul vel disiunctive*, usurpare hunc titulum, id est expresso tacitove cognomine *Regularis Observantiae*. Vix autem attinet dicere, hoc titulo non solum significari disciplinae laudem eorum sodalium propriam, sed etiam peculiarem notam quae ipsos a ceteris Fratribus Minoribus distingueret. — Id vero, nec aliud quicquam, voluisse Leonem X ex eo apparet, quod ipse paucis diebus post editam Constitutionem « *Ite et vos*, » in Litteris Apostolicis « *Cum in honorem* » die VI iunii MDXVII, ac deinceps in aliis plurimis, Fratres Minores quos coniunxerat, eos *Fratres Minores* appellat *Regularis Observantiae*, vel *de Observantia*, vel *Ordinis beati Francisci Regularis Observantiae*. Praeterea, Fratres commemorans duplicis Familiae Minoriticae ab ipso constitutae, sic eos vocat, *Fratres Observantes et Conventuales*. — Atque hoc loco animadvertendum est, non iure ex Constitutione « *Licet alias* » diei VI decemb. MDXVII eiusdem Leonis quicquam colligi quod Conventualibus et Capuccinis obsit. Ibi enim nihil aliud agit Pontifex, quam Fratres Regularis Observantiae defendit contra nonnullos qui eos esse legitimos Francisci filios negabant. Cum igitur ait : « Quod... « veri et indubitati Fratres Ordinis beati Francisci et eius Regulae « observatores semper fuerint, ac, divina favente gratia, sint futuri « sine aliqua interruptione..... », de iis profecto illud affirmat quod ab adversariis negabatur *veros* esse Fratres Franciscales, nequaquam excludit alios. Adde, iisdem fere verbis deinceps Apostolicam Sedem in causa Minorum Strictioris Observantiae et Capuccinorum usam esse ; quae verba Nos in Litteris Apostolicis « *Septimo iam* » attulimus. — Ceterum qui Leonem X subsecuti sunt Pontifices, similiter eosdem Fratres Minores ab ipso coniunctos adiecto *Regularis Observantiae* cognomine designare consueverunt. Ita Hadrianus VI, Clemens VII, Paulus III, Iulius III, Paulus IV, Pius IV, Pius V, Gregorius XIII, Xystus V, Clemens VIII. Neque aliter reliqui factitarunt decessores Nostri usque ad promulgatam Constitutionem « *Felicitate quadam* », qui fere, cum de his Minoritis loquerentur, appellationem Regularis Observantiae usurparunt. Quin etiam huiusmodi appellatio apud ipsos Fratres in amore semper et in usu fuit : qua de re iniustam hanc querelam habet recens quoddam *Manuale Historiae Fratrum Minorum* (ubi alia non pauca insunt minime probanda) : « Dolendum est

Saepe etiam a Regulari Observantia bene sunt appellati.

« quod Ordo titulum Regularis Observantiae ita adamavit, ut eum « retineret ad annum usque 1897 ».

Honestas tituli « Fratrum Minorum ab Unione Leoniana » vindicatur.

XV. Hic igitur titulus sexcentis Apostolicis Litteris, maxime ab anno MDXVII ad annum MDCCCXCVII usitatus, honestissimus fuit semper atque erit Familiae Minoriticae de qua loquimur. Sed non minus honestus est ille quem Nos eidem attribuimus *Fratrum Minorum ab Unione Leoniana:* quippe recordationem continet duplicis facti, utique memoria dignissimi, unionis scilicet semel a Leone X per Constitutionem « *Ite et vos* », iterum a Leone XIII per Constitutionem « *Felicitate quadam* » peractae. Quod si tamen quis contenderet, oportere semper nomen Fratrum Minorum adhiberi, omni appositione reiecta, ille sane suspicionem moveret, non tam se suae Familiae vindicare titulum, qui numquam tributus est ut proprius et peculiaris, quam velle abuti hoc ipso titulo ad ceteras deprimendas Familias, suam extollendam.

Ipse Minister Generalis familiae Observantium appositionem ad nomen suum non aegre ferre debet.

XVI. Summum Moderatorem Fratrum ab Unione Leoniana saepissime Romani Pontifices non *Ministrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum*, sed *Ministrum Generalem Minorum de Observantia*, vel *Regularis Observantiae*, vel *Ordinis beati Francisci Regularis Observantiae*, vel *Ordinis Sancti Francisci de Observantia* appellare soliti sunt. Ita Leo X post Unionem peractam, eiusque proxime successores in plurimis Litteris; ita ceteri decessores Nostri in non paucis usque ad Leonem XIII factitarunt, quemadmodum Apostolicae Sedis acta testantur. Quare is quidem titulum Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum et ipse adhibere suo arbitratu poterit, et exigere a suis subditis ut adhibeant; verumtamen, si sapit, indigne non feret, quod ab iis praesertim qui suae ditionis non sunt, ambiguitatis praecipue vitandae causa, cum appositione nominetur ut Unionis Leonianae, quae nota est historica, aut Regularis Observantiae, quod est insigne Familiae.

Quae nomini « Abunione Leoniana » opponebantur refelluntur.

XVII. Liquet ex his quanta iniuria improbetur titulus Unionis Leonianae:

a) vel quod *eum Fratrum Minorum Ordinem subruat qui usque ab aetate Francisci, Conditoris sui, legitima vita pollet:* — quasi duae aliae Familiae Minorum non item legitime viverent, aut ab ipso Francisco originem non ducerent;

b) vel quod *eosdem Fratres Minores abhinc annis duodecim ipsis, cum Constitutio « Felicitate quadam » prodiit, legitime esse coepisse indicet:* — id enimvero Nostris Litteris « *Septimo iam* » manifeste repugnat;

c) vel quod *menti Leonis XIII et verbis Constitutionis eius « Felicitate quadam » adversetur:* — tamquam is Pontifex merum nomen Fratrum Minorum aliter accepisset ac Leo X, quem in hac re secutus est, accipiendum esse tam multis locis ostenderat. Quod si decessor Noster sapientissimus, Leo XIII, has verborum suorum non rectas interpretationes praesensisset, verisimile est, ipsum integro *Fratrum Minorum Regularis Observantiae* titulo usurum fuisse, ut Leo ipse et successores eius usque ad annum MDCCCXCVII fecerunt;

d) vel quod *continuationem intercipiat sanctarum laudum quibus Ordo Fratrum Minorum hoc septem saeculorum spatio ornatus est:* — quibus verbis perperam significari vult, Sanctos Minoritas, qui ante Unionem a Leone X factam floruerunt, non

tribus Familiis, ut commune patrimonium gloriae, ascribendos esse, verum uni Minorum ab Observantia Familiae. Quod si Conventuales et Capuccini beatos caelites, qui e suis Familiis, postquam seorsum ab aliis rite constitutae sunt, prodierunt, de suo cognomine nuncupant, nullius ius violant; integrum est enim illis, itemque Fratribus Regularis Observantiae, id facere. Recte autem in Sanctorum Litaniis quibus Franciscales ex Apostolico privilegio utuntur, omnes Sancti e primo Minoritarum Ordine, tum qui ante triplicem Familiarum divisionem, tum qui post ipsam fuerunt, nullo Familiae cognomine invocantur. Atque optabile est, ut in Kalendariis trium Familiarum Sancti Beatique Franciscales solo *Ordinis nostri* apposito notentur; quemadmodum, fraternae caritatis fovendae gratia, apud alios Religiosorum Ordines, in plures Familias Congregationesve divisos, fieri solet.

XVIII. Praeterea quid sit causae, cur *titulus historicus Unionis Leonianae nequeat Fratribus Minoribus* quibus inditus est, *placere*, non videmus; cum utriusque Leonis, X et XIII, magna in Familiam promerita indicet. — Item, quare *iste titulus Unionis Leonianae unionem ipsam intimam in discrimine adducat quam Fratres non pauci ideo maxime amplexi sunt, ut simplex Fratrum Minorum nomen obtinerent*, non apparet; nisi quod eos fefellit opinio, tribuentes huic nomini vim cuiusdam primatus supra ceteros Franciscales, quem quidem Apostolica Sedes numquam concessit. — Affirmare autem hoc titulo Unionis Leonianae *magnam ignominiae notam Ordini Minorum inustam esse*, id enimvero iniuriosum est Apostolicae Sedi, et longe alienum a Seraphico spiritu. Titulum in honorem duorum Pontificum et in memoriam duplicis praeclarissimi facti datum, eumque per Litteras amoris benevolentiaeque plenas erga universam Minorum gentem, quibus Litteris honorifica quaedam privilegia Minoriticae a Regulari Observantia Familiae rata sunt, huiusmodi, inquimus, titulum nefas est vertere in ignominiam ipsius Familiae, cum eius potius cedat in gloriam. Sed enim iis tantum videri potest minus honestus quibus obstat, quominus se sodalibus per iniuriam superiores iactent.

Ipsis tamen, si malint, Pontifex nomen restituet Regularis Observantiae.

XIX. Nihilominus tamen, si Fratres Minores Unionis Leonianae malunt, quotiens praesertim merum *Fratrum Minorum* nomen videbitur ambiguum, adhibeatur titulus, antea usque ad Constitutionem editam « *Felicitate quadam* » usitatus, *Regularis Observantiae*, id Nos quidem iis libenter concessuri sumus.

Silentium de istis quaestionibus imponitur.

XX. Postremo universis et singulis Fratribus Minoribus trium Familiarum de quaestionibus huiusmodi perpetuum silentium imponimus; volumusque ut ex omnibus iis, utpote *filiis gemellis* unius Patris sanctissimi, *cor unum* fiat et *anima una*.

Benedictio Apostolica.

Atque haec omnia edicimus, iubemus, contrariis quibusvis, etiam specialissima mentione dignis, minime obstantibus. — Auspicem vero divinorum munerum, ac testem praecipuae benevolentiae Nostrae, vobis, dilecti filii, et universo Ordini Seraphico Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Dies (1 nov. 1909).

Datum Romae apud S. Petrum, die 1 novembris, in festo Omnium Sanctorum anno MCMIX, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X.

B. *Breve 15 aug. 1910, De ordine praecedentiae in tribus Fratrum Minorum familiis.* (A. A. S. 15 sept. 1910, 2, 713.)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Benevolentia in familias franciscanas et studio firmandae pacis movetur SS. D. ad has litteras conscribendas.

Seraphici Patriarchae universum Ordinem cum Romani Pontifices Praedecessores Nostri singulari benevolentia semper fuerint prosecuti, eiusque familias specialibus gratiis et privilegiis in bonum fidelium auxerint; Nos, qui pari amore impellimur erga praefatum Ordinem de Ecclesia Dei praeclare meritum, perfectiori religiosae observantiae ex parte singulorum religiosorum consulere summopere exoptantes, has litteras motu proprio et ex certa scientia conscribere opportunum duximus ad maiorem pacis et verae concordiae tutelam inter eosdem efficacius firmandam.

Quantopere ipsis commendetur humilitas et mansuetudo.

Humilitatis et mansuetudinis Magister inclitus Beatissimus Franciscus, dilectos filios suos hortatur in Regula cap. X: « ut caveant ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, a detractione et murmuratione ». De qua re ait Seraphicus Doctor, in sermone super Regulam Fratrum Minorum: « *Ab omni superbia*, quae est mater, *vana gloria*, *invidia*, quae sunt proles superbiae secundum Gregorium. Et signanter dicit: *Ab omni superbia*, quia superbia est respectu superioris, inferioris et paris. Unde super illud Iob: Parvulum occidit invidia, dicit Gregorius: Superbus invidet *superioribus*, quia non aequatur iis; *paribus*, quia aequantur ei; *inferioribus*, ne aequentur ei. — Tangit vitium principale quod ad proximum, cum dicit: *Detractione et murmuratione.* Ideo dicitur Ecclesiastae cap. X, v. 11: Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. Morsus iste multum virus infundit Ordini, quia turbat multos, pacem habentes; et ideo susurrones et detractores Deo sunt odibiles. »

Unde in eadem Reg. cap. III, praescribit Institutor sanctissimus, ut fratres sui « non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles ». Quae verba ita in citato sermone exponit Doctor Seraphicus: « *Mites*, quod ad animum; *pacifici*, quod ad verbum; *modesti*, quod ad factum; *mansueti*, quod ad proximum; *humiles*, quod ad Deum ». Et in sermone V de S. Francisco, praefatus Doctor Seraphicum Patrem filios ad mansuetudinem praesertim et humilitatem inducentem introducit, et ait: « Non sit igitur oculus cuiusquam nequam, quia Deus bonus est; sed omnes doctrinam Christi, immo Francisci audiant et addiscant tamquam boni doctoris, qui docuit quod didicit, sine deceptione, sine fictione, sine oblivione, sine dubitatione. Dicat igitur Beatus Franciscus: Discite, alios excitando; dicat nihilominus alios informando: quia mitis sum et humilis corde. Addiscite, hoc est, ad meum exemplum sitis mites et humiles. Mitis est homo per affectum fraternitatis; humilis, per affectum inferioritatis, sive minoritatis; unde esse mitem, hoc est esse omnium fratrem; esse humilem, hoc est esse omnibus minorem: esse ergo mitem et humilem corde, hoc est esse vere Fratrem Minorem; discite igitur a me esse mites et humiles, hoc est esse Fratres Minores. »

In commentariis autem in Evangelium S. Lucae, cap. IX ait: « Quanto sumus humiliores, tanto sumus a tumore superbiae inaniores; et quanto inaniores a tumore superbiae, tanto pleniores dilectione; et quanto hac pleniores, tanto maiores... ideo minor est maior, quia, quanto quis humilior, tanto Christo similior, et per hoc tanto ei proximior; Christus autem est maximus; sed quanto aliquis maximo propinquior, tanto maior: et hoc est quod ipse innuit infra vigesimo secundo... Ergo inter viros spirituales non debet esse contentio de primo loco, sed de postremo, quia ille honorabilior est ». Quapropter in sermone IV de S. Francisco ita concludit: « Magnum pondus impositum est super nos, dico vobis, quod de hoc Minores vocamur, quia debemus nos reputare omnibus inferiores et viliores. Displicet vobis aliquando de nobis, si videtis aliquando aliquem ex nobis superbum; certo multo magis displicet Deo ».

Ortae nihilominus contentiones ut eradicentur,

Optandum igitur esset ut inter Francisci filios numquam de primo loco esset contentio, sed unice de postremo: sed inimicus homo, sub specie boni, sub inani praetextu zeli decoris propriae sodalitatis, controversias plurimas inter tres Familias Minoriticas humillimi et mitissimi Patris suscitavit, quae innumeras crearunt lites, per S. Sedem diremptas, in quibus unaquaeque Familia eas victorias quas anteactis litibus reportaverat contra aliam partem litigantem, opportune et importune allegare consuevit. Nec hodiernis temporibus cessarunt contentiones huiusmodi; nam a quatuor annis denuo disputare coeperunt inter se duae primae Familiae Minoriticae de iure praecedentiae in processionibus aliisque sacris functionibus.

confirmatis superioribus suis Litteris, haec omnino servari iubet.

Quapropter, ut a triplici Familia Fratrum Minorum contentiones de praecedentia penitus eliminentur, et vix natae excludantur, de plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae (quicquid olim fuerit de iure vel de facto praecedentiae inter praefatas Familias Minoriticas), confirmatis prius omnibus et singulis quae in Nostris Litteris Apostolicis « Septimo iam pleno saeculo », diei 4 octobris 1909, et « Paucis ante diebus », editis sub die 1 novembris eiusdem anni 1909 continentur, praesertim de praecedentia trium Ministrorum Generalium inter se, firma semper lege, quod haberi debeant et sint dignitate pares et quod praedecessorum suorum perpetuam seriem ab ipso Seraphico Patre omnes iure ducant; de praecedentia in singulis Conventibus, quae sequuntur edicimus, declaramus, ordinamus, et omnino servari iubemus, videlicet:

Praecedit antiquior in loco familia vel quae prioritatem possidet.

I. In omnibus et singulis tribus Minoritici Ordinis Familiis haec norma praecedentiae observanda erit, scilicet: Illa Familia Minoritica quae in civitate vel loco est antiquior, aliam vel alias Familias Minoriticas praecedat, nisi certo constet, Familiam Minoriticam in civitate vel loco recentiorem in possessione praecedentiae positam esse. Salvis tamen limitationibus infra praescriptis.

Regula possessionis ad novissimum decennium reducitur.

II. Quia tamen probatio possessionis, seu quasi possessionis saepissime fit controversiarum occasio, probatio autem antiquitatis in civitate vel loco planior ac facilior evadere solet, regulam possessionis, seu quasi possessionis quod ad Familias Minoriticas *ad novissimum decennium* reducendam decernimus, hoc modo: Familia Minoritica, quae saltem, infra spatium temporis, a die 1 ianuarii 1900 ad diem 15 augusti 1910 inclusive computandum, in aliqua civitate vel loco realem et actualem possessionem praece-

dentiae super aliam vel alias Familias Minoriticas facto habeat, aliam vel alias perpetuo praecedat, etiamsi possessio illa, dummodo realis sit et actualis, aliquo vitio infecta inveniatur ; quo in casu, pro sanata et convalidata habenda erit, prouti ex nunc sanare et convalidare intendimus. — Quod si, hoc durante decennio, nulla ex tribus Familiis Minoriticis occasionem habuerit ponendi actus actualis praecedentiae, quia nullae processiones in civitate vel loco factae sint, vel ad nullam ex iisdem accesserint Familiae illae Minoriticae, tunc ad solam prioritatem fundationis conventus attendendum est. — Quod ad futuras autem fundationes conventuum Minoritarum, si lapsu temporis aliqua controversia inter ipsas Familias Minoriticas circa praecedentiam suscitetur in aliqua civitate vel loco, semper pariter ad solam prioritatem conventus, numquam vero ad possessionem attendatur.

III. Quia pariter vel ipsum principium antiquitatis unius conventus prae alio vel aliis, in tanta, a saeculo et ultra, rerum perturbatione, iniqua praesertim conventuum suppressione et destructione, difficultatibus haud levibus aliquando obnoxium exsistit, praesertim, si post longam annorum seriem, communitas in aliqua civitate vel loco primaeva fundatione antiquior, instauretur, et praecedentiam antiquam praetendat ; Nos, ut etiam ex hoc capite, futuris controversiis aditum occludamus, decernimus, ut a Familiis Minoriticis inter se, principium antiquitatis conventus invocari amplius nequeat in futuris reassumptionibus veterum conventuum vel aedificationibus novorum, loco veterum, a Familia ob primaevam fundationem conventus antiquiori peractis, si haec Familia per quinquaginta integros annos ab illa civitate vel loco quacumque de causa absens de facto fuerit. Ideoque, si communitas per quinquaginta saltem annos integros absens, ad antiquum conventum redeat, vel novum exstruat, antiquitas eius computanda erit a reditu tantum, seu a canonicae Familiae restauratione. — Quod ad veteres autem conventus, ante datam huius motus proprii iam reassumptos vel de novo constructos a Familia Minoritica quae antiquiorem in civitate vel loco habuerat conventum, serventur praescripta in articulis I et II.

Absentia 50 annorum beneficium prioris conventus tollit.

IV. Salvis iis quae de possessione dicta sunt, praecedentia quod ad singulos conventus respiciat tantum civitatem cum suo suburbio, vel locum cum suo suburbio, ideoque solum districtum, qui alibi communalis, alibi municipalis dici solet. Unde extra districtum proprium, praecedant qui in illo alio districtu conventum possident ; quod si nulla ex Familiis Minoriticis in illo loco non proprio seu a proprio districtu communali seu municipali alieno, conventum habeat, praecedentia hunc ordinem servet : praecedant primo loco Fratres Minores ab Unione Leoniana ; secundo loco Fratres Minores Conventuales ; tertio loco Fratres Minores Capuccini.

Localis extensio iuris praecedentiae.

Quid ubi nullus localis praecedentiae titulus ?

V. Tandem, si ob certum defectum documentorum authenticorum vel possessionis, articulo II descriptae, dubium de antiquitate vel de ipsa possessione persistat, concedimus, ut praecedentia detur Minoribus ab Unione Leoniana supra Minores Conventuales et Minores Capuccinos, et Conventualibus supra Capuccinos.

Quid si dubium ius sit.

VI. Quod ad conventus triplicis Familiae Minoriticae Romae et Assisii, nihil prorsus omnino immutetur.

Exceptio pro conventibus Urbis et Assisii.

VII. Si autem in posterum (quod Deus avertat) nova aliqua contentio de praecedentia inter tres Familias Minoriticas sit exo-

Deinceps contentiones

ab Ordinario, rarissime tantum a Romana Congregatione definiantur. Et quomodo.

ritura, rem auctoritate et nomine S. Sedis definiat Ordinarius loci, iuxta praescripta harum Litterarum Apostolicarum ; ad quem finem sola documenta authentica admittat, et omni iudiciali sollemnitate praetermissa, per summariam, extraiudicialem et administrativam provisionem, gratis omnino brevique decreto, controversiae finem imponat. Sacra autem Congregatio negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, omnes recursus circa praecedentiam inter tres Familias Minoriticas ad Ordinarium loci remittat cum monito, ut, absque mora, controversiam dirimat : quod si in casu aliquo extraordinario ipsa Sacra Congregatio gravissimis de causis iudicium sibi reservandum duxerit, eandem normam teneat quae Ordinariis praescribitur ; ideoque disquisitiones, scripturas et omnia, quae uti authentica documenta haberi non possunt, omnino reiciat, et rem citissime definiat : quotiens autem agatur de communitate Minoritica vel temere litigante, vel sub praetextu praecedentiae, dissensiones inter Minoriticas Familias eiusdem civitatis vel loci promovente, sententiam contra eandem pronuntiet, nec amplius causam admittat.

Clausulae.

Praesentes vero Litteras et quaecumque in ipsis habentur, nullo umquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari, vel impugnari posse ; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus ; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari, declarantes ; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali et specialissima mentione dignis ; quibus omnibus ex plenitudine potestatis, certa scientia et motu proprio quod ad praemissa expresse derogamus et derogatum esse declaramus.

Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dies (15 aug. 1910).

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis, XV augusti MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

C. *Motu proprio 8 sept. 1910, de litaniis Lauretanis apud Franciscales familias.* (A. A. S. 15 sept. 1910, 2, 718.)

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Varia quae statuit vult S. Pontifex sub

Ob singularem benevolentiae et caritatis sensum quo universam Fratrum Minorum Familiam prosequimur, arrepta occasione

septimi iam expleti saeculi a tam praeclari Ordinis initiis, plurima in eiusdem laudem, decorem et gloriam dicere opportunum reputavimus. Ad incrementum autem pietatis, religiosae observantiae et fraternae concordiae inter omnes et singulos Seraphici Patris alumnos, et ad maius tutamen uniuscuiusque ex tribus Minoriticis Familiis, in plena aequalitate iurium et dignitatis, plura declaravimus, ediximus et perpetuo servanda constituimus. Quae omnia, hodie, sub speciali protectione beatae Mariae semper Virginis, collocanda, novoque dilectionis Nostrae argumento confirmanda censuimus.

auspiciis ponere B. M. V.

Animo enim recolentes Sancti Francisci *incredibilem in Beatissimam Matrem Dei pietatem* [1], in memoriam filiorum tanti Patris, haec Thomae a Celano verba revocare exoptamus: « Peculiares illi persolvebat laudes, fundebat preces, offerebat affectus, quot et qualiter humana promere lingua non posset. Sed quod laetificat plurimum, Ordinis Advocatam ipsam constituit, suisque alis, quos relicturus erat filios, usque in finem fovendos et protegendos submisit » [2]. De qua re Seraphicus Doctor ait: « Matrem Domini Iesu Christi indicibili complectebatur amore, eo quod Dominum maiestatis fratrem nobis effecerit, et per eam simus misericordiam consecuti. In ipsa, post Christum, praecipue fidens, eam sui ac suorum Advocatam constituit » [3]. Unde ab ipsis Ordinis sui primordiis (ita prosequitur praefatus Doctor) « pusilli gregis pastor Franciscus ad Sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum Fratrum numerum, superna gratia praeeunte, deduxit, ut, ubi meritis Matris Dei, Minorum sumpserat Ordo initium, ipsius illic susciperet auxiliis incrementum. Ibi quoque factus evangelicus praeco, civitates circuibat et castra, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in virtute Spiritus annuntians regnum Dei » [4].

Memor singularis devotionis S. Francisci,

In humilitate praesertim idem Sanctissimus Doctor confratres suos voluit per Beatissimam Virginem Mariam magis magisque in dies confirmari, ut essent Minores non ficti, sed corde, ore et opere tales in dictis et factis, humiles revera vereque mites, ideoque et pauperes humiles, pauperes mites, pauperes evangelica paupertate in perfecta humilitate fundati. Quapropter frequenti sermone humilitatem hanc in vera paupertate et paupertatem in vera humilitate commendans, sic loquitur: « Franciscus Fratres suos voluit vocari Minores, et praelatos sui Ordinis dici Ministros, ut et verbis uteretur Evangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discerent discipuli eius, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent. Magister siquidem humilitatis Christus Iesus, ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus » [5]. Ad vindicanda vero iura huius paupertatis in humilitate fundatae, Dei Matrem ita interpellat: « Sed et tu, Regina mundi dignissima, defensatrix pauperum et humilium Advocata, longe sublimius quam Esther exaltata in populis et praeparata in tempore, Mardochaei tui, Francisci videlicet, excitare clamoribus, ut interpellare digneris ad Regem, quatenus pauperum statum, quem tibi voluit esse consimilem et speciali quadam germanitate coniunctum, sacris

Qui per B. Virg. confratres voluit in humilitate confirmatos.

---

[1] *Offic. Dedicat. S. Mariae Angelorum.* — [2] *Legenda II*, cap. 150. — [3] *Leg.*, cap. 9. — [4] *Leg.*, cap. 4. — [5] *Leg.*, cap. 6.

tuis exemplis et meritis clarificet et conservet. Quid enim magis dat paupertatis amori fomentum magisque ipsius declarat praerogativam et gloriam, quam tua forma vivendi, Beatissima Virgo et Mater Domini nostri Iesu Christi, quae adeo fuisti paupercula, ut, sicut historia Evangelii sacra testatur, in ipso sacratissimo partu non haberes ubi reclinares Deum caeli et Dominum exercituum, nisi in via publica itinerantium et praesepio iumentorum? »[1].

Haec omnia praecepta ut audiantur, tamquam novum specialis benevolentiae pignus, mandat ut in omnibus ecclesiis et oratoriis et in propriis processionibus Franciscanorum addatur in fine litaniarum invocatio « Regina Ordinis Minorum, o. p. n. »

Ut autem hortationes et consilia Legiferi Patris eiusque sanctissimi ac sapientissimi filii Bonaventurae, Doctoris Seraphici, in ministerio generali sui Ordinis successoris dignissimi, quae pluries in mentem omnium singulorum Fratrum Minorum revocanda existimavimus, fidelissime semper ac devotissime serventur, et ut omnia quae per iteratas Litteras Nostras declaravimus, ediximus, iussimus, perfectissima oboedientia custodiantur, et fraternae dilectionis affectu cum virtutum omnium incremento teneantur; Nos, quod nonnullis religiosis Familiis ab Apostolica Sede concessum est, peculiari scilicet proprii Ordinis invocatione Sanctissimam Dei Matrem in Litaniis Lauretanis exorandi, id, de Nostrae potestatis Apostolicae plenitudine, tamquam novum specialis Nostrae in Sancti Francisci filios benevolentiae pignus, in perpetuum concedimus. Mandamus igitur, ut in omnibus et singulis Seraphici Ordinis conventibus, ecclesiis, oratoriis, et in processionibus propriis, sacrisque functionibus, in quibus Litaniae Lauretanae recitari vel decantari solent, post invocationem : *Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis*, haec addatur : *Regina Ordinis Minorum, ora pro nobis.*

Sub hac invocatione, speciale Immaculatae Virginis praesidium implorandum declaramus :

Haec valent pro alumnis primi Ordinis.

I. Pro omnibus et singulis triplicis Minoriticae Familiae alumnis, et pro earum Ministris Generalibus, qui omnes, pari iure, praedecessorum suorum perpetuam seriem ab ipso Seraphico Patre ducunt.

Pro Monialibus quae regulam S. Clarae sequuntur.

II. Pro Monialibus, quae Regulam Sanctae Clarae sequuntur, quocumque nomine vocentur.

Pro Tertiariis.

III. Pro Tertiariis utriusque sexus, qui in religiosa communitate vitam degunt; et pro Tertiariis saecularibus, cuiuscumque e Franciscalibus Familiis iurisdictioni vel directioni subiectis.

Derogatio contrariorum.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Dies (8 sept. 1910).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die festo Nativitatis B. Virginis Mariae, VIII septembris MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

Annotationes

1. Huc spectat privilegium, ut invocatio *publica* facienda sit, nec mere privata ista quae a pluribus familiis religiosis usurpari consuevit.

2. Exstat Tertius Ordo regularis S. Francisci, qui privilegio Tertiariorum utetur.

3. Moniales seu sorores quae dicuntur a S. Coleta, cum sint Clarissae reformatae, praesenti iure continentur.

---

[1] *Apologia pauperum*, cap. II.

447. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECLARATIONES, EX MANDATO SS^mi, 25 SEPT. 1910

De Motu Proprio « Sacrorum Antistitum »

Dubia.

Propositis ad hanc Sacram Congregationem quae sequuntur dubiis circa Motum proprium *Sacrorum Antistitum*, datum die prima mensis huius :

De condicione laureae philosophiae prothrologiae laurea.

I. An praeceptum quod nemo theologiae laurea sit donandus, nisi prius in philosophicis disciplinis lauream obtinuerit, vel saltem de curriculo in philosophia scholastica absoluto certum praebuerit testimonium, stricte sit observandum ?

De regulari conventu Consilii vigilantiae.

II. An praescriptio *Consilium vigilantiae* altero quoque mense congregandi sit item stricte intelligenda ?

Quo modo impediti supplere possint.

III. An tamen ii qui *Consilium vigilantiae* constituunt, si longe distent a civitate episcopali et legitime impediti sint ab interveniendo, possint, adducta causa impedimenti, scripto transmittere relationem suam ?

De lectione diariorum etiam religiosis prohibenda.

IV. An prohibitio alumnis in seminariis et ecclesiasticis collegiis facta legendi diaria quaevis et commentaria quantumvis optima etiam ad iuvenes regulares in monasteriis et in congregationibus studiis operam dantes extendatur ?

De annua obligatione exhibendi textum et iurandi in seminariis et in Ordinibus religiosis.

V. An *quotannis* doctores in seminariis teneantur textum quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas questiones, sive theses, Episcopis exhibere, et ineunte anno iusiurandum dare ?

VI. An idem quotannis praestare debeant suis moderatoribus doctores seu lectores in ordinibus religiosis ante auspicandas praelectiones ?

De iuramento eorum qui iam approbati erant vel officio donati.

VII. An ad iusiurandum praestandum teneantur confessarii et sacri contionatores iamdudum approbati, et parochi, beneficiarii atque canonici in possessione beneficii, nec non officiales omnes in curiis episcopalibus et romanis congregationibus vel tribunalibus, religiosarumque familiarum et congregationum moderatores, qui in praesenti sunt in officio ?

De recipiendo iuramento per delegationem.

VIII. An in casibus particularibus, data iusta causa, Episcopi et Moderatores ordinum et congregationum religiosarum delegare possint ad recipiendum iuramentum sacerdotem aliquem sive saecularem sive regularem in aliqua dignitate vel officio constitutum ?

De deferendis ad S. Officium qui iurare noluerunt.

IX. An ad Sanctum Officium sint deferendi non solum qui iusiurandum violaverint, sed etiam qui iurisiurandi formulam subscribere renuerint ?

De testimonialibus litteris contionatorum.

X. An Episcopi et Moderatores regularium possint commendationis litteras absque nota concedere suis subditis qui alicubi a praedicatione fuerint prohibiti ?

De oratore alicubi improbato.

XI. An invitari possint sacri oratores qui in aliquo loco ab Episcopis fuerint improbati ?

Mandatum SS^mi.

SS^mus Dominus Noster, in audientia, die 24 huius mensis, E^mo Cardinali Secretario Sacrae Congregationis Consistorialis concessa respondendum mandavit :

Responsa.

Ad I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII et IX affirmative ; — ad X et XI negative.

Tempus utile ad iurandum.

Iussit porro omnes vocatos iuriiurando obligari infra diem 31 decembris huius anni.

Facilior iurandi forma.

Quod ad VII vero dubium, SSmus benigne indulsit, ut in locis a residentia Episcopi dissitis parochi, confessarii et doctores formulam iurisiurandi ad eosdem missam et praecognitam vel una simul cum vicariis foraneis vel etiam quisque singillatim proprio nomine signent, itemque beneficiarii in collegiatis ecclesiis, nec non religiosi in conventibus cum eorundem Superioribus.

Dies (25 sept. 1910).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 25 septembris 1910.

C. Card. De Lai, *Secretarius,*
Scipio Tecchi, Adsessor.

Annotationes

1. Decretum istud, cum responsa contineat quae de lege universali ipse Pontifex dare iusserit, vim universalis legis habere perspicitur.

2. Quattuor autem eius sunt quasi capita. Tribus enim prioribus responsis declarat duo praecepta Enc. *Pascendi*, Motu Proprio *Sacrorum Antistitum* memorata et confirmata. — Sex proxime sequentibus nova hoc *Motu Proprio* data praecepta declarat et ampliat. — Duobus postremis responsis novum quidpiam de contionatoribus statuitur. — Denique faciliori exsecutioni providetur obligationis dandi iuramenti. De singulis capitibus haec pauca observanda veniunt.

3. *De primo capite*, seu de responsis 1-3. — Duo priora responsa strictam urgent exsecutionem Enc. *Pascendi*, quatenus statuit ut theologiae lauream nemo *licite* aut *valide* consequi possit quin prius philosophiae curriculum rite emensus sit, atque ut altero quoque mense viri *Consilii vigilantiae* cum Episcopo conveniant. Tertio tamen responso istud temperamentum admittitur, ut legitime impediti scriptam relationem mittere possint. Quod enim de longe distantibus edicitur, etiam de iis quos alia iusta ratio impediverit valere arbitramur.

4. *De altero capite*, seu de responsis 4-9.

a) Excepto responso 8°, cetera omnia *extensivam* continent decreti *Sacrorum Antistitum* declarationem. Etenim :

b) Responso 4°, prohibitio legendi diaria et commentaria, quae alumnis seminariorum facta erat, ad *iuvenes religiosos* qui in suo Instituto studiis operam dant, *extenditur*.

Studia hoc loco intellegenda sunt omnia quae duce Magistro in scholis etiam litterarum ordinantur. Pontifex enim generali utitur voce, nec causa est cur studia alia ab aliis distinguantur. — Quamvis *regulares* proprie non sint qui Instituti sunt votorum simplicium, dubitandum tamen non est quin etiam alumni Congregationum legi huic obnoxii sint. — *Iuvenes* autem ii sunt quos supra diximus, id est qui professione simplici vel temporali per quinque, summum per sex annos a noviciatu probantur. — Quia responsio ista *extendere* dicitur legem priorem, nostra huius interpretatio confirmatur qua religiosos per se immunes existimabamus.

c) Responso 5°, non solae theses, sicut iam decreto *Sacrorum Antistitum* praecipiebatur, quotannis exhibendae sunt, sed etiam

ineunte quolibet anno iusiurandum dandum est quod ineunte officio dicebatur faciendum.

d) Responso 6°, lectores religiosorum iisdem obligationibus tenentur, dum decreto *Sacrorum Antistitum* solo iuramento, idque ante initum officium, astringebantur. Doctores seu lectores isti intellegi posse videntur de iis qui sacras disciplinas praelegunt, id est philosophicas et theologicas, de quibus solis theses proponi queunt.

e) Responso 7°, non novi tantum confessarii, contionatores, beneficiati, officiales vel moderatores, sicut decreto *Sacrorum Antistitum* praecipiebatur, sed quotquot munus iam gerunt vel officium habent cui iuramentum istud sit coniunctum, iuramentum dare iubentur.

f) Responso 8°, sacerdos sive saecularis sive regularis, in aliqua tamen dignitate vel officio constitutus, potest ob iustam causam delegari, ut pro Episcopo vel Moderatore iuramentum recipiat. Dignitas quandam iurisdictionem praefert, officium autem iam habent parochus, oeconomus, professor seu doctor, praefectus spiritus, non tamen qui simplex dicitur confessarius. Oportet enim ut ex ipso munere quandam existimationem vel auctoritatem hauriat praeter illam quae omni fere sacerdoti competere cernitur.

g) Responso 9°, qui iusiurandum subscribere nolunt iam sunt S. Officio deferendi, dum superiore decreto soli periuri deferendi erant.

5. *De tertio capite*, seu de responsis 10 et 11. — His nova haec cautio sumitur qua nusquam invitari iam potest orator sacer qui in aliquo loco ab Episcopis improbatus fuerit. Quare etiam quos subditos suggestu ascendendo prohibuerint Episcopi vel Superiores regulares non possunt iam litteris commendaticiis munire quin sacram praedicationem aliqua nota exceperint.

Num itaque contionator semel improbatus in perpetuum sic nota et prohibitione afficiendus erit? Minime. Res hoc modo nobis intellegenda videtur, ut qui ab Episcopo quopiam improbatus fuerit, donec huic satisfecerit, non possit iam *extra propriam dioecesim* ad contionandum vocari. « Invitari non possunt » : sic sonat responsum 11[um]; quae vox ad extraneos contionatores referri consuevit.

6. *De quarto capite*, seu de additis, post responsa, explicationibus. Priore declaratione tempus ad iurandum utile infra diem 31 decembris huius anni statuitur : in maxime dissitis missionum regionibus ipsa necessitas maius spatium concedet. — Dein, quo facilior sit legis exsecutio, indulget S. Pontifex ut qui *in Episcopi* manibus iurare debent possint, si ab Episcopi residentia distent, scriptam formulam, ad ipsos missam, subscribere. Distantiam aestimabit Episcopus. Ac satis iam distare nobis videntur qui ut Episcopum adeant via ferrea uti soleant. Subscribent autem vel suam quisque formulam, vel communem sacerdotibus et vicariis foraneis (decanis), aut religiosis conventus cum eorum Superioribus.

Quamvis lex id soli Episcopo diserte permittat, idem, ob parem distantiae causam, facere posse videtur quilibet Superior qui iuramenta recipere potest, v. gr. Superior generalis.

7. **Quaeres**, num bis vel ter iurare debeat qui duobus vel tribus titulis (v. gr. canonici, professoris, confessarii) iuramentum dare debeat?

Rem istam, de qua nihil in decreto dicitur, sic definiendam putamus. Qui coram eodem iurare debet, potest una occasione, variis allegatis titulis, semel iurare. Si autem a pluribus personis iuramenta recipienda sint, vel occasiones separandae sint, singulis personis, de omnibus titulis quos quis tunc habeat, iurando satisfacere debet.

8. Simul cum nova iurisiurandi formula fides profitenda est secundum formulam Pii IV et adiectis Concilii Vaticani definitionibus. Quid autem, si iurare debeant parochus, beneficiatus, vel confessarius qui, qua tales, secundum istam formulam iam fidem professi sint? Sufficere tunc arbitramur ut, novam formulam iurando, compleant quod solum in ipsis desiderabatur.

9. Nova ista declaratione magis se prodit haec S. Pontificis intentio modernismum debellandi, quam decreto *Sacrorum Antistitum* inscripserat. Ac re quidem vera, amplissimam explorationem de universi cleri catholici fide et sensu catholico facere iubet. Vix reperias quempiam qui aliquo titulo iurare non debeat, multos autem qui varias iurandi causas coniungunt. Soli enim lege non numerantur, praeter sacerdotes qui mere missam legunt, Episcopi, Praelati sui iuris et Universitatum professores, *qua tales*.

10. *Brevis de practica iurandi ratione summa.* Itaque

a) In manibus *Episcopi* vel *Praelati Nullius*, vel *Vicarii Apostolici*, vel *Praefecti Apostolici*, fidem profiteri et iurare debent :

Clerici (praeter plene exemptos religiosos) ante maiores ordines recipiendos, — *Confessarii* omnes approbandi vel approbati ; — *Contionatores habituales* omnes (*in eadem dioecesi* non videntur tamquam *quadragesimales* iterum iurare debere) ; — *Parochi, canonici, beneficiati ; — Officiales* curiae episcopalis ; — *Contionatores quadragesimales ; — Doctores Seminarii.*

Episcopus, alius in alia causa, est vel proprius ordinandi clerici, vel qui confessarium, contionatoremve approbat, vel qui beneficium aut officium confert.

b) In manibus *Superioris sui*, vel immediati vel maioris, fidem profiteri et iurare debent : *Superiores* religiosi, *Lectores* philosophiae et theologicae, et *ordinandi* exempti qui, in ordinatione sacerdotali, non Episcopo loci sed Praelato suo oboedientiam promittunt. — N. B. Confessarii regularium, qua tales, cum approbari non debeant, lege praestandi iuramenti non afficiuntur.

c) Qui lege ad recipiendum iuramentum designatur potest, ob iustam causam, alii per delegationem suam provinciam committere, et contentus esse ut subditi distantes formulam subscribant.

d) Ordinaria iurandi ratio hoc modo constitui potest. In sacello vel aula, mensa paratur ubi inter binas candelas accensas ponatur ante Christi crucifixi imaginem liber evangelia continens, vel etiam carta quae selectum evangelii locum exhibeat. Convocatis iis qui iurare debent, iuramenta recepturus mensae assidet. Unus tunc, genuflexus, totam formulam alta legit voce. Dein manu tangens evangelium, hoc modo concludit : « Sic spondeo, sic iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ». Denique ceteri ordine accedunt et genuflexi, manu locum evangelii tangentes, mere haec proferunt : « Ego N. idem spondeo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia. » Postea omnibus subscribenda traditur formula, sua cuique, vel communis, addita diei indicatione. Quae formula in archivio servanda est. Ad nomen qualitates quisque suas cur iuret utiliter addet.

DECRETA SUMMATIM RELATA

448. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Titulus Praelati domestici in perpetuum Superiori pro tempore Sanctuarii de « Poupsis » concessus.* (A. A. S. 15 sept. 1910, 2, 703.)

Dies, occasio ac summa privilegii.

Litteris in forma brevis, 4 maii 1910, ut restaurationem promoveat pervetusti et sancti Sanctuarii B. M. V., de Poupsis appellati, in Hieracensi Calabriae dioecesi, quod immani terraemotus vi periculsum, SSus Dus in perpetuum indulget ut Superior pro tempore dicti sanctuarii, ad nutum Episcopi eligendus, *durante munere*, nomen et privilegia habeat Praelati domestici.

B. *Translatio cum feriatione patronae oppidi « Armillas ».* (A. A. S. 31 aug. 1910, 2, 633.)

Dies, obiectum et causa translationis.

Litteris in forma brevis, 18 iul. 1910, festum S. Mariae Magdalenae, quae patrona est oppidi *Armillas* in dioecesi Caesaraugustina, in perpetuum a die 22 iulii in diem 24 aprilis cum obligatione audiendi sacrum et feriandi, pro commoditate istius oppidi transfertur.

C. *Confraternitas Immaculatae Conceptionis in civitate Aquavivensi titulo archiconfraternitatis honoris causa decoratur.* (A. A. S. aug. 1910, 2, 634.)

Dies, privilegium, eiusque ratio.

Litteris in forma brevis, 19 iul. 1910, confraternitas Immaculatae Conceptionis quae, in civitate Aquavivensi, Nullius dioecesis, antiquitate praestat, cum anno 1606 instituta sit, titulo Arhiconfraternitatis ad honorem augetur atque decoratur.

D. *Improbatur praesens animus, actio atque forma magnae consociationis dictae a « Sillon ».* (A. A. S. 31 aug. 1910, 2, 607.)

Litterarum dies, occasio et praecepta.

Litteris apostolicis 25 aug. 1910, gallice ad Galliae episcopos missis et quae inchoantur verbis *Notre charge apostolique*, S. Pontifex sententiam dicens in causa consociationis *Le Sillon*, praesentes eius doctrinas et propensiones alienas dicit a placitis Christi et Ecclesiae, vultque ut generale foedus *Le Sillon* in dioecesanas consociationes quae nomen ferant *Sillons catholiques* dividantur ac sub Episcoporum auctoritate, inter solos laicos constitutae, pro catholica populi renovatione et meliore condicione militare pergant. Integra sociis manet optio politica.

E. *Vota Pontificis de proxime habendo Fuldensi conventu.* (A. A. S. 15 sept. 1910, 2, 715.)

Litterarum dies occasio et

Litteris apostolicis 2 sept. 1910, ad Card. Kopp, Episcopum Wratieslaviensem, Archiepiscopum Coloniensium et ceteros Archie-

commendationes.

piscopos et Episcopos Borussiae datis, S. Pontifex, confidens fore ut in sollemni Fuldensi conventu, funesti huius aetatis errores depellantur, foveatur pietas, et populi mores ad christianae vitae instituta conformentur, Deum precatur ut ipsos « in proposito sancto confirmet », Secum « et cogitando et agendo artius usque coniungat, impavidos efficiat catholicae Fidei assertores disciplinaeque vindices. »

449. — *S. CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS*

A. *Extensio decreti 30 martii 1910, de secreto servando in episcoporum cooptatione.* (A. A. S. 31 aug. 1910, 2, p. 648.)

Decreti dies et argumentum.

Decreto 2 iul. 1910, probante SS^mo^ et postulantibus non nullis Episcopis, decretum 30 martii 1910, de secreto servando in designandis candidatis sedium episcopalium in foederatis Statibus Americae septemtrionalis [1] ad omnes regiones extenditur ubi similis forma designationis usu venit.

B. *Decretum de amotione administrativa ab officio et beneficio curato.* (A. A. S. 31 aug. 1910, 2, 636.)

Decreti occasio et genesis.

Ut gravi huic ecclesiasticae disciplinae parti, quae prudentem et opportunam spectat amotionem parochorum propter spiritualem populi utilitatem non propter delictum imperandam, accuratior forma praestitueretur, coetus consultorum et E^morum^ Patrum ecclesiastico codici conficiendo praepositus normas conscripsit quas, Congregationi Consistoriali prius probatas, S. Pontifex statim promulgandas esse statuit.

Dies.

Inde habemus decretum *Maxima Cura*, datum 20 aug. 1910, quod 7 sectionibus 32 canonibus constat, praeter provisionem peculiarem ut cito exsecutione compleatur.

I. Amotionis causae.

I. Prima sectio est de causis ad amotionem requisitis, quae in can. 1 his verbis proponuntur :

Causae ob quas parochus administrativo modo amoveri potest hae sunt :

Insania.

« 1° Insania, a qua ex peritorum sententia perfecte et sine relabendi periculo sanus fieri non posse videatur; aut ob quam parochi existimatio et auctoritas, etiamsi convaluerit, eam penes populum fecerit iacturam, ut noxium iudicetur eundem in officio retinere.

Imperitia et ignorantia.

« 2° Imperitia et ignorantia quae paroeciae rectorem imparem reddat suis sacris officiis.

Corporis infirmitas.

« 3° Surditas, caecitas et alia quaelibet animae et corporis infirmitas, quae necessariis curae animarum officiis imparem in perpetuum vel etiam per diuturnum tempus sacerdotem reddant, nisi huic incommodo per coadiutorem vel vicarium occurri congrue possit.

Odium plebis.

« 4° Odium plebis, quamvis iniustum et non universale, dummodo tale sit quod utile parochi ministerium impediat, et prudenter praevideatur brevi non esse cessaturum.

Defectus famae.

« 5° Bonae aestimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec procedat ex inhonesta aut suspecta vivendi ratione parochi, vel ex alia eius noxa, vel etiam ex antiquo eiusdem crimine, quod

[1] Decretum istud supra, n. 397 C. p. 132, summatim refertur.

nuper detectum ob praescriptionem poena plecti amplius non possit; sive procedat ex facto et culpa familiarum et consanguineorum quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum.

Crimen.

« 6° Crimen quod, quamvis actu occultum, mox publicum cum magna populi offensione fieri posse prudenti Ordinarii iudicio praevideatur.

Temporalis administrationis vitium.

« 7° Noxia rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno ; quotiens huic malo remedium afferri nequeat auferendo administrationem parocho aut alio modo, et aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.

Neglecta officia parochialia, post monitionem.

« 8° Neglectio officiorum parochialium post unam et alteram monitionem perseverans et in re gravis momenti, ut in sacramentorum administratione, in necessaria infirmorum assistentia, in catechismi et evangelii explicatione, in residentiae observantia.

Inoboedientia, post monitionem.

« 9° Inoboedientia praeceptis Ordinarii post unam et alteram monitionem et in re gravis momenti, ceu cavendi a familiaritate cum aliqua persona vel familia, curandi debitam custodiam et munditiem domus Dei, modum adhibendi in taxarum parochialium exactione et similium.

Quo modo faciendae sint monitiones.

« Monitio de qua superius sub extremo duplici numero, ut peremptoria sit et proximae amotionis praenuntia, fieri ab Ordinario debet, non paterno dumtaxat more, verbotenus et clam omnibus ; sed ita ut de eadem in actis Curiae legitime constet. »

II. Generalis procedendi ratio.

II. Altera sectio verbis generalibus modum procedendi indicat, in punctis substantialibus, servandum ut valeat ipsa amotio.

Tres autem ponuntur gradus successivi : *invitatur* parochus ut renuntiet ; — *renuens* decreto amovetur, — amotus *recurrens* ius habet ut, recognitis actibus, prius decretum ab eodem Ordinario, prioris decreti auctore, infirmetur vel confirmetur.

III. Quaenam personae Ordinario adesse debent.

III. In tertia sectione, personae indicantur quae Ordinario adesse debent. Sunt autem, in ipsa *invitatione* et in decreto *amotionis*, duo examinatores synodales ; in *recognitione decreti amotionis*, duo parochi consultores. Utriusque generis assistentium *consensus* est necessarius quotiescumque expressis legis verbis postulatur ; secus sufficit *consilium* a quo Ordinarius libere recedere potest.

Earum designatio,

Examinatores et parochi consultores tot numero eliguntur quot prudenti Ordinarii arbitrio eligendi videntur. Eliguntur autem in quinque annos vel in proximam synodum si haec prius congregetur, ita tamen ut denuo eligi possint. Electio fit vel in synodo, secundum receptas normas, vel, si synodus non habeatur, ab Ordinario cum consensu capituli cathedralis aut, hoc deficiente, Consultorum dioecesanorum. Pari modo, in locum eorum qui intra duas synodos officio defuncti fuerint, *prosynodales* substituuntur. Examinatores et consultores removeri ab Ordinario nequeunt nisi ex gravi causa et assentiente vel capitulo cathedrali vel consilio dioecesano.

Assumptio,

In singulis causis assumuntur qui vel electionis vel sacerdotii vel aetatis antiquitate praestant, ita ut impeditum tertius vel quartus suppleat. Evidenter ob iuridicam causam suspecti ab Ordinario excludi possunt, et ipse parochus contra ipsos excipere permittitur.

Munus,

Quotiescumque consensus requiritur, secreta postulanda sunt suffragia et duo pro sententia ferenda sunt necessaria.

Lex secreti.

Examinatores et consultores sub gravi, dato iureiurando, secre-

tum servare debent. Quod si violaverint, amovendi sunt, ab Ordinario puniendi, et damna sarcire debent.

IV. Quo modo facienda sit invitatio.

IV. *Formalis invitatio* ad renuntiandum semper decreto amotionis praemittenda est, nisi propter parochi insaniam vel fugam vel aliud obstaculum fieri nequeat. Fit autem, assentientibus examinatoribus, regulariter scripta, vel ita saltem ut Ordinario vel eius delegato verbis invitanti adsit sacerdos aliquis qui de invitatione redigat documentum in actis curiae servandum. Causae invitationis et argumenta parocho manifestanda sunt. Nihil tamen imprudenter scribendum est, immo si periculum sit vexationum vel scandali, nomina recurrentium vel testium celanda sunt, et caute, etiam verbis, ostendenda sunt documenta quae magnae populi offensioni locum dare possunt. Parochus porro monendus est ut intra decem dies respondeat, ne decreto amoveatur ; potest tamen ab Ordinario dilationem per decem vel viginti alios dies impetrare. Renuntiatio fieri potest sub honesta condicione quam Ordinarius acceptaverit, et allegata alia vera et honesta causa quae renuntianti minus gravis sit. Ordinarius autem beneficium vel officium vacans *ex renuntiatione* declarabit.

Quaenam optio parocho linquatur.

V. Amotionis decretum, quo modo paretur,

V. *De amotionis decreto.* Invitatus ad renuntiandum parochus potest rationes suas proponere, interrogandos testes indicare cum aliis defensionis mediis. Ordinarius nihil omittet vel negabit quod ad prudentem sententiam utile fuerit; quia tamen de *administrativa* amotione agitur, iudicialis apparatus arcendus est et inutiles testium interrogationes faciendae non sunt. Positive vetatur parochus ne turbas cieat, populum excitet, instantias publicas pro se promoveat ; ac, nisi impeditus sit (probatum tunc Ordinario sacerdotem sibi benevisum procuratorem suum constituere potest) ipse per se suam causam agere debet.

statuatur,

Amotio per secreta suffragia decernitur. Nemo autem pro amotione respondere debet nisi certo sibi de legitima exsistente causa constet.

indicetur et promulgetur.

Decretum amotionis sacerdoti indicitur, sed elapso tantum utili ad recurrendum tempore promulgatur. Satis est ut generalibus verbis statuat parochum propter animarum bonum amoveri. Invitatio tamen ad renuntiandum, exhibitae a parocho allegationes et obtentum examinatorum suffragium semper memoranda sunt.

Quid, si diversa sit conclusio?

Si amotio non decernatur, de ista etiam conclusione certiorandus est parochus, cui Ordinarius opportuna monita et consilia simul dare non omittet. De his monitis, si causa redeat, maxima ratio habenda erit.

VI. Facultas recursus. Quo pacto acta sint recognoscenda.

VI. *Actorum revisio.* Intra decem dies (nisi parochus Ordinario et examinatoribus assentientibus se probet maiore vi impeditum) fas est parocho recurrere ad eundem Ordinarium qui cum duobus parochus consultoribus de recursu statuet. Facto recursu, decem dies parocho dantur ad proponendas rationes suas. Ius tamen non habet exigendi ut novi testes examinentur vel ulteriores sibi dilationes concedantur.

Consultores cum Ordinario de his duobus tantum punctis, secundum regulas priori Consilio praescriptas, deliberant : fuitne substantiale formae vitium ; caretne fundamento adducta amotionis ratio.

Causa duobus suffragiis decernitur. Nec ulteriori expostulationi locus conceditur.

VII. *Amoti provisio.* Auditis examinatoribus vel parochis consultoribus (si ad eos res pervenerit), Ordinarius *pro viribus* et quam citius per translationem ad aliam etiam maiorem paroeciam, qua dignus sit, vel per concreditum aliud officium, vel assignatam pensionem, sacerdoti renuntianti vel amoto providet, ita ut, caeteris paribus, magis renuntianti quam amoto faveat. Nullatenus tamen haec provisionis causa impedire potest ne bono animarum per amotionem consulatur.

Quomodo condicioni parochi sit consulendum.

Renuntians vel amotus parochus domum parochialem quam primum liberam relinquere debet, ad quod praestandum canonice cogi potest. Infirmo tamen potest Ordinarius usum etiam exclusivum aedium parochialium permittere.

De domo parochiali quid statutum sit.

VIII. *Quinam legi obnoxii sint.* Lex ista omnes afficit proprie dictos parochiarum rectores, sive parochos inamovibiles, sive Vicarios perpetuos sive succursalistas (Belgii et Galliae); non autem oeconomos vel Vicarios temporarios.

Quinam lege attingantur vel non.

Pendente criminali actione in foro sive canonico, sive civili, litis exitus exspectandus est ut de parocho reo decernatur. Interea, si res expediat, Ordinarius per Vicarium vel administratorem temporarium paroeciae providebit.

Quid, si parochus criminis sit reus.

Ordinarius in hac lege non est *Vicarius generalis*, nisi speciali mandato muniatur.

Quid possit vicarius generalis.

Annotationes

1. Peculiaris praesentis decreti, quae pars est novi Codicis canonici, ratio huc spectat ut, propter bonum animarum, quandam oeconomicam inducat parochos amovendi rationem, quae indiciariam quodam modo imitatur quatenus nonnullae cautiones et formae ad ipsum decreti valorem observanda sunt. Hac tamen mente conditum est ut communis utilitas privatae semper anteponatur.

Clara cum sint praecepta, haec pauca notasse sufficiet.

2. Examinatores et consultores, nisi in synodo eligantur, eligendi dicuntur can^{e} 4, ab Ordinario assentiente Capitulo cathedrali, et, *hoc deficiente*, Consilio dioecesano. Capitulum stricte non deficit nisi ubi non habeatur. Putamus tamen in regionibus in quibus mos est ut Capitulum numquam sententiam sede plena rogetur, capitulum satis *deficere* ut Ordinarius in Consilio dioecesano rem peragere possit.

3. Observes, ex can. 19, si res dubia sit, amotionem non esse decernendam, sed pro possidente esse respondendum.

4. Quamvis, can. 24, § 4, parocho *ius* negetur postulandi novos testes vel dilationes, ambo tamen, si visum fuerit, ab Ordinario et consultoribus concedi possunt.

5. Vis § 1 can. 24 haec est, ut si constet de servata forma substantiali et de veritate causae, consilium de *opportunitate* amotionis iam deliberare non possit.

6. Quamvis ex can^{e} 26 Ordinarii *pro viribus* tantum parocho providere debeant, ipsa aequitas suadet ut mature, per varia media quae hodie in variis regionibus suppetere solent, de praeparanda congruente sustentatione senio vel infirmitate laborantibus sacerdotibus, Ordinarii prudentem sollicitudinem gerant.

C. *Erectiones dioecesium.* (A. A. S. 9 sept. 1910, 2, 681.)

Quaenam erigantur dioeceses.

Decreto S. C. Consistorialis 15 aug. 1910, SS. Dominus sedem cathedralem S. Petri de Rio grande do Sul ad dignitatem Metropolitanae ecclesiae erexit, vetere titulo mutato in novum Portalegrensis in Brasilia, eique suffraganeas fecit dioecesim Floranopolitanam et tres novas, ex archidioecesi, eodem decreto, distractas et constitutas: dioecesim Pelotensem (Pelota), Uruguayanensem (Uruguayana) et Sanctae Mariae (S. Maria).

450. — *S. CONGREGATIONIS S. OFFICII*

Damnantur commentaria et opera. (A. A. S. 15 sept. 1910, 2, 728.)

Commentarium et Opera quaedam in Indicem referri iubentur.

In generali consessu 7 sept. 1910, rem die 8 probante SS° D°, EE. Cardinales Generales Inquisitores in Indicem librorum prohibitorum referri mandarunt, decreto 10 sept. 1910:

A. Rivista storico-critica delle scienze teologiche. Publicazione mensile. Roma.

B. Libros collectionis *Manuali di scienze religiose* hactenus editos, idest: 1. Alfonso Manaresi. *L'impero romano e il Cristianesimo nei primi tre secoli.* Vol. I. Da Nerone a Commodo. Roma 1910.

2. Ernesto Buonaiuti, *Saggi di filologia e storia del Nuovo Testamento.* Roma, 1910.

3. Francesco Mari, *Il Quarto Vangelo.* Roma, 1910.

Annotationes

1. S. C. S. Officii tamquam superior Congregatio interdum iubere solet ut opera quaedam in Indicem librorum prohibitorum referantur. Quo iure in praesenti usa est.

2. Disertis verbis ad libros hactenus editos contrahit proscriptionem collectionis *Manuali.* Ex regula tamen generali Indicis [1], cui S. Officium praesumendum est se accommodasse, perinde dici potest de damnato commentario seu libello periodico, ita ut hactenus fasciculi soli hoc decreto damnentur. Donec tamen constet de auctorum emendatione, posteriores fasciculi pro suspectis habendi sunt.

451. — *S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE*

Erectio novae Praefecturae apostolicae de Katanga (A. A. S. 9 sept. 1910, 2, 682).

Decreti dies et argumentum.

Decreto 5 aug. 1910, in Congo belgico, pars regionis de Katanga a Vicariatu Apostolici Congi belgici distrahitur, atque, erecta in Praefecturam Apostolicam, curis committitur alumnorum Congregationis Brasiliensis Ordinis S. Benedicti, Abbatiae S. Andreae ad Brugas. Quae Apostolica Praefectura, cum opportuna adiuncta praesto erunt, in Abbatiam Nullius erigetur.

---

[1] Cfr. opus nostrum *De prohibitione et censura librorum dissertatio canonico-moralis* (4 ed. Romae, 1906), n. **17** et **29**. Regula ista praefatione novi Indicis continetur.

452. — *S. CONGREGATIONIS DE RELIGIOSIS*

De eleemosynis in subsidium pii operis « a Terra Sancta » colligendis (A. A. S. 15 sept. 1910, 2, 729).

Excipiuntur eleemosynae de terra sancta regulis de Quaestuatione.

Declaratione quam 1 nov. 1909 SSus probavit, S. C. de Religiosis declarat pium opus de terra sancta decreto de Questuatione minime comprehendi, ac proinde collectas a Fratribus Minoris per se vel per alios probatos viros fieri solitas, esse ut antea faciendas.

453. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

Non sustinetur privilegium partialis tansum rationis temporalis reddendae Episcopo.

1. Die 16 iunii 1910, in causa Platien. (Piazza Armerina) redditionis rationum, quam ex mandato Pontificis iudicavit, supremum istud tribunal negavit sustineri privilegium quo quattuor administratores ecclesiae matricis et collegialis oppidi Castri Ioannis, contendebant sibi licere ut de solis expensis factis, non autem universam dati et accepti rationem Episcopo dare deberent. Privilegium dicebant centenaria consuetudine confirmatum. Ipsis simul negata est restitutio in integrum contra contrarias sibi sententias a S. C. Concilii, ante Curiae reformationem latas. (A. A. S. 9 sept. 1910, 2, 699).

Reicitur recursus remoti parochi.

2. Die 26 iulii 1910, Supremum Tribunal, in causa remotionis parochi Fantone a paroecia loci Asigliano, in qua S. Rota Romana, 12 maii 1909, sententiam archiepiscopalem 21 ian. 1908 confirmaverat, proposito dubio: « Sitne nulla Rotalis sententia et sitne locus eius circumscriptioni », *Negative* respondit. Quare recurrentem parochum in expensis damnavit. (A. A. S. 15 sept. 1910, 2, 733).

454. — *SACRA ROMANA ROTA*

Confirmatur sententia pro nullitate matrimonii.

1. Die 11 iunii 1910, causam Cracovien. Nullatenis Matrimonii, Krasinska-Chelkowski, appellante Defensore Vinculi ex Officio, sicut iure facere debebat ut duplex pro nullitate sententia haberetur, S. Romana Rota iterum iudicavit, confirmando sententiam nullitatis latam 21 ian. 1910, ob incompetentem sacerdotem. Cfr. supra n. **403**, p. 137, 3. (A. A. S. 9 sept. 1910, 2, 691).

Citatio edictalis

2. Citatione edictali 24 aug. 1910 vocatur ad comparendum in causa S. Christophori de Habana, nullitatis matrimonii, Da Catharina Laza, cuius domicilium et praesens commoratio ignorantur, ut sententia rotalis confirmetur in casu. (A. A. S. 9 sept. 1910, 2, 698.)

NOTANDUM

De numismatibus quae pro scapularibus gestari possunt, et de aliis facultatibus benedicendi res cum indulgentiis.

Quamvis clara sanctione decreti *Motu proprio* dati. *Cum per apostolicas*, facultates benedictionum cum indulgentiis, efficacia sua destituendae videantur nisi proxima die 15 octobris 1910 (mendose, supra, p. 187, scripsimus 7 octobris) Ci S. Officii oblatae et ab ea authentice recognitae sint, certiores tamen facti sumus easdem valorem suum interea servaturas esse, dummodo 15 octobris Si. Cae. S. Officii exhibitae fuerint. Ita fert verbalis interpretatio quae in Urbe sufficienti auctoritate fulcitur. Paratur enim authentica de numismatibus declaratio, quae ante mensem novembrem promulgari non poterit. Ante quam declaratio ista edita fuerit, S. Officium nec facultates numismata benedicendi recognoscendas putat, nec easdem idcirco perire voluit.

S. RITUUM CONGREGATIONIS
DECRETA ET RESCRIPTA [1]

455. — 30 iul. 1910. — **Tunquen.** — *De variis consuetudinibus.* (A. A. S. 9 sept. 1910, 2, 688.)

Orator.

Hodiernus Sacrae Liturgiae Professor in Seminario Tunquensis Dioeceseos, in Columbia, annuente suo R^mo^ Episcopo Ordinario, insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expostulavit, nimirum :

Dubia.

Usus aquae adoriferae in missa neo-sacerdotis.

I. In prima Missa cantata a Neo-Sacerdote, praeter Ministros in Missa sollemni adhiberi consuetos, duo inserviunt laici, quos Patrinos vocant, qui in parte et a latere Presbyterii stant, et quorum officium praecipue est aquam odoriferam ad manuum lotionem ter Neo-Sacerdoti effundere, videlicet, ante Missam, ad *Lavabo* et post sumptionem Calicis. Quaeritur : An continuari possit hic usus Patrinorum ?

Usus accipiendi et dandi benedictionem post primam missam.

II. Absoluta sua prima Missa, Neo-Sacerdos, retenta vel interdum deposita casula et sumpto pluviali, a matre sua in Presbyterium ingressa et stante, genuflexus benedictionem sic paratus recipit ; mox surgens, matri genuflexae et ipse benedicit. Eodem modo fit quod ad patrem Neo-Sacerdotis. Quaeritur : An haec consuetudo, quae vetustissima videtur, retineri queat ?

Usus de modo exponendi SS.

III. Ex Decreto S. R. C. *Colimen.*, 12 iulii 1901 ad I, expositio ac repositio SS^mi^ Sacramenti fieri nequit eo modo quo velum extensum in tabernaculo expositionis plicatur, et ipsum in repositione explicatur, media chordulae cuiusdam distensione in repositione, aut relaxatione in expositione, quae omnia a sacrista vel acolytho peraguntur. Hic vero modus expositionis et repositionis usurpatur fere in omnibus Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive semi-publicis, nec non et in Ecclesiis Regularium, ac difficile foret hanc generalem et vetustam consuetudinem tollere, quia thronus expositionis sic in altari est constructus, ut ad eum non facilis pateat accessus. Aliunde benedictio cum SS^mo^ Sacramento in fine expositionis non datur, ut patet, cum ex S. R. C. Decretis dari debeat, nisi in aliquibus tantum Ecclesiis ditioribus, ubi aliud praesto est Ostensorium, in quo celeriter exponitur alia Hostia super altare, et tunc datur benedictio. Quaeritur : An, attentis peculiaribus circumstantiis, praedicta consuetudo tolerari possit ?

De numero cereorum.

IV. Aliqui doctores liturgici affirmant posse in sollemni expositione SS^mi^ Sacramenti adhiberi tantum sex cereos. Quaeritur : An haec opinio ad praxim deduci liceat, praesertim in pauperibus Ecclesiis ?

De candelarum materia.

V. Ex variis S. R. C. Decretis, v. g. n° 2865, *Massilien.*, 16 septembris 1843, n° 3376, *Policastren.*, 4 septembris 1875 ad III, candelae ex stearina pro usu sacro prohibentur. In expositione tamen sollemni SS^mi^ Sacramenti nec non et in Missis sollemnioribus, praeter numerum praescriptum cereorum, aliae permultae frequenter adhibentur candelae ex stearina, quae quidem collocantur hinc et hinc a latere tabernaculi et Crucis, extra tamen ambitum

---

[1] Decreta hic apposita subscripserunt Praefectus, E^mus^ Fr. S. Card. MARTINELLI, et Secretarius, Ill^us^ D. PETRUS LAFONTAINE, Ep. Charystie

altaris. Cum autem aliquibus in locis altarium structura, saepe saepius perantiqua, non sinat candelas collocari nisi intra ambitum ipsius altaris, et ex altera parte propter cerae penuriam sumptus faciendi nimii esse deberent, Quaeritur: An praeter cereos praescriptos, sive in Missa, sive in benedictionibus cum SSmo Sacramento, aliae candelae ex stearina intra ambitum altaris adhiberi possint? Et quatenus negative, an, attentis circumstantiis, praedicta consuetudo tolerari possit?

De lectione Prophetiae ab Epo peracta.

VI. Iuxta Caerimoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXV, n. 13, *Episcopus legit ex libro Prophetiam sine candela accensa*, qui modus loquendi significare videtur candelam in hoc officio non esse adhibendam. Quaeritur: Utrum in casu nullo modo adhibenda sit candela, an adhiberi debeat candela exstincta?

De benedictione post distributam S. Communionem.

VII. Ex S. R. C. Decreto nº 3792 *Strigonien.*, 30 augusti 1892 ad X, post distributionem Communionis extra Missam, benedictio, sub formula *Benedictio Dei*, semper danda est (uno excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam Defunctorum). In Rituali autem Romano, tit. IV, cap. II, n. 11, dicitur quod Sacerdos, sumpto Sanctissimo Sanguine, porrigit communicandis Eucharistiam et finita Communione non dat iis benedictionem, quia illam dabit in fine Missae. Quaeritur: Si certo constaret communicantes ante Missam usque ad eiusdem finem esse mansuros: an illa benedictio omitti possit vel debeat?

De benedictione, finita processione.

VIII. Ex Decreto S. R. C. nº 1784 *Fanen.*, 19 iulii 1687, benedictio cum SSmo Sacramento impertiri debet super altare in Ecclesia et non in ianua post Processionem. Attamen cum Decreto nº 3225, *Utinen.*, 20 augusti 1870, Sacra Rituum Congregatio rescripsit, praefatam consuetudinem (impertiendi benedictionem in ianua) esse tolerandam. Porro quamvis temporum et locorum circumstantiae de quibus in Decreto nº 3225, adamussim non verificantur, tamen eadem consuetudo pluribus in locis et Parochiis viget, ea praesertim de causa, qua permulti Christifideles, etiam milites, SSmum Eucharistiae Sacramentum comitantes. Ecclesiam, peracta Processione, ingredi nequeunt propter angustiam ipsius Ecclesiae et sic discedunt, et benedictionem, nisi in ianua ipsis impertiatur, non reciperent. Quaeritur: An in casu consuetudo retineri possit?

Responsa.

Et Sacra eadem Congregatio, requisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate discussis et perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Ad I. Tolerari posse; sed, quod ad manuum lotionem, tantum ad *Lavabo*.

Ad II. Ad II. Prouti exponitur, negative et ad mentem. Mens est consuetudinem de qua in casu continuari posse, non tamen in Presbyterio et in Ecclesia, sed in sacristia vel alibi; et postquam Neo-Sacerdos deposuerit sacra paramenta.

Ad III. Ad III. Standum Rubricis, Decretis et praxi universali.

Ad IV. Ad IV. Ad Ordinarium.

Ad V. Ad V. Negative ad utrumque et standum Decretis, praesertim recentioribus ad rem datis, uti in uno *Nacheten.*, 16 maii 1902, et in altero *Plurium Dioecesium*, 14 decembris 1904.

Ad VI. Ad VI. Candelam seu Palmatoriam nullo modo esse adhibendam.

Ad VII. Ad VII. Negative.

Ad VIII. Ad VIII. Attentis expositis, consuetudinem servari posse.

Dies (30 iul. 1910.) Atque ita rescripsit, die 30 iulii 1910.

ANNOTATIONES

Ad 3. Ex rubricis et decretis, expositio ac repositio SS. Sacramenti ita fieri debet ut sacerdos vel diaconus propriis manibus ostensorium in throno expositionis collocet aut inde deponat; insuper, post expositionem publicam in qua S. Hostia exponitur in ostensorio, in fine expositionis, antequam SS. recondatur, omnino cum eo danda est benedictio (Decr. 3713).

Ad 4. Ex instructione Clementina, in adoratione XL horarum requiruntur viginti saltem lumina; sacra tamen Rituum Congregatio indulsit ut in ecclesiis maxime pauperibus numerus reduceretur ad duodecim.

In expositione privata quae fit in pyxide sufficiunt sex cerei. Quod ad expositiones intermedias, quae nempe fiunt cum ostensorio et de quibus hic videtur esse sermo, dicendum est non requiri tot cereos quot in adoratione perpetua; iuxta Benedictum XIV certo sufficiunt decem, immo, ex praesenti responso, de venia Ordinarii, saltem si agitur de ecclesiis pauperibus, sufficiunt sex.

Ad 5. Praesenti responso iterum prohibetur usus super altari candelarum ex stearina quae, cum appelletur ad decr. *Nacheten.* 16 maii 1902, aequiperantur illuminationi electricae.

Animadvertendum tamen est, ex decreto *Plurium dioeceseum* 14 dec. 1904, permitti super altaribus candelas quae quidem non sint ex pura cera apum, dummodo saltem in maiori vel notabili quantitate ex eadem cera sint.

Porro, ex praesenti responso, quod est sat severum, ne tolerari quidem potest consuetudo candelas stearinas adhibendi super altari, etsi difficile sit candelas extra altare collocare, et ex altera parte, propter cerae penuriam sumptus faciendi ad adhibendas candelas ex cera nimii esse debeant.

Ad 7. Quidam auctores, verbis innixi rubricae ritualis et missalis de ministranda communione intra missam: *et finita communione non dat iis benedictionem quia illam dabit in fine missae*, putarunt eadem ratione omitti posse benedictionem in distributione communionis ante missam, si certo constiterit omnes communicantes esse mansuros usque ad finem missae. Porro haec opinio hic reicitur: unde patet veram rationem ob quam omittatur praedicta benedictio infra missam, esse quia in casu ipsa distributio communionis pertinet ad ritum (missam scilicet) in cuius fine dabitur benedictio.

I. PAUWELS, S. I.

S. R. C. DECRETA ET ACTA SUMMATIM RELATA

456. — *Beatificationes vel Canonizationes*

Causae beatificationis et canonizationis B. Magdalenae Barat, V. S. D. Viti Di Netta et V. S. D. Iosephi a carabantes.

Die 21-22 iun. 1910, SS. Dominus, in causa Romana seu Parisiensi, commissionem signavit ad reassumendam causam canonizationis B. MAGDALENA SOPHIAE BARAT, Virginis Fundatricis Sororum a S. Corde Iesu; in causa vero Tropien. seu Nucerina Paganorum, commissionem signavit introductionis causae V. S. D. VITI MICHAELIS DI NETTA, sacerdotis professi e C. SS. Redemptoris. Die vero 24 aug. in causa Lucen. signavit commissionem introductionis causae V. S. D. IOSEPHI A CARABANTES, sacerdotis professi F. M. Cap. et Missionarii (A. A. S. 9 sept. 1910, 2, 683. 688 et 10 oct. 1910, 2, 742.)

BIBLIOGRAPHIA [1]

Ascetica

P. Debuchy, S. J. *Fr. Suarez, S. J. De spiritualibus exercitiis S. Ignatii Tractatus, qui continetur l. 9 de religione S. J. cc. 5-7, iterum in luceni prodit.* 1 vol. in-32, 136 p. Parisiis, Lethielleux, 1910.

Ch. De Smedt, S. J. *Notre vie surnaturelle. Son principe : ses facultés : les conditions de sa pleine activité.* Bruxelles. Dewit 1910, 1 vol. in-16 XVI-572 p.

Préface. Introduction. I P. La grâce sanctifiante ; II P. Les vertus surnaturelles. Appendice : Les dons du S. Esprit.

Juan B. Ferreres, S. J. *Las Campanas :* su historia, su benedicion, su uso liturgico, dominio de propiedad sobre ellas, influencia de su toque durante las tempestades, in-16 176 pag. Madrid, Administracion de Razón y Fe 1910. 2e ed.

E. Malou, S. J. *Exercices du chemin de la Croix*, pour les huit jours d'une retraite et pour les différents temps de l'année ecclésiastique. 1 vol. in-18, 363 p. Bruges, Beyaert 1910. Pour les huit jours d'une retraite. Pour l'année ecclésiastique. Retraite de vocation.

Henri Siret. *La vraie " Belgique au travail „* à propos du livre *La Belgique au Travail* de J. Izart. Extrait de BULLETIN DE L'UNION DES INGÉNIEURS sortis des écoles spéciales de Louvain, 1910. Bruxelles, Imprimerie nationale.

L. Spillebout, S. J. *Notions de politesse à l'usage des collèges.* 1 vol. in-32, 116 p. Roulers, De Meester, 1910.

Avant propos. Introduction. Nature et importance de la politesse.
Première Partie. De la Politesse en général.
Deuxième Partie. Pratique de la Politesse.

E. Tibbaut. *Nos missionnaires au Congo* (Brochure). Bruxelles, Hayez, 1910.

Iuridica

Dr Miguel de Arquer, Pbro. *Novisima Disciplina sobre esponsales y Matrimonio.* 2e ed. 1 vol. in-12, VIII-238 p. Barcelona. Gili, 1910.

Introduccion. Cap. I. De los esponsales. — Cap. II. Del matrimonio. — Apendices.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

Historica et oeconomica

H. S. Vermeulen, S. J. *Sociale opleiding der College-studenten.* Antwerpen, geloofsverdediging 1910. 1 vol. in-12, p. 60.

I. Noodzakelijkheid der sociale opleiding. — II. Hoe den socialen geest onder de jongelingen opgewekt. — III. Welke instellingen kunnen de sociale opleiding der studenten bevorderen ? — Opwerpingen. — V. Wenschen. — VI. Program van de sociale studie voor Oudstudentenbonden.

T. Tarducci. *Storia di S. Gregorio Magno e del suo tempo.* Roma, Pustet, 1909, in-8°, pp. XII-500. (Rev. Bénéd. 1909, p. 187-188*).

Gustav. Schnürer. *Bonifatius. Die Bekehrung der Deutschen zum Christenthum* Mainz, Kircheim, 1909, in-8°, pp. VIII, 110.

R. Bour. *Die Benediktiner Abtei S. Arnulf vor den Metzer Stadtmauern.* Metz, 1908, p. 240. (Rev. Bénéd., 1909, p. 201*).

P. Wenzel. *Drei Frauenstifter der Diözese Luttich nach ihrer ständischen Zusammensetzung bis zum XV. Jahrhunderl.* Bonn, Brauch, 1909, in-8°, p. 102.

J. Warichez. *L'Abbaye de Lobbes depuis les Origines jusqu'en 1200.* Tournai, Casterman, in-8°, pp. XXXVI, 360. (Rev. Bénéd. 1909, 210*-213*).

Anjou historique (1909), **Uzureau.** *Etablissement des Filles de la Charité à l'hôpital Saint-Jean d'Angers (1640).* (Rev. des quest. hist. t. XLIII; p. 245.)

Annales Salésiennes (nov. 1908) **Pernin.** *Une lettre inédite de Sainte Jeanne et une page intéressante de sa vie.* (Rev. des quest. hist. p. 248.)

Revue de Gascogne (nov. 1908) **Coste.** *Ordination et première messe de Saint Vincent de Paul.* (Rev. des quest. hist. p. 248).

Jahrbuch des Stiftes Klosterneuburg. Wien, Kirsch, 1908, in-8° pp. VI-352 (Anal. Boll, 1909, 308-309).

SUPPLEMENTA

QUAESITA VARIA

XX. De facultate Confessariorum regularium dispensandi in saecularium votis

Quaerendi occasio. In periodico libello PASTOR BONUS, 1 oct. 1910, R. P. BONAVENTURA ZUGH, O. F. M. a se ex hungarica lingua germanice translatam edidit lucubrationem P. ANTONII UNGHVARY O. F. M. qua contenditur **a**) probabilitate carere sententiam eorum qui regularibus potestatem ascribant vota non tantum commutandi, sed et dispensandi ; **b**) a confessariis regularium vota simplicia, etiam non reservata, practice dispensari non posse. De ista itaque communis persuasionis improbatione, quae ipsos receptissimos usus mutatos velit, **quaeritur** quid sit sentiendum ?

R. Quaestioni isti ut, sine multis verbis, satisfacere conemur, dicemus quid, perspectis solis scriptis monumentis, et quid considerato ipso usu ac communi persuasione, respondendum sit.

1. Quid habeant *scripta monumenta ?*

Laudatus P. UNGHVARY, praeter vivae vocis oraculum INNOCENTII VIII et IULII II, vim examinat C. EUGENII IV, *Etsi quaslibet* [1], die 30 iunii 1436 ; C. SIXTI IV, 1474 ; Brevis PAULI III, *Cum inter cunctas,* 3 iun. 1545, C GREGORII XIII, *Decet Romanum Pontificem* 3 maii 1575, et C. LEONIS X, *Etsi a summo*, 4 iul. 1513.

E quibus monumentis nihil pro votorum dispensatione effici posse arbitratur.

Nihil ex oraculis vivae vocis, cum CLEMENS XII C. *Romanus Pontifex*, 12 febr. 1731, eadem revocave-

1 Constitutio ista in generalibus Bullariis desideratur, habetur autem in Bullario Rodericii, n. XI, p. 78, 79 ed. Antwerp, 1623.

rit ; — Nihil ex C. EUGENII IV, quia verbum *dispensare* ad casus reservatos non autem ad vota fidelium referatur ; — Nihil ex C. SIXTI IV, cum usus facultatis sit personis subditis circumscriptus ; — Nihil ex Brevibus PAULI III et C. GREGORII XIII, cum non loquantur nisi de commutatione ; — Nihil ex C. *Etsi a summo*, LEONIS X, cum potestatem tantum dispensando commutandi regularibus tribuat. Sin minus, frustra, ante dispensandi facultatem, potestatem commutandi esse in praedicta Bulla memoratam, nec explicari posse cur postea BENEDICTUS XIII suo Praedicatorum Ordini et LEO XII C. *Plura inter*, 11 iul. 1826 mere commutandi vota facultatem fecerint.

Hactenus, laudatus R. P. UNGHVARY. Verum enim vero :

Praetermittit IULII II C. *Etsi ad universos*, 4 iun. 1507 (Bull. TAURIN, t. 5, p. 444 ss. § 32, p. 452) ; — eiusdem Pontificis C. *Inter ceteros*, 2 april. 1512 (B. Taur. t. 5, p. 516 ss., § 29, p. 523. B. R. t. 1, p. 525 ss.)

Utraque Constitutione IULIUS II duobus religiosis Ordinibus potestatem tribuit in vota iisdem verbis quibus deinde LEO X usus est : « et vota per eos (confitentes) pro tempore emissa in omnibus et singulis casibus locorum Ordinariis etiam per synodales seu provinciales constitutiones reservatis, in alia pietatis opera commutare et desuper cum iis voventibus dispensare, exceptis tamen censuris, poenis, votis et casibus super quibus esset Sedes praefata merito consulenda ».

Praetermittit etiam Constitutionis *Etsi a summo* 4 iul. 1513, paragraphum 4, ubi LEO X haec habet : « Et volumus ut quicquid dubii in dictis et in hoc etiam privilegio seu in aliquo eorum pro tempore emerserit, id, data verborum ambiguitate et iurisperitorum interpretatione, in favorem dictae Congregationis de novo erectae et locorum particularium eiusdem Congregationis interpretari debeat. » (B. Taur. p. 544.) Inde sic argumentari licet :

Saeculo XVI, tres Pontificum Constitutiones variis Ordinibus religiosis facultatem fecerunt qua confessarii religiosi possint saecularium vota non reservata « in alia pietatis opera commutare et desuper cum iis voventibus dispensare ».

Verba ista talia profecto sunt quae de facultate dispen-

sandi intellegi queant. « Certe, observat prudens F. PIAT, O. F. M. Cap. valde difficile est negare ibi dari confessariis regularibus potestatem in votis non exceptis dispensandi [1] ». Iam vero, quem ad modum, allatis minus perspicuis documentis, aiunt iam Salmanticenses : « communis sententia Doctorum, tam ex antiquis quam modernis, dicta privilegia et alia plura de facultate dispensandi intellegunt et interpretantur [2]. Hinc inducta est consuetudo sic intellegendi et adhibendi facultates. Consuetudo autem est optima legum interpres.

Parum movemur contrariis R. P. UNGHVARY rationibus. Cum enim tum S. Sedis usus, cum voventium utilitas postulent ut simplex dispensatio sine necessitate non concedatur, minime supervacaneum fuit de commutatione verba facere eamque dispensationi quasi coniungere. Id ipsum senserunt Salmanticenses, cum scriberent : « Quia... saluberrimum est consilium ut semper cum dispensatione admisceatur commutatio, scire debent (confessarii) ipsos et dispensare posse et commutare, ut utrumque coniungere debita cum consideratione valeant [3] ». Nihil enim repugnat quin quispiam *delegatam* accipiat dispensandi, non autem commutandi potestatem. Quod autem idem Reverendus Pater velit ex actis BENEDICTI XIII (1724-1730) et LEONIS XII (1823-1829), qui ultra duo vel tria saecula a IULIO II et LEONE X distant, horum diplomata explicare, satis peregrinum videtur. Potuit enim S. Sedes novis privilegiis strictiorem usum dare. Quamquam haec non plene allegantur. LEO enim XII, eadem constitutione, praeter perpetuas facultates, alias in viginti annos renovandas societati Iesu tribuit [4] inter quas posteriores facultas dispensandi in votis diserte commemoratur.

Quid, quod dicta Rev^di^ Patris interpretatio offendit in generalem regulam qua privilegia Regularium late interpretanda dicuntur ; quae regula, in praesenti causa, verbis, supra recitatis, LEONIS X omnino confirmatur et sancitur ? Sed etiam consideremus:

2. Quid, considerato *ipso usu ac communi persuasione* respondendum sit.

---

1 *Praelectiones iuris regularis*, t. 2, p. 506, nota 3 ed. 1.
2 *Theol. mor.* t. 17, c. 3, punct. 2, n. 94.
3 Ibidem, n. 94.
4 Facultas ista, cum perpetua non sit, aliis Ordinibus prodesse nequit.

3. Ex quo dispensandi vota facultas permultorum doctorum calculo a pluribus saeculis ad religiosos pertinere est affirmatum, suaque auctoritate idem comprobat S. ALPHONSUS [1], cuius placitis (nisi contraria prodierint S. Sedis oracula) tuto adhaerere nos posse ipsa S. Sedes declaravit, legitima profecto invaluit apud regulares consuetudo dispensandi in votis, quae, cum a S. Sede numquam improbata sit, ipsa per se sufficit ad facultatem conferendam [2].

Quare conclusionem R^i Patris Unghváry, speculative labilem, practice prorsus improbabilem, salva auctoris reverentia, iudicare debemus.

Ceterum, in re quam proxime edendus codex canonicus clare definiet, diutius immorari non iuvat.

XXI. **De decreto « Ecclesia Christi » 7 sept. 1909, quo varii postulantes recipi vetantur, addita nullitatis sanctione**

1. Titius in schola apostolica, Caius in seminario episcopali, dum litteris vel theologiae student, tam parum ad humaniora vel superiora studia valere se demonstrant, ut, quamvis eximia probitate commendentur, a Superioribus dimittantur. Domum reduces, uterque petunt ut tamquam *fratres conversi* in religiosum Institutum cooptentur. Num decreto *Ecclesia Christi* recipi prohibentur?

R. Si mere ratio istius decreti consideretur, satis perspicitur ex dimissione quae defectu ingenii litterarii tota innititur, nihil colligi quod eorum cooptationi inter fratres laicos adversetur. Quare decreto quod cooptationem mere prohiberet eos facile exemptos diceremus. Sed cum lex simul invalidam declaret cooptationem postulantium quos excludat, ac verba legis in utrumque cadant, tutiores partes amplectendae sunt, atque opportuna dispensatione utrique consuli potest ac debet.

Ab EL ARCHIVO RELIGIOSO HOSPITALARO, 1910, p. 364, exemplum mutuamur modi quo S. Congregatio eos dispensat quibus ex decreto *Ecc. Christi*, aditus

---

[1] *Theol. mor.* l. 4, tr. 2, n. 257.

[2] Neque istud est neglegendum, etiam si facultas dispensandi mere concedatur esse probabilis, illud plane sufficere ut confessarii regulares tuto a votis dispensent. Supplendo enim, Ecclesia certam facit iurisdictionem antecedenter probabilem.

ad vitam religiosam sine apostolico beneplacito praecluditur. Iuvenis quidam e seminario egressus erat, non quod dimissus esset sed quia superior ipsum consilio et petitione ad egrediendum hortatus erat, iudicans in ipso sacerdotalem vocationem desiderari. Optimas tamen ei dedit testimoniales litteras, ipseque iuvenis ingressum postulavit Ordinis S. Ioannis de Deo. R. Pater Provincialis de causa ista Sacram Congregationem interrogavit. Haec autem, paulo ante decretum 7 sept. 1910, permisit ut candidatus cooptaretur, « dummodo postulans scriptam daret declarationem qua testaretur, Sacros Ordines sibi nullatenus arrogare. »

2. In annotationibus t. 5, p. 55, inter instituta laica, quod decretum *Ecclesia Christi* spectat, numerata sunt *minora seminaria* Belgii, quia ab institutis laicis regimine nullatenus differant. Cum tamen cl. P. BASTIEN in nuperrima editione sui DIRECTOIRE CANONIQUE, p. 65 nota, declaret se huic sententiae calculum adicere non posse, num satis certa est ut ad usum traduci possit?

R. Satis certa nobis videtur, tum quia manifesto argumento fulcitur, tum quia ex minus accurate ad se relatis factis R. P. BASTIEN diversam conclusionem hausisse videtur. Et re quidem vera :

a) Cur a *laicis ecclesiastica* collegia distinguuntur? Quia *alumni* qui capessendum statum ecclesiasticum studiis operam dant, ipsi suo consilio, si boni atque idonei sint, moveri debent ut magis morigeratos se prodant; ipsi rursus magistri ac moderatores in sua actione vocationis istius respectum non neglegent. Si autem pro plerisque alumnis Institutum quod *minoris seminarii* nomine decoratur nihil nisi nomine a communi collegio differt, si de statu suo futuro nondum cogitarunt, qua quaeso iustitia, alumnos istos aliter atque alumnos communis collegii tractaveris? Rationabilem sacro legislatori voluntatem imputare possumus ac debemus.

b) Res autem ita in Belgio se habent. Non tantum nullus clericalis vestitus ab alumnis minorum seminariorum assumitur, sed de nulla futuri status intentione per se interrogantur. Sicut in aliis collegiis, sub finem studiorum humaniorum, spiritualia exercitia ad eligendum vitae statum ipsis traduntur. Num tunc saltem plerique pro clericali statu optant? Nequaquam. Et

collegia sunt *laica* quae multo plures quam quaedam minora seminaria candidatos vitae clericalis instituere *solent*. Ut exemplis rem conficiamus, in Mechliniensi parvo seminario, valde pauci ex humaniorum litterarum studiosis clero nomen dare consueverunt, in minore seminario Wavriae *(Basse-Wavre)*, ex 12 rhetoricae alumnis, 3 vel 4 fiunt clerici; in minore seminario Bonae Spei *(Bonne-Espérance)*, laetantur moderatores si 1/3 pars rhetoricorum inter philosophos ascribi petuntur (quamquam neque hi omnes pro clericali vita optabunt); quae minora seminaria dimidiam rhetoricorum alumnorum ecclesiastico statui deputant, « vocationibus » ut aiunt abundare dicuntur. Et quot alumni, ante completa studia, litteris excolendis valedicunt ! De minore seminario S. Trudonis iuvat magis accurate dicere.

Anno	Rhetoricae alumni	Philosophiae alumni	Seminarium theologicum ingressi sunt
1904-05	37	11	5
1905-06	34	10	7
1906-07	37	13	10
1907-08	37	20	10
1908-09	22	6	6

Philosophicae scholae tamen magis ad theologica studia ordinantur. Cuius rei facilis est explicatio. Dum enim humaniora minoris seminarii studia Universitati aditum parant, philosophica eorum studia legali valore destituuntur ac pro civilibus statibus inutilia sunt. Quibus dictis, facile, ni fallimur, in sententiam nostram concedetur, nec sine ulla ratione causae similes non simili modo iudicabuntur.

XXII. **De potestate Abbatum ordinandi subditos suos**

Indultum quandoque est ut simplex professio, ante sollemnem, triennalis foret non autem perpetua Hinc **quaeritur** : Professi votorum simplicium temporalium possuntne ab abbate ordines minores accipere, an debent ab Episcopo ordinari ?

R. Ratio dubitandi ex eo repetitur quod Abbas valide personas tantum sibi subditas ordinare potest. Iam vero elapso triennio votorum simplicium prorsus integrum erit professis de quibus in casu, monasterio valedicere.

Censemus tamen facultatem conferendi his professis minores ordines ab Abbate minime abiudicandam esse. Praesens enim, non autem perpetuum oboedientiae vinculum lege canonica postulatur. Ceterum, cum ipsa simplex professio, etiam perpetua, tamquam altera quaedam probatio a regularibus postuletur, cum in Institutis votorum simplicium Superior litteras dimissorias ad minores ordines etiam religiosis votorum temporalium concedere possit, praevisio vel facilitas discessus his aliis exemplis auctoritati in ordinationem minime obstare demonstratur.

XXIII. **De Missionariorum casibus**

1. *De baptismo.* Mulier quaedam catechumena talem animi defectionem passa est ut Missionarius, frustra tentatis remediis, eam morti proximam iudicarit et baptizarit his verbis : « Si tu es disposita, ego te baptizo, etc. » Subinde tamen, restituto sensuum usu, a missionario interrogatur : « Visne baptizari » — « Nolo, respondit, nullo enim gravi morbo laboro. » — Observes barbaros istos sollemnis baptismi esse cupidos ac privato baptismo, sine caerimoniarum apparatu, satis repugnare. **Quaeritur** quid bene vel minus benefactum, quid nunc agendum sit.

R. a) Bene fecit Missionarius, dum condicionatum conferre voluit baptismum. Quamvis enim, contra atque existimat R P. MICHEL [1] (Missionariorum Alger.), de habituali ac permanente baptismi voluntate in catechumeno dubitandum non sit, magis incerta est ipsius voluntas ut *nunc* baptismum cupiat. In vero quidem atque instanti mortis periculo, voluntas ista non desideratur ; sed de ipso periculo missionarius firmum iudicium habere non potuit ac re vera erravit.

b) Male autem condicionem expressit per verba quae ad *liciti* baptismi sicut ad *validi* baptismi condiciones aeque referri possunt. Sic dicere debuerat : « Si vis baptizari », vel melius etiam : *si capax es*, quae verba ad exprimendam omnem necessariam condicionem semper apta sunt.

c) Mulier ista procul dubio iterum *sub condicione*

---

1 *Questions pratiques sur le baptême dans les missions*, p. 35 (2e éd.)

baptizanda est. Duplex enim est causa dubitandi de prioris baptismi valore: voluntas mulieris, male expressa condicio. In novo baptismo, missionarius dicet: *Si non es baptizata*, vel, *si capax es.*

2. *De Matrimonio dubio vel nullo.* A. Polulu quidam polygamus, a secunda uxore Nkenge deseritur. Haec tamen, nuntio accepto morbi primae uxoris tectum Polulu repetit et officiis domesticis per paucos dies fungitur. Prima uxor moritur. Ex ipsa viduitatis lege, Polulu omni commercio sexuali abstinere debet. Vix autem iusta funebria persoluta erant, cum Nkenge rursus aufugit et vicum petit christianum. Potestne Missionarius illi permittere ut ibi maneat et catechumenis ascribatur?

R. In praesenti hominum condicione, Polulu unam tantum potuit veram habere uxorem, quae, nisi adiuncta aliud suadeant, prima praesumitur esse ex iis quas duxit.

Mortua autem prima uxore, perseverans prior consensus non satis est ut validae fiant alterae nuptiae prius contractae, sed novo consensu opus est.

Nullum autem novi consensus indicium ex propositis factis colligi potest.

Sed etiamsi quodpiam fuerit, licet de matrimonio *dubio* pronuntiare id quod magis ad fidem interesse videatur.

Itaque Missionarius, sine ullo scrupulo vel interpellatione, mulierem de fide doceat, edoctam autem et baptizatam viro catholico socet.

B. Miles Kabinko mulierem Mfutila concubinam habet. Ambo catechumeni sunt et baptismum postulant. Valde tamen timet missionarius ne per aliquod tempus separatim vivere renuant.

Kabinko olim derelictus est a quadam muliere quacum nuptias fecerat, quae temporales tantum fuisse probabiliter iudicari possunt.

Ipsam Mfutila avunculus quidam servo fugitivo sed reduci coniunxerat ut, propter sponsam, servus fugiendi consilia abdicaret. Vitam tamen communem mulier satis libenter, servus autem potius invitus admisit. Quare elapso anno mulierem Mfutila gravidam deseruit.

Quaeritur quomodo isti casui provideri possit?

R. Ambo haec ante oculos potissimum habenda sunt: Baptismus catechumenis tantum bene dispositis licite conferri potest ; — Matrimonium vere dubium potest, prout causa fidei postulaverit, pro valido vel invalido haberi.

Hinc prius examinandum est utrum praesens militis Kabinko et mulieris Mfutila coniunctio speciem quandam matrimonii praeferat, in quo bona fide et sine scandalo permanere possint, an aperti et scandalosi concubinatus nota inficiatur. In hoc altero casu, vera paenitentia de concubinatu est ab utroque catechumeno ante baptismum exigenda, dum in priore casu, quatenus prudentia sinat, bona fides destruenda non est.

Praeterea, in hoc altero casu, de valore prioris coniunctionis prudens examen semper faciendum est. Ac nuptiae militis cum priore muliere negotium non facessunt. Iam ex se potius nullae videntur. Miles ergo iuret sibi numquam perpetuae coniunctionis voluntatem fuisse. Ac sic, perfecta exploratione, missionarius matrimonium istud, nullum vel dubium, in favorem fidei neglegere poterit.

In contubernio Mfutila cum servo fugitivo, repugnantia servi suspicionem nullitatis ingerit. Sed mores regionum hic maxime considerandi sunt.

Quare qui in illis regionibus missionarius est, prudenter causam istam aestimet. Si probabile putet mulierem numquam veram fuisse illius servi uxorem, conetur argumentis quae praesto sint, saltem per iuramentum Mfutila veritatem indagare. Servus enim cum fugitivus sit, interrogari posse non videtur. Denique si dubium matrimonium videatur, iterum neglegi poterit. Si vero moraliter certum fuerit, ambo baptizari non poterunt nisi separari voluerint, sinceramque admittere prioris viri interpellationem, ita ut ad privilegium fidei adhibendum verum ius sibi comparent.

3. *De errore substantiali in matrimonio.*

Missionarius quidam in regione satis barbara, dum stata die magnam quandam stationem visitabat, pluribus, viginti vel triginta, matrimoniis assistere debuit. Quae celebrationes uno tenore fieri consueverant, ita ut, congregatis omnibus sponsis, singula paria ordinatim procederent et coram missionario ac duobus testibus mutuam sui traditionem facerent et acciperent.

Dum autem ceteri omnes fidem alicui puellae dederant atque ab eadem recipere visi erant, ultimus accessit iuvenis sine sponsa.

Rem miratus missionarius, mox, exploratione facta, magno stupore suo detegit ab initio errorem commissum esse.

Primi vel secundi sponsi futura coniux cum abesset, quae ordine proxima erat iussa erat uno gradu procedere, ita ut cum alieno sponso comparuerit et fidem coniugalem huic dederit. Sponsi quidem de assumenda uxore quam re vera volebant interrogabantur. Sed missionarius interrogans, Bertham, quam sponsus volebat, nominabat, sed ei Caiam ostendebat, Caiae vero sponsum non suum accipiendum proponebat.

Sub initio quidem responsa cum aliqua difficultate obtenta sunt, sed posteriores, priorum exemplo confirmati et auctoritati missionarii cedentes,singularem istum ritum, nihil repugnantes observarunt. Re denique detecta, iussit missionarius ut statim omnes, reformato ordine, iterum se sisterent coram ipso, ut mutuo consensu secundum veram intentionem suam matrimonium contraherent.

Quaeritur iam utrum priores nuptiae an posteriores tantum validae fuerint, et utrum missionario licuerit commissos in iungendis sponsis errores statim corrigere, an processus canonici prius perficiendus esset.

R. Ad 1. Quamvis non repugnet ut, mutato animo, Titius qui Bertham quampiam ducere proposuerat, Caiam, consentientem et repromittentem, statim sibi in uxorem valide assumat, ista animi mutatio, nisi externo argumento confirmetur, prorsus improbabilis est neque est supponenda. Quare in praesenti casu nullus sponsus illi puellae ligatur quacum ex missionarii errore dextram iunxit.

Sed neque alii quam ducere volebat et nominabat est obligatus. Haec enim de altero sponso interrogata, per verbum *volo*, veri sponsi sui traditionem externe acceptare et eidem se tradere nequivit. Prorsus ergo defuit externa mutui consensus significatio.

Ad 2. Si verba severae sed sapientis legis consideraveris, cum matrimonia ista externa specie nullatenus caruerint, omnes sollemnitates impetrandae declarationis nullitatis necessarias dixeris. Lex tamen ista aliquam, ut nobis videtur, matrimonii possessionem, seu matrimo-

nium plene celebratum supponit. Quare obstare non videtur quin manifestus error moraliter in ipsa celebratione corrigatur. Quam promptam correctionem gravissimae morales considerationes postulabant. Bene ergo Missionarius iussit ut, neglecta priore caerimonia, celebratio matrimoniorum ex integro repeteretur.

4. *De negotiatione.*

a) In barbara Africae parte, solent incolae cuiusdam regionis propria uti moneta. Hanc ut sibi comparent, possuntne missionarii secum ex Europa asportatas merces incolis vendere ac sic obtentam monetam in rebus sibi utilibus coemendis adhibere ?

b) Missionarii varias res in horreo collectas habent. Licetne ipsis operas conductas vel res emptas solvere, non numerata pecunia, sed schedulis quae indigenis ius tribuant obtinendi ex horreo salem, pannum et alias sibi utiles merces ?

R Statim perspicitur quaestionis difficultatem non versari in ipsa commutatione, quae in se honestissima est, sed in lucro quod ea occasione missionarii faciunt. Si enim, in priore casu, eo pretio venderent et in altero casu eam mercium copiam traderent, ut refectis etiam sumptibus itineris et assecurationis pro rerum amittendarum periculo, nullum proprie dictum lucrum ex commutatione obtinerent, nulla etiam scrupuli ansa daretur. Sed si merces iusto Europae pretio emptae, iusto Africae pretio venduntur, lucrum fit, quod facile ex negotiatione quaesitum videri potest. Missionarii autem quaestuosa negotiatione omnino prohibentur.

Quid itaque dicendum est ?

Ut lucratoria negotiatio habeatur, oportet ut ad *faciendum lucrum* ex commutatione emptio facta sit. Negotiator enim is est qui propter lucrum commutationem quaerit. non autem qui ex commutatione, propter alios fines utili vel necessaria, lucrum per accidens percipit.

Quare, ad **a**) si vere ad comparandam specialem illam pecuniam, quae instrumentum est commeatuum, commutationes fiant, nec comparetur nisi ea pecuniae copia quae missionariis vere utilis esse prospicitur, videtur licere ut pretio ibi consueto sic merces vendantur, quamvis pretium rei in Europa, computatis expensis, notabiliter pretio isti cedat. Nisi tamen valde sincere et cirumspecte agatur, modus iste agendi periculo non

vacabit. Responsio nostra aliquo modo confirmatur responso Prop. Fidei pro Sinis, 13 aug. 1834 (n. 836 Collect.) quo declaratur posse missionarios « securitati subsidiorum sibi debitorum et missionis ipsius bono consulere accipiendo per modum permutationis merces pecuniis sibi debitis emptas easdemque ad se debitas vendere et suum facere pretium. »

Quod ad **b**), casus iste facilior est. Dummodo iustum tribuatur salarium, et opifices hanc remunerationis rationem libenter admittant vel onus ipsis sic impositum maiore mercede noverint compensatum, nihil usus ille continet quod quaestuosae negotiationis vitio corrumpatur. Venditio non est, sed solutio.

5. *De modo quo in missionibus observanda sunt quae Motu proprio « Sacrorum antistitum » praecepta sunt.*

Motu proprio « Sacrorum antistitum » 1 sept. 1910, varia Enc. *Pascendi*, 8 sept. 1907 praecepta prius confirmantur, ac dein nova quaedam observanda statuuntur.

Ex prioribus praeceptis potissimum est de consilio vigilantiae instituendo et in alterum quemque mensem congregando. Id vero Episcopis diocesibus praecipitur. Quare Episcopi quidem qui residentialem sedem in missionibus, v. gr. Indiarum Orientalium, occupant, lege ista tenebuntur, nisi propter rei difficultatem et in illis partibus, inutilitatem, ex Apostolico Indulto dispensentur ; sed Vicarii Apostolici praecepto non obligantur.

Contra autem nova Motu proprio praescripta omnes Ordinarios universi Orbis afficiunt. Itaque etiam Vicarii Apostolici et Praefecti Apostolici curare debebunt ut iuramentum Motu proprio praeceptum rite emittatur.

De tempore autem quo prima haec iurata fidei professio facienda est, quia in pluribus missionum partibus, ante 31 dec. 1910, fieri non potuit, dicendum est satis esse ut quam primum fiat, scripta ista ratione quae declarationibus 25 sept. 1910 permittitur. Ubi autem parochiae vel beneficia proprie talia desint, personae quae modernismum abiurare debent ferme erunt clerici ordinandi, sacerdotes sacris confessionibus audiendis vel obeundis ministeriis sacris destinati, professores seminarii theologici, et superiores religiosi. Curiam enim proprie talem vel parochos cum Vicarii Apostolici non habeant, numeris 3 et 4 legis 1 sept. 1910 locus in ipsorum missionibus esse non videtur.

MONUMENTA.

457. — S. C. S. OFFICII

DECLARATIONES 2-4 DEC. 1908 ET 20-21 APRIL 1910

De sanatione in radice matrimonii mixti [1]

A. *Declaratio 2-4 dec. 1908*

Beatissime Pater,

Orator,

Ordinarius Cincinnaten., ad pedes Sanctitatis tuae provolutus humiliter haec exponit:

Narrato frequenti facto et disciplina superioris iuris.

Saepe contingit in nostra dioecesi ut catholici matrimonia ineant cum haereticis coram magistratu civili vel ministello haeretico. Pars catholica ad meliorem frugem conversa parata tunc est omnia praestare ad matrimonium convalidandum; pars autem acatholica, quamvis profitetur se stare velle matrimonio inito, tamen obstinate recusat renovare consensum coram sacerdote catholico.

Dubium *de praesenti facultate proponit.*

Olim, iuxta facultates a S. Sede concessas huic difficultati satisfiebat per sanationem in radice; post decretum latum « Ne Temere » dubium oritur an etiam nunc Ordinarius facultate illa concessa scilicet de sanatione in radice in talibus casibus uti possit. Ordinarius Orator igitur petit a S. Sede huius dubii solutionem.

Dies (2 dec. 1908).

Feria IV die 2 decembris 1908

Responsum.

In congregatione Generali habita ab E^mis^ R^mis^ D^nis^ Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, proposito supra scripto dubio, praevio RR. DD. Consultorum voto, iidem E^mi^ decreverunt: « Ordinarius uti potest facultate iam habita convalidandi matrimonia in expositis circumstantiis ».

Facultas perseverat.

Confirmatio pontificia.

Feria vero VI eiusdem mensis et anni, SS^mus^ D. N. Pius divina providentia Papa X per facultates E^mo^ ac R^mo^ D^mo^ Cardinali S. R. et U. Inquisitionis Secretario impertitas, resolutionem E^morum^ Patrum approbavit

Aloysius Castellano, S. R. et U. I. Not.

B. *Declaratio 20-21 april. 1910*

Beatissime Pater,

Orator,

Episcopus Natchitochensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter quae sequuntur exponit:

---

[1] Monumenta exscribimus ex CANONISTE CONTEMPORAIN, t. 33 (1910) p. 737-739, prodierunt autem prius in ECCLESIASTICAL REVIEW, 1910, p. 57.

Proposita facultate sanandi Episcopis concessa,

In facultatibus quae Episcopis Statuum foederatorum Americae Septemtrionalis concedi solent, invenitur (Forma D, n. 3) facultas dispensandi in disparitate cultus, necnon (ibid., n. 6) sanandi in radice matrimonia ratione huius impedimenti invalide contracta; quae ultima facultas ulterius definita fuit in responso S. Congr. S. Officii Episcopo Covingtonensi 22 aug. 1906.

Dubitat *de eius vi praesenti,*

Iam vero dubitatur an huic facultati sanandi in radice matrimonia adhuc locus sit post Decretum « Ne temere » 2 aug. 1907, quod requirit assistentiam parochi et testium pro validitate matrimoniorum catholicorum etiam cum acatholicis, siquidem Episcopi dispensare non valent in clandestinate.

Allata ratione.

Et varia de re sententia.

Sunt qui putant hanc extraordinariam facultatem Episcopis concessam, et tam recenter (in Covingtonen. 1906) authentice declaratam et definitam, nec umquam revocatam, integram manere etiam post decretum « Ne temere », et arguunt novam istius Decreti clausulam de clandestinitate respicere tantum matrimoniorum celebrationem, non autem obstare sanationi in radice per usum huius specialis facultatis, quae sanatio non est celebratio matrimonii, sed tantum revalidatio consensus iam antea dati.

Alii vero tenent opinionem contrariam, dicentes quod regula Decreti « Ne temere » est generalis, requirens praesentiam parochi et testium pro omnibus catholicorum matrimoniis, nec ullum faciens discrimen inter celebrationem matrimonii et eius revalidationem.

Alii tandem distinguendum esse putant inter matrimonia invalide inita ob solam disparitatem cultus, i. e., antequam Decretum « Ne temere » vim legis habebat, et ea quae post illud tempus contracta fuerunt, ideoque nulla sunt etiam ob clandestinitatem.

Et duo genera casuum describit,

Sequentes casus non raro occurrunt:

Maria, mulier catholica, matrimonio mere civili iuncta est viro infideli. Iam cupit Ecclesiae reconciliari et matrimonium suum revalidari, sed vir renuit renovare consensum coram presbytero et testibus.

Bertha, quae numquam baptizata fuit, nupta est viro protestantico baptizato. Iam desiderat fidem catholicam amplecti; sed vir adduci non potest ad consensum ritu catholico renovandum.

De quorum convalidatione **quaerit.**

Quaeritur ergo

1. An in primo casu locus sit sanationi in radice si nuptiae istae civiles contractae fuerint antequam Decretum « Ne temere », vim legis obtinuit, ita ut invalidal sint tantum ob impedimentum disparitatis cultus?

2. Et quid in casu quo eaedem nuptiae initae fuissent post Decretum « Ne temere », ita ut nullae sint etiam ratione clandestinitatis?

3. Si Episcopus sanare non valeat hoc matrimonium in radice, sitne alia via illud revalidandi praeter recursum ad S. Sedem?

4. Quomodo revalidari possit matrimonium in secundo casu?

Dies (20 april. 1910.)

Feria IV, die 20 aprilis 1910

In Congregatione Generali S. R. U. Inquisitionis, propositis suprascriptis dubiis E^mi^ ac Rev^mi^ DD. Cardinales universales Inquisitores respondendum mandarunt:

Responsa.

Ad 1. In casibus huiusmodi, in territoriis ubi non vigebat caput Tametsi, locum esse facultati articuli 6 formulae D; in territoriis vero ubi caput *Tametsi* publicatum erat, indigere Episcopum pro dispensatione speciali facultate.

Ad 2. Sanari non posse vi praedicti articuli.

Ad 3. Recurrat ad Sanctam Sede pro sanatione, aut obtineat facultatem dispensandi super impedimento clandestinitatis.

Ad 4. Provisum in praecedenti.

Approbatio Pontificia.

Et insequenti feria V eiusdem mensis et anni, SSmus D. N. Pius divina providentia Papa X, in solita audientia R. P. D. assessori Santi Officii impertita, habita de supra dictis relatione, responsum Emorum ac Rmorum Patrum approbavit et confirmavit.

Aloysius Castellano, S. R. et U. I. Not.

ANNOTATIONES

1. Altero supplici libello prior interrogatio et responsio melius capiuntur. In summa, haec quaestio vertebatur. Episcopi Statuum foederatorum Americae Septemtrionalis facultate pollent sanandi in radice matrimonia nulla ob impedimentum a quo dispensare potuerant. Cum autem in longe maiore illius republicae parte decretum *Tametsi* promulgatum non esset, matrimonia partis catholicae cum parte non baptizata ibi ob solam cultus disparitatem nulla erant. In qua disparitate cum Episcopi dispensare possent, matrimonia ideo nulla etiam in radice sanare poterant. Sed, promulgato decreto *Ne temere*, accessit nullitas ex clandestinitate, in quam Episcopi illius regionis nihil poterant. Quare bene intellegitur cur de priore casu quem Natchitochensis Episcopus proposuerat S. Officium responderit secundum tertiam sententiam, quae distinguebat inter matrimonia ante vel post decretum *Ne temere* contracta. Quod autem ad IV responderit *provisum in praecedenti*, hoc sic interpretamur, ut facultates americanae valeant ad sanandum in radice matrimonium contractum inter virum protestantem et mulierem infidelem quae iam catholica fieri velit. Etenim, voces *in praecedenti* non ad tertium tantum sed ad tria simul sumpta priora responsa referendae sunt. Porro, in his regula ponitur facultates americanas valere aut non valere prout partes lege clandestinitatis exemptae essent vel tenerentur. Age vero, ex art. XI § 3 Decreti *Ne temere*, acatholici, sive baptizati sive non baptizati, qui inter se contrahant, decreti forma non tenentur. Sola ergo in casu obstabat disparitas cultus, a qua episcopi americani dispensare poterant.

2. Ut autem casus obtineat de quo Ordinarius Cincinnaten. (in hac archidioecesi decretum *Tametsi* promulgatum non erat) interrogabat supponendum est aliud impedimentum atque clandestinitatem valori matrimonii obstitisse. Sin minus, superiore iure vigente, matrimonium validum fuisset ab initio. Cum autem universalis ipsi licentia fiat utendi suis prioribus sanandi facultatibus, re ipsa amplior quam habebant vis iisdem addicta est. Atque haec causa esse videtur cur SSmus resolutionem istam non simpliciter approbaverit, sed opportunas simul facultates suppleverit.

3. Monet R. D. BOUDINHON (l. c. p. 742) ab episcopis americanis Indultum quod desiderabatur obtentum esse.

458. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESCRIPTUM 12 AUG. 1910

Dispensatio a decreto Delegati apostolici [1]

Beatissime Pater,

Orator,

Dispensationem **petit** *a decreto Delegati Apci.*

Memoratis incommodis unionis officii parochi et Guardiani, et iuris praesentis dispositione.

Vicarius Provincialis Fratrum Minorum, ad regularem Bononiae Provinciam pertinentium, se ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provolvit, et nomine tam suo quam Definitorum Provincialium enixe dispensationem implorat a Decreto quod Archiepiscopus Mutinensis, qua Delegatus Apostolicus, tulit, cuius nempe vigore Guardianus Fratrum Coenobii Sancti Cathaldi extra moenia in Suburbiis Civitatis Mutinensis foret simul Parochus Ecclesiae parochialis ad idem Coenobium pertinentis eidemque adiunctae; quoniam cumulatio duorum officiorum in una eademque persona alterutri ex officiis noxia practice saepe resultat, et non semper in una eademque persona omnes qualitates ad utrumque munus fructuose explendum reperiuntur, atque demum tale Decretum etiam Iuri communi hodie vigenti refragatur, ex quo Superior Regularis esse simul Parochus inhibetur [2].

Et Deus, etc.

Gratia *in forma commissoria.*

Vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, audita relatione Patris Procuratoris Generalis, Patri Ministro Generali benigne commisit, ut petitam dispensationem a Decreto Ordinarii Loci pro suo arbitrio et conscientia concedat. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Clausula.

Dies (12 aug. 1910).

Datum Romae, 12 augusti 1910.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praef.*
Franciscus Cherubini, Subsecret.

---

[1] Decretum mutuamur ab Analecta Ecclesiastica, t. 18 (1910) p. 410, omissa inscriptione quae nobis vitiosa esse videtur.

[2] Cfr. Lucii Ferraris « Bibliotheca » ad vocem « Parochus » art. II num. 85, in quo sequens reperitur generale Decretum, a Sacra Congregatione super Disciplina Regulari editum sub die 28 mensis maii anni 1715 : « Mature discussa in Sacra Congregatione super disciplina Regulari, habita sub die 28 maii currentis anni 1715, causa incompatibilitatis Prioratus Conventus Sancti Marcelli de Urbe Ordinis Servorum B. M. Virginis et curae animarum eiusdem Ecclesiae, unitim in persona Patris Hieronymi Allegri, Eminentissimi Patres, auditis partibus, unanimiter censuerunt praedicta duo munia esse inter se incompatibilia, et insùper nominationem praefati Patris Allegri in Priorem dicti Conventus esse nullam. Mandantes insimul, Sanctissimo Domino Nostro approbante, ut enuntiata duo officia seorsim provideantur in omnibus et singulis Conventibus cuiuscumque Ordinis, Societatis, aut Instituti, quibus Cura animarum incumbit, aut incumbere contigerit. Et ita perpetuo et inviolabiliter observetur, sub poenis arbitrio eiusdem Sacrae Congregationis. »

S. R. Card. Imperialis, *Praef.* — *I. De Vico, Secretarius.*

459. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESCRIPTUM 20 AUG. 1910

De canonica sede Tertiariorum in Gallia [1]

Beatissime Pater,

Oratores.

Ministri Regularium Provinciarum Galliae, Ordinis Fratrum Minorum, se ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provolvunt, et pro opportunis remediis haec exponunt :

Proposito **dubio** *de sede canonica Tertiariorum.*

Ex violenta Religiosorum suppressione in Gallia, dubium oritur circa statum canonicum seu condicionem iuridicam quarundam Tertii Ordinis Saecularis Franciscani Congregationum, quae Fratribus ipsius Ordinis Fratrum Minorum sunt subiectae. Etenim Conventibus a Gubernio ablatis, dispersisque Religiosis, sedes Congregationis sive alio translata fuit, sive praecipua documenta canonicae erectionis amisit. Porro incommoda multa orientur, si denuo regularis et canonica erectio Congregationum iisque sedis assignatio foret innovanda.

Sanationem **petunt** *et transitorium privilegium ut pro sede canonica sit oratorium quo conveniant.*

Quapropter Oratores, ut hisce incommodis occurrant, humillime et enixe a Sanctitate Tua rogant, ut benignam sanationem super statu eiusmodi Congregationum velit impertiri ; quatenus, dum similia perduraverint adiuncta, Fratres et Sorores Tertii Ordinis Franciscani in Ecclesiis aut Cappellis in quibus iidem singulis mensibus adunantur, tamquam in sede canonica Congregationis, Indulgentias aliaque privilegia habeant, quae sedi canonicae Sodalicii sunt per Apostolicam Sedem concessa.

Et Deus, etc.

Gratia, in forma commissoria.

Vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino Nostro concessarum Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, audito voto et attenta commendatione Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum, Patri Ministro Generali benigne commisit ut petitam gratiam pro suo arbitrio et conscientia concedat in omnibus iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Clausula.

Dies (20 aug. 1910).

Datum Romae, 20 augusti 1910.

Fr. I. Card. Vives, *Praef.*
F. Cherubini, Subsecret.

---

460 — Emi SECRETARII S. C. CONSISTORIALIS

LITTERAE 20 OCT. 1910, AD ARCHIEP. STRIGONIENSEM (ESZTERGEM). PRIMATUM HUNGARIAE

De usu diariorum et commentariorum in Seminariis

(A. A. S. 10 nov. 1910, 2, 857)

Emi ac Rmo Domine mi Obsme,

Occasio litterarum.

Eminentiae Vestrae litterae, nomine etiam omnium Hungariae

[1] Rescriptum mutuamur ab ANALECTA ECCLESIASTICA, t. 18 (1910), p. 430.

Antistitum datae sub die 27 transacti septembris, ad SS^mum Dominum Nostrum pervenerunt. Quas quidem Ipse assueta benignitate excepit, nec dissimili cura, prout rei gravitas postulabat, expendit; mihique haec Eminentiae Vestrae ceterisque Antistitibus communicanda mandavit.

Quae mens sit Pontificis.

Porro SS^mi Domini Nostri mens est ut firma sit lex qua prohibetur ut diaria et commentaria, etiam optima, quae tamen de politicis rebus agunt quae in dies eveniunt, aut de socialibus et scientificis quaestionibus quae pariter in dies exagitantur quin adhuc de iis certa sententia habeatur, haec, inquam, in manibus alumnorum seminarii libere non relinquantur. Nil tamen vetat quominus superiores seminarii aut magistri, si agatur de quaestionibus scientificis, legant alumnis aut legendos articulos in sua praesentia tradant eorundem diariorum et commentariorum, quos ad alumnorum instructionem utiles vel opportunos censent.

Quaenam et quatenus prohibeantur diaria et commentaria.

Quaenam permittantur.

Commentaria vero in quibus nil contentionis continetur, sed notitias religiosas, S. Sedis dispositiones et decreta, Episcoporum acta et ordinationes referunt, vel alia quae quamvis periodica non aliud sunt quam lectiones ad fidem et pietatem fovendam utiles, haec, inquam, possunt, probantibus seminarii moderatoribus, prae manibus alumnorum relinqui tempore a studio et ab aliis praescriptis officiis libero.

Conclusio.

Haec dum Tibi pro meo munere significo, manus Tuas humilime deosculor meque impenso animi obsequio profiteor

Eminentiae Vestrae

Dies (20 oct. 1910).

Romae, die 20 octobris 1910,

Addictissimum famulum

Caietanum Card. De Lai,

S. Congr. Consistorialis Secretarium.

Annotationes

1. Litterae istae, quae non ad unius Antistitis sed omnis regni Hungariae Episcoporum usum scriptae, deliberato consilio in Acta Apostolicae Sedis insertae sunt, talem profecto nobis exhibent legis latae interpretationem qua tuto stare possumus.

Porro, declarationes nostras, supra p. 208b datas, non parum confirmant. De mente enim iam constat Pontificis qua is, quamvis verbis usus sit universalibus, prohibitiones suas indicato suo fini attemperare voluit.

2. Itaque ut ipsas litteras paucis verbis exponamus, duplex commentariorum genus distinguunt: alterum in hodiernis rebus politicis, vel in hodiernis *controversiis* sive socialibus sive scientificis versatur, alterum vero nihil habet contentionis, cum notitias religiosas, S. Sedis vel Episcoporum acta referat, saepe notis illustrata, vel fovendae fidelium pietati mere destinetur. Huius alterius probati generis sunt non pauci libelli periodici qui maximam partem decretis S. Sedis vel Episcoporum constant: sic Analecta Ecclesiastica, variae dioecesanae Collationes, Monitore Ecclesiastico, Nouvelle revue théologique, Ecclesiastical Review, et haec ipsa Periodica nostra; praeterea quotquot sunt *Semaines religieuses*, *Messagers du S. Cœur* et alia similis rationis. Ad prius autem genus commentaria ascribemus quae fine suo politico vel scientifico sociali argumenta tractant saepe a disciplinis sacris

prorsus aliena : ita v. gr. Revue des deux mondes, mouvement Sociologique, et maxime ea quae in iis versantur quaestionibus quae animos iuvenum concitare et a studiis avocare solent, ut quae de politica Italiae unitate, de tuendis linguae nationalis iuribus ac rationibus, de sociali variorum ordinum reformatione disputant. Videtur enim S. Pontifex potissimum motus fuisse perturbatione quam sociales vindicationes sacerdotis Murri, etc. ; iunioribus clericis afferebant.

Age porro, de priore genere firma manet lex prohibens, ita tamen ut articulos utiles alumni vel audire possint vel coram Superioribus aut magistris legere. Posterioris generis commentaria manibus alumnorum tradi etiam possunt, assentientibus moderatoribus et tempore quod studiis vel aliis officiis explendis insumendum non sit.

Utroque temperamento, quo prioris generis commentaria minus absolute prohibentur, alterius vero minus absolute permittuntur, prospicitur fini expresso : ne ex legendis commentariis et diariis studia detrimentum accipiant. Quare ad istam normam moderatores debent suam actionem aptare, et sic prohibitiones vel licentias interpretari ut ad serio excolendos animos adiumentum non autem incommodum afferatur.

3. Sed inter utrumque quod describitur commentariorum genus, tertium interiacet eorum quae quaestiones dogmaticas, morales, exegeticas sive scientifice explorant sive eleganti sermone vulgari ad multorum usum transferunt (*revues littéraires de vulgarisation*). Haec neque expresse prohibentur neque expresse permittuntur. Restat itaque ut in arbitrio Moderatorum positum dicamus eadem secundum supremum canonem utilitatis studiorum prudenter vel admittere vel arcere. De his agimus quae in nullam incurrunt modernismi suspicionem, sin minus iam prohiberentur his encycl. *Pascendi* verbis : « Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis (quae modernismum olent provehuntque) neve adulescentibus in Seminariis, neve auditoribus in Universitatibus permittantur [1] ».

Atque observes expedire ut alumni in seminariis non tantum ipsam scientiam religiosam hauriant sed etiam modum addiscant eandem eleganter ad captum vulgi accommodandi. Neque id praetermittendum est, ad plenam clericorum institutionem pertinere ut iam in seminario serios articulos et seria commentaria legere assuescant, ne postea haec pro vanis et periculosis oblectamentis neglegant.

Itaque nihil obstare videtur quin quodpiam ex variis catholicis commentariis, Civilta cattolica, les Etudes, les Etudes franciscaines, la Revue Augustinienne, la Revue Thomiste, la Revue de la Jeunesse, Stimmen aus Maria Laach, Pastor bonus, la Scuola catholica, Razón y Fe, prudenter alumnis legendum tradatur.

4. Hactenus dicta theologiae studiosos directe respiciunt. Namque in Motu Proprio *Sacrorum Antistitum*, S. Pontifex, dum varias numerat disciplinas quibus seminaristae incumbunt, de solis theologis cogitasse videtur. Ne tamen rationabilem vim legi

[1] Inter remedia, n. III. Confer nostrum *De Modernismo* opusculum, p. 33.

denegemus, eam ad philosophiae studiosos prudenter traducere cogimur. His etiam moderate permittentur studiis suis utilia commentaria, et ea tantum pro vetitis habebimus quae propter contentiosam rationem qua praesentes agitant quaestiones iuvenum animos perturbant, excitant et a studiis avocant. Non omnia ergo socialis argumenti commentaria excludenda sunt, ac nihil obesse videtur quo minus ephemeris qualis v. gr. italica cui titulus: Rivista internazionale di questioni sociali e discipline ausiliari, vel belgica: Revue Sociale catholique vel gallica Le Mouvement social seminaristis legenda proponatur.

5. Prohibitio severius de diariis quam de commentariis periodicis intellegenda est, tum quia diaria « de politicis rebus quae in dies eveniunt » agere solent, tum quia ipsa sacra studia nullo pacto adiuvant. Res tamen ista etiam non est nimis stricte sumenda; nec arbitramur contra legem facturum qui, extra studiorum horas, selectum quodpiam folium semel in hebdomada seminaristis concesserit. Non enim nos fugere debet non parum referre ut iam ex seminarii commendatione et usu clericus ad optimam quampiam ephemeridem sit bene affectus. Hanc tunc sibi postea cotidie legendam procurabit: solent enim homines suam quisque habere ephemeridem qua, ex ipso usu, sint magis animo devincti. Qui, contra, nullam in seminario praeferre noverit, facile eas sibi comparabit quae levioris sint styli vel argumenti.

6. Fieri denique potest ut rationes a studiis alienae suadeant ut, in quibusdam regionibus, etiam de diariis diversimode statuatur. Adeunda tum erit S. Sedes, quae opportunis dispensationibus speciali regionis necessitati occurrere non abnuet. Sic Archiepiscopus Coloniensis a S. Pontifice impetravit ut in Germania res ista Episcopis plene definienda committeretur.

---

461. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECLARATIONES 25 OCT. 1910

Circa iusiurandum motu proprio « sacrorum antistitum » praescriptum (A. A. S. 10 nov. 1910, 2, 826)

Dubia

Ad hanc sacram Congregationem proposita sunt quae sequuntur dubia circa Motum Proprium *Sacrorum Antistitum*, die 1 septembris proxime lapsi editum, nimirum

1. Quotiens iurandum;

I. utrum qui, in praesenti, plura obtinent officia vel beneficia, unum dumtaxat iusiurandum praestare possint, an tot iuramenta emittere teneantur quot possident officia vel beneficia;

2. Coram quo;

II. coram quo Moderatores generales Ordinum aut congregationum religiosarum praestare debeant eiusmodi iusiurandum;

3. Delegatio Vicarii generalis;

III. an Vicarius generalis delegari possit ab Episcopo, generali modo, ad iusiurandum excipiendum;

4. Quomodo plures simul iurent;

IV. utrum iuramenti formula, pluribus simul convenientibus, ab omnibus singillatim legenda sit, an vero sufficiat ut ab aliquo ex iis recitetur;

V. an quotannis teneantur renovare iusiurandum vicarii parochiales, confessarii et sacri contionatores, quibus facultas singulis annis prorogatur ; *5. Renovatio iuramenti;*

VI. utrum parochi, in locis a residentia Episcopi dissitis, teneantur emittere iuramentum coram Vicariis foraneis, an sufficiat ut ad Episcopum remittant iurisiurandi formulam ab ipsis subsignatam ; *6. Iuramentum parochorum ;*

VII. an novi beneficiarii debeant subscribere formulam tum professionis fidei tum iurisiurandi. *7. De beneficiariis ;*

SSmus Dominus Noster Pius PP. X, in audientia die 21 octobris 1910 Emo Cardinali Secretario sacrae Congregationis Consistorialis concessa, mandavit ut respondeatur : *Aud. SSi 21 oct. 1910.*

Responsa.

ad I. sufficere unum iusiurandum, sed de eodem prius praestito fides exhibenda est ei qui ius habet aliud exigendi iuramentum ; *Ad 1.*

ad II. Moderatores generales, qui actu Ordini vel Congregationi vel Instituto praesunt, coram Patribus sui Definitorii, sive Assistentibus sive Consiliariis generalibus ; Moderatores autem generales, qui in posterum eligentur, coram Praeside capituli generalis ; *Ad 2.*

ad III. affirmative, postquam ipse in manibus Episcopi iusiurandum praestiterit ; *Ad 3.*

ad IV. sufficere ut, formula iuramenti ab uno recitata, a ceteris singulis, iureiurando emisso, formula ipsa subscribatur ; *Ad 4.*

ad V. negative ; *Ad 5.*

ad VI. pro hac prima vice sufficere ut memorati parochi subsignent iuramenti formulam iuxta indultum diei 25 septembris elapsi ; in posterum vero parochos teneri ad iuramentum praestandum coram eo a quo beneficii possessionem obtinebunt ; *Ad 6.*

ad VII. quod ad professionem fidei, nihil innovandum ; quod ad iuramentum, servandam dispositionem Motus Proprii *Sacrorum Antistitum.* *Ad 7.*

Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 25 octobris 1910. *Dies (25 oct. 1910).*

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, Assessor.

Annotationes

1. Declarationes istae satis perspicuae esse videntur ; duplex tamen dubium, quorum alterum gravis omnino est momenti, in medio linquunt. Et re quidem vera,

2. Cum non ita raro is in Moderatorem Generalem eligatur qui praeses erat capituli, coram quo debebit tunc iusiurandum praestare ? Res ista nullo pacto definita est. Ex mente autem responsionum dixerim satius tunc esse ut vel coram Assistentibus seu Consiliariis generalibus, vel melius etiam coram generali capitulo, cui etiam Assistentes intersunt, iuramentum emittat.

3. Ex Trid. synodo s. 24, c. 12 Ref. et s. 25, c. 2 Ref. omnes provisi de beneficio curato, debent *a die initae possessionis*, intra duos menses, in manibus Episcopi vel eius Vicarii generalis professionem fidei emittere ; eamque in proxime sequenti dioecesana synodo iterare. Simili obligatione emittendae professionis fidei coram Episcopo et in capitulo canonici ex s. 24, c. 12. Ref. Conc. Trid. astringuntur.

Hinc quaeret quispiam quo pacto ius istud conciliandum sit cum novo iure, quod professionem fidei canonicis et parochis ante ineundam beneficii possessionem imponit ?

a) Quod ad *parochos* : intacta manet lex de professione synodali, quia haec professio novo iure non attingitur; professionis autem in manibus episcopi faciendae tempus novo iure mutatum diceremus nisi resp. ad VII statueretur de novis beneficiariis nihil esse quod ad professionem fidei innovandum. Quocirca deinceps instituendi parochi, ante initam possessionem, iusiurandum dare non autem fidem profiteri debebunt; intra duos menses ab inita possessione, professionem fidei, ut ante, emittent. Quid autem de sanctione qua, ex Tridentino Concilio parochus qui fidei professionem omiserit, altero elapso mense, fructus beneficii iam suos non faciat ? Saepe huic sanctioni locus deerit. Qui enim iusiurandum recusaverit deferendus est ad S. Officium, a quo, ut veri simile est, beneficium conservare non permittetur. Quia tamen SS. D. N. Pius Pp. X non praecipit ut parochi, etc. iusiurandum sponte emittant, sed ut invitati idem non recusent, dum Tridentina professio est ab ipsis parochis curanda, fieri potest ut parochus neglegens mere in legem Tridentinam commiserit. In quam si commiserit Tridentina privatione afficietur.

b) Quod ad *canonicos*, ipsi debebunt ante initam possessionem mere iusiurandum Episcopo suo dare, ac post initam possessionem, fidei professionem in capitulo facere et quidem coram Episcopo, nisi prius iam coram ipso fidem professi fuerint. Sic iam ante statutum erat, ut canonicus qui coram solo Episcopo fidem professus erat professionem in capitulo iterare deberet.

---

462. — SS. D. N. PII PP. X.

BREVE 7 SEPT. 1910.

Novarum Constitutionum Oblatorum B. M. V. confirmatio. (A. A. S. 30 nov. 1910, 2, 901).

PIUS PP. X.

Propensa in Congr. religiosas Pontificis voluntas.

Ad perpetuam rei memoriam. — Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, ad religiosorum virorum congregationes ex quibus Ecclesia Dei tot tantaque emolumenta nanciscitur, singulari paternae Nostrae voluntatis studio oculos convertimus, vigili cura prospicientes, ut eaedem illis omnibus praesidiis muniantur quae ad ipsarum utilitatem, bonum atque incrementum magis accommodata atque opportuna Nobis videantur. Frugiferas has inter Congregationes iure meritoque accensenda est quae a « Missionariis Oblatis Mariae Immaculatae » nomen habet, et ad Aquas Sextias in Provincia iam inde ab anno MDCCCXVI fundata, per Apostolicas Litteras eadem hac forma, die XXI martii mensis, anno MDCCCXXVI datas, a Leone PP. XII rec. me. Praedecessore Nostro tum Instituti, tum Regularum approbationem obtinuit. Haec enim Congregatio, quae sibi quasi titulum pro certamine

Congregationis Oblatorum B. M. V. origo, approbatio a Leone XII data, finis, zelus, lacta propagatio, amplae missiones, laudes pontificiae.

bono certando assumpsit Divini Magistri verba : « Evangelizare pauperibus misit me », nullo umquam tempore destitit in agri Dominici messem multos eosque sedulos cultores mittere qui, strenue laborantes, laeti tandem cum exsultatione portarent manipulos suos. Brevi in universum terrarum Orbem, Deo favente, diffusa, novem in praesens ipsa Congregatio provinciis pollet. Quattuordecim Apostolici Vicariatus et in America Septemtrionali, et in Africa Meridionali, et in Asia, manent Oblatorum Missionariorum a Virgine Immaculata curis concrediti : ipsa tam vasto terrarum marisque intervallo dissita Australia plura ab hac Congregatione accepta referre debet beneficia. Immanis itaque campus huius Congregationis Missionariis patet, quasi aperta apostolicis laboribus exantlandis palaestra. Meritis laudum praeconiis Congregationem eandem prosecuti sunt Romani Pontifices, qui iteratis vicibus per Litteras piscatorio anulo obsignatas, Institutum ipsum, Apostolica interposita auctoritate, roborarunt. Ita regulas ipsius Instituti confirmavit Gregorius PP. XVI per Litteras, die XX martii mensis, anno MDCCCXLVI, datas, et nonnullas Constitutionum et regularum earundem immutationes atque additiones ab ipsius Congregationis Capitulo Generali statutas, Pius PP. IX per similes Litteras die XXVIII martii mensis, anno MDCCCLI datas, sollemniter sanxit. Iam vero novissimis his annis opportunum visum est Congregationi Episcoporum et Regularium negotiis diiudicandis praepositae, decernere atque indicere, ut constitutiones Congregationis superenuntiatae Missionariorum Oblatorum Immaculatae Conceptionis ita immutarentur, ut vigentis iuris condicioni conformes evaderent ; dictoque audiens ipsius Instituti generale Capitulum ad hoc coadunatum, tales intulit memoratis constitutionibus innovationes, ut illas quasi nova forma donaverit. Variationes vero sic in Constitutiones inductas, utpote quae temporum circumstantiis et recentioribus Decretis Apostolicae Sedis apprime responderent, nova Congregatio disciplinae Regularium praeposita, ad quam transmissae fuerant, per decretum die XXI decembris mensis, anno superiore editum, approbavit. Nunc autem Venerabilis Frater Augustinus Dontewill, Archiepiscopus titularis Ptolemeidensis, supremus Moderator memoratae Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae, humili prece Nos flagitat, ut supra enarratam regularum instituti sui innovationem, per Apostolicas Litteras in forma Brevis confirmare dignemur ; Nosque animo repetentes historicas Congregationis ipsius memorias, quae saeculi spatio, ex quo originem duxit, amplissima cumulavit merita et in universo terrarum Orbe spirituales fructus uberrimos nacta est, his quidem optatis annuendum libentissime existimavimus. Quae cum ita sint, variationes quae, uti supra diximus, in constitutiones ad usum eiusdem Congregationis Oblatorum inductae sunt, iam ab hac S. Sede approbatas, prouti liquet ex decreto quod recensuimus, ab hodierna Congregatione Religiosorum disciplinae praeposita, die XXI decembris mensis, anno superiore, edito, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, nunc iterum probamus, supremoque Auctoritatis Apostolicae munimine roboramus et confirmamus, ratasque eas in omnibus, praesentium tenore, habemus atque edicimus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat, vel spectare poterit, in omnibus et per

Post varias regularum confirmationes, constitutiones ad praesens ius accommodatae, decreto 21 dec. 1909 a S. C. Religiosorum approbatae sunt.

Instante Superiore Generali, SS. D. has Constitutiones Motu proprio ratas habet.

omnia plenissime suffragari : sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, irritumque esse atque inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque omnibus speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Clausulae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII septembris MDCCCCX, Pontificatus Nostri anno octavo.

Dies (7 sept. 1910).

R. Card. Merry del Val,
a Secretis Status.

---

463. — S. S. D. N. Pii PP. X.

SERMO 10 NOV. 1910

Ad PP. Franciscales (A. A. S. 30 nov. 1910, 2, 906.)

S. Pontifex gratulatur Patribus significationem caritatis erga ipsum,

Conspectus vester, dilecti Filii, verba quibus egregios animi sensus effudistis, pietatis vestrae in communem Patrem significatio alte Nos permoverunt et magnopere delectarunt. Haec autem eo Nobis gratiora contingunt, quod a religiosis eius ordinis viris proficiscantur, quorum instituta, traditiones, historia, imperitura sunt monumenta fervidi erga Ecclesiam amoris et inviolati obsequii. Haeret namque animo vis et constantia qua Francisci Patris alumni, virtutis doctrinaeque laude florentes et ad augendum beatorum caelitum numerum fere destinati, cum Apostolica Sede sentire et facere eiusque iura tueri numquam destiterunt, ne cum ipso quidem periculo capitis. Addit laetitiae causam cogitatio quod huiusmodi caritatis ostensio erga Nos atque hanc Apostolicam Sedem erumpat exeunte saeculo VII ab instituto Ordine vestro, cum nempe Nos, non modo benevolentis memorisque animi sensus vobis exploratos fecimus, beneficia impertientes, quorum dispensatores a divina Providentia constituti sumus, verum etiam id egimus, ut inter Filios et communem Patrem caritatis nexus artius obstringerentur.

Docilem oboedientiam in recentibus monitis excipiendi,

Nunc vero gratiae vobis referendae sollicitos efficit prona et alacris voluntas, qua monita Nostra excepistis, ut vos omnes censeritis unius eiusdemque Patris Francisci filios, absque ullo discrimine, in tres quidem familias distinctos, verum unius disciplinae sectatores, atque ita coniunctos, ut sitis *cor unum et anima una;* communis inter vos agatur causa ; eadem sint omnibus rationes constitutae ; atque ita mundo exemplum exhibeatis eius concordiae, quae a divina tantum gratia derivatur.

Apostolicam caritatem,

Nec minus grate vos intuemur ea succensos caritate, qua Franciscus, bonum Christi odorem late diffundere atque ad eius exemplum *omnibus omnia factos*, nullam sacri ministerii civilisque cultus provinciam vobis alienam putare. Cotidianus enim vos urget labor et annuntiandi verbi divini et excolendarum gentium non modo civilium, sed etiam humanitatis omnis expertium, quae adhuc *in tenebris et umbra mortis sedent ;* maxime vero misericordiae opera exercendi in publicis custodiis, in valetudinariis, ad aegrotantium corpora reficienda et ad inquinatos vitiis animos revocandos.

Constantiam in praesenti procella.

Gratiae denique vobis persolvantur ob virilem in decertando pro iustitia et veritate constantiam; cui dimicationi modo faces admoverunt artes malignae et potentia coniuratorum contra Christum et Ecclesiam, reputantium sese nobiscum egisse praeclare, quod nos vivere sinant, impendente cervicibus iniquarum gladio legum. Pergite, dilecti Filii, pugnare pro viribus, neve animum despondeatis, quod res ad inimicorum voluntatem aliquamdiu fluant. Alias fregit proiecitque vires Ecclesia, ut iam vereri non liceat, ne tandem aliquando, Dei suffulti praesidio, unoque fidei et caritatis obstricti vinculo, simus victoriam consecuturi.

Peculiari sollicitudine iuvenes adhortatur,

Ad vos autem singulari quadam sollicitudine patet os Nostrum, dilecti iuvenes, qui quasi flosculi e triplici religiosa familia deducti Urbem petivistis, ornaturi animum virtute doctrinaque mentem, ut sanctitatis effluvia lucemque sapientiae per omnes terrarum orbis plagas circumferatis.

Ostensa vocationis sanctitate,

Vos Francisci disciplinam profitentes optimam sane partem eligistis, qua genuinam christianae perfectionis imaginem possitis in vitae usum deducere, effectique veri Christi discipuli, non solum communia officia, sed etiam evangelica vivendi praecepta tueri. Vos estis christianae reipublicae selecti cives, qui divini Magistri verba et exempla serio accipientes, Deum, quo decet loco, in sua ipsorum anima vitaque collocarunt; qui religionem, quod aequissimum est, maximum et primum negotium esse intellexerunt; qui sempiternam salutem tanti fecerunt, quanti Christus cum dixit: *Porro unum est necessarium;* qui, externis fluxisque bonis abdicatis, ut praecipuum vitae finem unice spectarent, a mundanis rebus ad rerum omnium Conditorem animum avocarunt; qui denique iam non sibi vivere constituerunt, sed Christo Iesu.

Quia vero virtutum omnium exemplar est absolutissimum Christus, idcirco student Eius formam, quoad possunt, in se ipsi transferre. Quare similitudinem Eius conantur arripere, illius crucem amplexi et consepulti cum Ipso, uni Deo viventes, fidei et oboedientiae iugo mentem animumque mancipantes, carnem crucifigentes ut dominetur spiritus, abstinentia, vigiliis, afflictationibus adimplentes *ea quae desunt passionum Christi - semper mortificationem Iesu in corpore..... circumferentes*, ita ut unicuique liceat affirmare cum Paulo: *Vivo ego, iam non ego; vivit vero in me Christus.* Nec enim horum os aliud spirat nisi Christum, nec nisi propter Ipsum palpitant praecordia; in Ipso toti vivunt, moventur et sunt; quo fit ut vita praesens sit iisdem instar tirocinii et praeparationis ad longe meliorem, quam prospicientes, mortem habent loco lucri, utpote quae perficiet consummabitque coniunctionem cum Illo, qui fuit ipsorum vita, secundum illud memorati Apostoli; *Mihi vivere Christus est et mori lucrum.*

Et necessitate genuinae scientiae.

Sed qui Christum imitari vult, is debet, non solum *facere*, sed etiam *docere*. Atque ad hoc nempe, dilecti iuvenes, huc estis vocati, ut eam doctrinae copiam vobis comparetis, quae valide obici possit falsi nominis scientiae, fidei pariter ac rationi infensae, et nihilo minus affectanti imperium in scholis. Est autem veri nominis scientia illa dumtaxat, quae a SS. Litteris derivatur et a traditionibus ab Ecclesia receptis atque approbatis. Itaque, sive de Fidei principiis agatur, sive de regula morum, sive de legibus disciplinae, sermo vester ne sit hominis umquam, sed Ecclesiae. Neve patiamini imminutionem fieri ullam veritatis aut legis ab Ecclesia propositae cuius doctrina plena est, integra, purissima.

Sine ulla modernistarum consideratione.

Quae quidem doctrinae integritas ac puritas numquam erit commendata satis. Impugnatis enim acerrime, ut hodie fit, sacris traditionibus, non desunt qui opportunum, aut etiam necessarium ducant, ut Ecclesia interdum a veteri doctrinae severitate recedat. At obiurgent licet Ecclesiam propositi tenacem in custodiendis veris et institutis, quae profanae sapientiae non arrident; nitantur antiquae Matri suadere ut modernistarum recipiat aliqua capita; ut cedat, resque pro opportunitate amice componat; ut sinat haud spernendos homines tranquille vivere, quorum opiniones, ut aiunt, sunt *irreformabiles*, quorum ab ingenio civitas et ipsa Ecclesia multum opis et gloriae exspectare possint. Haec et similia mussitent prudentiores isti viri. Vos, dilecti Filii, verbis Pauli compellabimus ad Timotheum conversis: *Tu autem, o homo Dei, haec fuge: - certa bonum certamen fidei - bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui est in nobis. Formam habe sanorum verborum quae a me audisti in fide.* Atque etiamsi postuletur a vobis, ut utilium conventionum gratia aut spe convertendae multitudinis ad causam Religionis, de doctrina gratificemini aliquid corruptis mundi opinionibus, unusquisque vestrum sibi dicta putet quae Apostolus dtscipulo suo: *Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia et coram Iesu Christo, qui reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini Nostri Iesu Christi.* Quando apud homines in pretio esse cessabit incorruptibilis haec doctrina, quando purae et intaminatae veritatis regnum desierit in mundo, tunc Deus excitabit iterum Filium Suum, *quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens Rex regum.* Interim nostrum est, qui Eius legatione fungimur, depositum integre inviolateque servare usque ad adventum Domini ultimum, cum Hilario sancte exclamantes: « Melius « est mihi in hoc saeculo mori, quam, alicuius potentia dominante, « castam veritatis corrumpere virginitatem ».

Sanctitatem cum doctrinae puritate coniunctam rationem dabit implorata Ordinis regina, Imm. Virgo.

Vos autem, dilecti Filii, vitae sanctitatem cum doctrinae puritate atque integritate coniunctam servabitis, si Reginae Ordinis vestri, Deiparae labis nesciae cultum assidui fovebitis. Per Ipsam enim, quae est « speculum iustitiae et sedes sapientiae », omnia nos habere voluit Omnipotens. Magi, cum se Bethleem contulerunt ut adorarent Iesum, *intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre Eius.* Iam Ecclesia domus est, quam subeunti Iesus et Maria occurrunt. Ecquid enim christianus est cultus nisi Mariae Filii religio? Si autem quod Deus coniunxit separari non potest, profecto Iesum non invenias nisi cum Maria et per Mariam. Quam iure quidem sancti viri appellarunt « ostensorium vivens ». Ipsa enim nobis in hac valle lacrimarum constitutis viam salutis, Iesum, sedula ostendit; Ipsa clemens et pia nostras Filio porrigit preces, quibus ad Eam cotidie clamamus: « Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende ». — Pergat caeli Regina et advocata nostra Maria materno nobiscum fungi munere, ac serius ocius carne exutis det Iesum intueri, non tremendae maiestatis Regem ac severissimum iudicem, sed Servatorem propitium, amicum serenum, misericordem fratrem. Huius auspicem gratiae et singularis Nostrae benevolentiae testem, tibi dilecte Fili Noster Cardinalis, vobis ministri generales, moderatores, magistri, alumni quotquot adestis, ceterisque fratribus vestri Ordinis universis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Benedictio Apostolica.

ANNOTATIO.

Post plura relata de S. Francisci Ordine et Unitate Monumenta, (PERIODICA, n. **337**, et **446**, t. 5. p. 27 ss. 216 ss.) visum est adhortationem istam exscribere quae, in audientia pontificia pro conclusione et coronide haberi potest.

---

464 — SS. D. N. PII PP. X

BREVE 11 NOV. 1910

Facultates atque indulgentiae pro missionibus a fratribus O. M. S. Francisci in America latina habendis.

A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 7.)

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. — Grati sunt Nobis exantlati a religiosis viris labores, ut Christifidelium numero feliciter aucto, catholica fides simul cum bonis moribus in longinquas praesertim regiones propagetur. Cum vero comperta habeamus studium et curam, quibus Fratres Ordinis Minorum S. Francisci in suis regularibus Americae Latinae provinciis divini verbi preconium agunt, Sacris conficiunt Expeditiones ac Spiritualibus Exercitationibus operantur, preces dilecti filii Bonaventurae Marrani, supremi eiusdem Ordinis Procuratoris, benigne excepimus, ac privilegia iam iis ab hac Apostolica Sede concessa, praesentium tenore libenti quidem animo renovamus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, omnibus ac singulis utriusque sexus fidelibus, qui tribus saltem contionibus Missionum, quas Fratres Ordinis Minorum in suis regularibus Americae Latinae provinciis celebrabunt, astiterint, atque uno ex his diebus, ad cuiusque arbitrium eligendo, vere paenitentes et confessi ac S. Communione refecti, Ecclesiam Parochialem loci, ubi Missiones habentur, devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quam Plenariam indulgentiam alii quoque fideles lucrari poterunt, etsi proximis quindecim diebus post ipsas Missiones, quibus, ut supra, interfuerint, ad finem adductas, admissa extra Paroeciam, ubi Missiones peraguntur, rite confiteantur seque Angelorum pane reficiant, dummodo vero suum quisque Curiale templum adeat, atque ibi, ut praefertur, preces Deo persolvat. Praedictis autem Fratribus facultatem Apostolica Auctoritate Nostra facimus, ut in postrema Missionum contione Benedictionem Apostolicam cum Cruce sub unico signo et cum plenaria adnexa indulgentia Christiano populo impertiri queant, ab ipsis Missionariis assequenda non minus quam a fidelibus, qui huic benedictioni praesentes, solitas impleverint conditiones ; utque in fine earundem Missionum Commemorativas Cruces erigere, eisque cum Plenaria Indulgentia benedicere possint, ab iis tantum fideli-

Laude Missionariis tributa, instante Procuratore generali, privilegia ipsis in quinque annos renovat.

Gratiae pro iis qui contionibus intersunt.

Benedictio Apostolica.

Erectio crucium cum indulgentiis.

bus lucranda, qui vere pariter poenitentes et confessi ac caelesti pabulo recreati, Parochialem illius loci Ecclesiam, ubi huiusmodi Cruces erectae fuerint, vel ipso erectionis die, vel eius diei anniversario, vel etiam Dominica proxime insequente, atque insuper sive festis Inventionis et Exaltationis SS^mae Cruces, sive Dominica immediate respective subsequente, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ante dictas Cruces, ut supra dictum est, oraverint. Iis vero fidelibus, qui corde saltem contrito, ante praefatas Cruces salutationem Angelicam septies, vel in honorem Vulnerum D. N. I. C. Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam quinquies recitaverint, trecentos dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. Pari autem Auctoritate Nostra concedimus, ut Sacerdotes Missionarii ex eodem Ordine Minorum, Cruces, Crucifixos, Sacra numismata, coronas precatorias ac parvas metallicas statuas D. N. I. C., B. M. V. et Sanctorum omnium cum applicatione Indulgentiarum, quae in elencho edito typis S. Congregationis de Propaganda Fide, die 28 Augusti 1903 continentur, et quod ad coronas precatorias, non exclusis Indulgentiis a S. Birgitta nuncupatis, in forma Ecclesiae consueta vel privatim vel publice benedicere possint ac valeant. Denique potestatem tribuimus, cuius vi iisdem Fratribus liceat non modo quattuor scapularia, nempe SS^mae Trinitatis, Passionis D. N. I. C. Immaculatae Deiparae Conceptionis, ac B. M. V. Perdolentis unico funiculo coniuncta, dummodo sint confecta ad normam ab hac S. Sede probatam, sub unica formula benedicere, eaque cum applicatione indulgentiarum, quae respectivis scapularibus sunt annexa, fidelibus imponere, sed alia etiam scapularia item benedicere, pariterque fidelibus imponere, et cum ob Christianae plebis celebritatem et sacerdotum penuriam praecipuis anni sollemnitatibus omnia ad normam expleri non queant, eadem Auctoritate Nostra largimur, ut praedicti fideles, quibus scapularia sunt imposita, in respectivam Confraternitatem aggregentur, etiamsi eorum nomina in catalogum non referantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad quinquennium tantum valituris. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Facultas benedicendi cum indulgentiis rosaria, etc.;

benedicendi scapularia, et ascribendi fideles, omissa relatione in acta.

Tempus gratiae.

Dies (11 nov. 1910).

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI novembris MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

R. Card. Merry del Val,
a Secretis Status.

465. — S. CONCR. CONSISTORIALIS

DECRETUM 18 NOV. 1910.

De vetita clericis temporali administratione

(A. A. S. 30 nov. 1910, 2, 910.)

Principalis lex canonica qua clerici a profanis negotiis avocantur.

Docente Apostolo Paulo, *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (II *Tim.*, II, 4), constans Ecclesiae disciplina et sacra lex haec semper est habita, ne clerici profana negotia gerenda susciperent, nisi in quibusdam peculiaribus et extraordinariis adiunctis et ex legitima venia. « Cum enim a saeculi rebus in altiorem sublati locum conspiciantur », ut habet SS. Tridentinum Concilium *Sess. XXII, cap. I de Ref.*, oportet ut diligentissime servent inter alia quae « de saecularibus negotiis fugiendis copiose « et salubriter sancita fuerunt ».

Quo pacto plura opera bona temporalia clero probanda sint.

Cum vero nostris diebus quamplurima, Deo favente, in Christiana republica instituta sint opera in temporale fidelium auxilium, in primisque arcae nummariae, mensae argentariae, rurales, parsimoniales, haec quidem opera magnopere probanda sunt clero, ab eoque fovenda ; non ita tamen ut ipsum a suae condicionis ac dignitatis officiis abducant, terrenis negotiationibus implicent, sollicitudinibus, studiis, periculis quae his rebus semper inhaerent obnoxium faciant.

Hinc praeceptum pontificium, de quibusdam officiis vel non conservandis vel non suscipiendis sine auctoritate apostol. a.

Quapropter SS^mus^ Dominus Noster Pius PP. X, dum hortatur quidem praecipitque ut clerus in hisce institutis condendis, tuendis augendisque operam et consilium impendat, praesenti decreto prohibet omnino ne sacri ordinis viri, sive saeculares sive regulares, munia illa exercenda suscipiant retineantive suscepta, quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii, horumque similium. Statuit itaque ac decernit SS^mus^ Dominus Noster, ut clerici omnes quicumque in praesens his in muneribus versantur, infra quattuor menses ab hoc edito decreto, nuntium illis mittant, utque in posterum nemo e clero quodvis id genus munus suscipere atque exercere queat, nisi ante ab Apostolica Sede peculiarem ad id licentiam sit consecutus. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Dies (18 nov. 1910).

Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 18 mensis novembris anno MDCCCCX.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
S. Tecchi, Adsessor.

ANNOTATIONES

1. Praesens decretum inter ea indubitanter numeramus quae praestantibus utilitatibus vel gravibus incommodis insignientur, prout prudenti interpretatione ad sanctum legislatoris finem dirigentur, vel contra, intempestivo zelo, verba legis secus ac conditor voluerit sine adunctorum respectu incaute urgebuntur.

Quare ordine proponendum ducimus a) quid ius canonicum habeat ; b) quid praesens decretum statuat ; c) quid non nullis dubiis respondendum sit ; d) quisnam sit rectus decreti usus.

2. *De generali canonum lege.*

Ipso titulo quinquagesimo tertii decretalium libri, qui, cum sensum praeferat perfectum[1], veram legem continet, generali modo vetatur « Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant. »

Praeterea, exercenda negotiatione lucrativa speciales sanctiones, quae multis responsis declaratae sunt, eosdem arcent. Praesens tamen cuiuspiam clerici egestas sinit ut alicui honestae negotiationi operam det, dum necessitas quae familiam potius quam clericum premit, vel huic non est praesens sed futura, ipsi spem dat obtinendae dispensationis, quae in Italia S. Sedi reservatur, extra vero Italiam ab episcopo concedi potest. Cfr. BENED. XIV, C. *Apostolicae*, 15 feb. 1741; Clem. XIII, C. *Cum primum*, 27 feb. 1759; Inst. S. Officii, 18 mart 1782.

De generali autem vetito parce scriptum est, ita ut res in morali agentis vel Superiorum existimatione magis sit posita. « Negotii saecularis nomine, ait SCHMALZGRUEBER, h. t. n. 5, veniunt ea quae etsi secundum se licita sint, ecclesiasticis personis tamen interdicuntur, quod ad Reipublicae statum saecularem potius quam ecclesiasticum spectent. » Ipsa autem temporalis administratio qua talis clericis minime prohibetur. Ditissimus enim sacerdos patrimonium suum, beneficiarius res ecclesiasticas quandoque multas et implicatas, non sine immensis curis administrare potest vel debet. Quia tamen res sunt vel sacerdotis vel ecclesiae, negotia ista non iam tamquam *saecularia* habentur.

Quod autem qualitas possidentis, id aeque vel magis potest *finis* spiritualis misericordiae, pietatis vel caritatis, ut negotia quae per se saecularia essent etiam clericos minime dedecerent. Quare in ipsis Breviarii lectionibus laudantur sancti qui provida sua industria pauperum necessitates levarunt, vel coemendo alimenta integras urbes a fame liberarunt. Quae omnia non sine multis curis facere potuerunt. Ob publicam utilitatem licet clerico Senatoris vel Deputati ad parlamentum munere fungi, et sic in multis quaestionibus saecularibus partem habere. Quid de officio consiliarii principum, quod cum immensa sollicitudine non nulli Cardinales gesserunt?

Quanto autem magis ad servandam vel promovendam religionem in universo regno vel republica, vel ad pacem socialem fovendam, fas erit clerico oeconomica opera prudenter suscipere! Prudenter, inquam, cum nullo bono fine excusetur sacerdos qui sui status dignitatem abdicet, vel spiritualis status officia neglegat, vel honorem nominis sui periculo opponat. Porro ad haec detrimenta avertenda praesens decretum latum est.

3. *Verbalis decreti expositio.* Prius de praefatione dein de praeceptis dicemus.

a) *De praefatione*, ubi principii generalis prius enuntiati fit ad praesentem causam applicatio.

Principium generale est generalis ista, exceptionibus temperata, prohibitio, ipsis Apostoli verbis confirmata (2 ep. ad Tim. 2, 4) qua clericis in saecularibus negotiis versari vetantur.

---

[1] Tituli in quos libri dividuntur sunt cum ipsa collectione authentice promulgati. Quare si plenam aliquam sententiam exhibent, pro lege valent; si nihil enuntiant, ut tituli *De legatis*, *de officio parochi*, etc. mere subsidia interpreti afferunt.

Praesens autem *causa* est multorum operum quae ad fideles temporali utilitate iuvandos instituta sunt. Haec clerus valde probare et fovere iubetur, « non ita tamen ut ipsum a suae condicionis ac dignitatis officiis abducant, terrenis negotiationibus implicent, sollicitudinibus, studiis, periculis quae his rebus semper inhaerent obnoxium faciant ». Quadruplex itaque vitandum detrimentum dignitatis spiritualis, zeli, libertatis animi et securitatis ipsis denuntiatur.

Ex ista praefatione, mens legislatoris nobis manifestatur.

b) *De ipsis praeceptis.* Duo haec S. Pontifex praecipit.

Hortatur et praecipit ut clerus in hisce operibus instituendis augendisque operam et consilium impendat ; — Prohibet ne, sine peculiari Apostolicae Sedis licentia, clerici in sacris, tam saeculares quam regulares, suscipiant vel suscepta ultra quattuor menses ab hoc edito decreto retineant « munia quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secum ferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii, horumque similium ».

4. *Non nulla dubia solvuntur.*

a) Induciturne decreto isto *lex nova ?*

Lex nova inducitur. Ad negotia enim quae non fiunt lucri causa extendit prohibitionem hactenus quaestuosa negotiatione circumscriptam. Privatorum arbitrio subducitur, ut S. Sedis iudicio reservetur, examen causarum et adiunctorum in quibus officia quaedam, per se periculosa, a sacerdotibus assumenda videantur.

b) Munia clero vitanda dicuntur quae curas, obligationes et in se recepta pericula *simul* secumferant. Quid autem si *solae curae* sine periculo, vel *solum periculum* sine curis suscipienda sint ?

Cum verba decreti non sint in aperto, ex mente Pontificis respondendum esse putamus. Si periculum parvi fuerit momenti (quia v. gr. de multis pecuniis non agitur), si sola administratio non nimias curas exigat, clerico licere arbitramur ut solum periculum vel solam administrationem suscipiat.

c) Caditne lex in instituta quae *mutuis subsidiis* vel auxiliis nituntur (*les mutualités*) ?

Lex exempla indicat, non omnia opera in quae valet enumerare proponit. Inter exempla autem habentur mensae rurales, quae mutuo subsidio plerumque nituntur, arcae parsimoniales, quae a mutuis suppetiis genere non sunt dissimiles. Quare instituta ista, nisi sacerdotibus destinentur, praesenti lege comprehendi non dubitamus.

Patet iam per se, ex generali negotiationis interdicto, clerum prohiberi ne stricte dictas *cooperationis* lucratoriae societates (*sociétés coopératives*) aliter ac consilio vel tutela foveat.

Ipsum operariorum sodalicium ad communes artis rationes tutandas (*syndicat professionnel*) cum *per se* a negotiis alienum sit, per se etiam lege non attingitur. Excipiendae sane sunt si quae negotiationes coniunctae sint.

5. *De recta decreti interpretatione atque usu.*

a) Errarit profecto qui legem exhibeat tamquam improbantem sacerdotes istos qui tanto labore nec sine multis aerumnis agricolarum, opificum, vel hominum modicae condicionis benefactores effecti sunt, dum mere cautione quadam pericula excessus avertere

intendit; vel qui, omissa parte qua opera promovenda dicuntur, additam prohibitionem solam consideret.

Ac lege abusus fuerit sacerdos qui vel ignaviae aut desidiae cedens vel scrupulis et animi timiditate seductus, in lege causam inveniat abstinendi instituendis vel fovendis operibus quae ad salutem animarum vix non sunt necessaria.

b) Is vero rectus decreti usus esse videtur, ut quotquot sacerdotes curam animarum gerant, officia sua directe spiritualia omni zelo explere meminerint; — ut munia quae coniunctas habent curas temporales et pericula potius laicis exercenda linquant, sed si necessitas vel gravis causa aliter suaserit opportuna licentia se muniant.

Fugere autem nos minime potest variam hanc necessitatis rationem esse posse, sive sine sacerdote opus exsistere vel prosperare nequeat, sive sine ipso concordia inter laicos peritura videatur, sive timendum sit ne opus sacerdotali directione destitutum socialem vel christianam indolem amittat et in manus etiam impiorum hominum (ut pluries accidit) perveniat.

Nec ficticias esse istas necessitates demonstrare possumus ex ipsa Italia, ubi varii abusus vel excessus condendi decreti causam dederunt. Ex incauta decreti exsecutione in pluribus locis alienata est ab institutis catholicis populi voluntas ac fiducia, et multae pecuniae, non sine damno et periculo, importune repetitae sunt. Quare catholica foederatio mensarum ruralium Pontificem supplex adivit obtinuitque ut rationabilibus eorum votis fieret satis [1].

c) Si nunc in aliquo regno vel republica, oeconomica sacerdotum actio nec spiritualibus officiis noceat nec seriis vel multis abusibus corrumpatur, rursus autem supprimi posse non videatur quin ipsa Ecclesiae pax vel religio in discrimen adducatur, quid consilii capiendum erit? Cum generali isti necessitati per singulares licentias satis consuli nequeat, hoc unum superest, menti Sanctissimi Domini et traditioni ecclesiasticae plane consentaneum: ut Episcopi, propositis rationibus suis, opportunas providendi facultates ab ipso benigno Pontifice sibi impetrent.

Sic ex praesenti decreto laetos fructus sperare licet ob quos colligendos conditum est, atque in tuto erit illud summum: « salus populi suprema lex esto ».

---

466. — S. CONGR. CONCILII

DECRETUM 30 NOV. 1910

De chori disciplina in Urbe servanda (A. A. S. 19 dec. 1910, 2, 959.)

Novi mandati S. Pon-

Decorem domus Dei studiose tuentes Romani Pontifices constantem in eo curam collocarunt, ut almae Urbis dignitati et sacrarum

---

[1] Haec a catholicis Italiae ephemeridibus mutuati sumus. Cfr. L'Unione, mediolanensis, dec. 1910.

quae in ipsa sunt aedium splendori ac magnificentiae par chori disciplina responderet. Frequens enim conspectus offerentium Deo hostiam laudis, et sacra mysteria, qua decet amplitudine ac maiestate, tractantium, ad mentes in divina erigendas et ad excitandam caritatem plurimum valet. Huiusmodi cum fuerit atque esse non desinat supremae auctoritatis Ecclesiae sollicitudo, nihilo minus novissimis hisce temporibus, eorumque maxime causa, factum est ut sensim sacri chori disciplina languesceret. Hinc cotidianae et graves ad hanc S. Congregationem perlatae voces conquerentium, in Ecclesiis Collegiatis Urbis, atque adeo in ipsis Patriarchalibus Basilicis, canonicos aliosque beneficiarios divino officio persolvendo ceterisque sacris obeundis interesse perpaucos. Quod cum et cultus divini decori adversetur, et offensioni astantibus esse possit, advenis maxime, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, sacrae dignitatis in Urbe servandae custos et vindex, Decessorum vestigiis inhaerens, habensque prae oculis Decretum Sacrae huius Congregationis editum die XVII mensis septembris MDCCCCII, et a s. m. Leone XIII confirmatum, haec statuit atque decrevit:

tificis causa et occasio.

I. Contraria quavis consuetudine sublata et interdicta, a die I proximi mensis ianuarii MDCCCCXI, universi fructus ad Capitula spectantes partiendi ex integro erunt cotidianas distributiones pro diebus et horis.

Conversio fructuum in distributiones.

II. Absens sine legitima causa fructus omnes amittet, et si quos forte perceperit, restituet, salvis peculiaribus Constitutionibus, quibus maior poena irrogetur.

Poena illicite absentis.

III. Absens valetudinis causa, debita ratione ac forma recognitae, tamquam praesens in choro habeatur, eidemque sit ius ad cotidianas distributiones ex integro percipiendas.

Privilegium absentis ob valetudinem.

IV. Servatis de speciali gratia indultis hactenus ab hac S. Congregatione concessis, cetera privilegia in favorem personae, sive institutorum piorumve operum causa, sive ratione munerum, praecipue in Sacris Congregationibus, quomodolibet et quovis titulo concessa, privilegiis quibuslibet non obstantibus, cessabunt, nullam vim habitura nec suffragatura cuiquam in posterum.

Privilegiorum revocatio.

V. Absentes ex indulto duas quidem partes, quae locum obtinent praebendae, acquirent; tertiam tamen semper amittent, ad quam nullum sibi arrogent ius propter gratiam antea impetratam.

Quid amittant absentes ex indulto.

VI. Facultatem concedendi exemptiones a choro ob legitimam causam SS. D. N. omnino reservatam vult huic uni S. Congregationi; quae tamen, ante gratiam largiendam, Capituli votum per tacita suffragia semper exquiret.

Exemptiones S. Congr. reservantur.

VII. Qui exemptionis privilegio fruuntur pro diebus et horis, iidemque temporibus ab officio vacuis, cuius gratia exempti sunt, interesse choro neglegunt, SS^mi^ D. N. mandato graviter commonentur, et meminerint, sese, non modo sanctitatem religionis violare, sed etiam iustitiae leges infringere, ideoque restitutionis obligatione teneri.

Usus restrictus

VIII. Ut sacerdotes ad Capitula pertinentes auxilio parochis institutisve religiosis esse possint ad sempiternam fidelium salutem procurandam, et componere, quoad liceat, adeundi chori obligationem cum aliis muneribus aut caritatis officiis, SS. D. N. potestatem facit E^mis^ PP. Cardinalibus Basilicarum Patriarchalium Archipresbyteris, et iis qui Ecclesiis Collegiatis praepositi sunt,

Facultas mutandi ordinem horarum et anticipandi.

audito voto sui cuiusque Capituli, horarum ordinem sacris obeundis officiis constitutum pro opportunitate mutandi, et in pervigiliis dierum festorum de praecepto praeoccupandi vespere *Matutini* recitationem cum *Laudibus*.

Firmantur iam data responsa.

Denique in iis omnibus, de quibus praesens decretum non cavet, Sanctitas Sua vult et mandat, ut sacrosancti Concilii Tridentini praescripta et Sacrae huius Congregationis decreta et responsa, ad cleri disciplinam regendam edita, ad unguem ab omnibus ac religiose serventur.

Clausulae.

Haec autem omnia praesenti eiusdem S. Congregationis Decreto evulgari atque inviolate custodiri iussit, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Dies (30 nov. 1910).

Datum Romae ex Sacra Congregatione Concilii, die XXX novembris MDCCCCX.

C. Card. Gennari, *Praefectus.*
B. Pompili, Secretarius.

Annotatio

Quia moralem et canonicam doctrinam de chori obligatione illustrat, duximus decretum istud esse plene referendum, quamvis eius argumentum a nostra provincia satis alienum sit.

---

467. — S. C. S. OFFICII (Sectio de Indulgentiis)

DECRETUM 15 DEC. 1910

De generali Tertiariorum absolutione

(A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 22)

Die 15 decembris 1910

Dies (15 dec. 1910).

Absentes eo ad quem spectat, quilibet sacerdos confessarius generalem Absolutionem congregatis Tertiariis impertiri potest.

SSmus N. D. Pius divina Providentia PP. X, in Audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, preces a nonnullis Tertiariorum Sodalitatum Moderatoribus pluries porrecta, benigne excipiens, quo facilius Tertiarii ex utroque sexu, cuiuscumque Ordinis, iis non exceptis, qui vitam communem agunt, diebus statutis generalem Absolutionem seu Papalem Benedictionem recipere valeant, clementer indulsit, ut, quotiens ipsi ad hunc finem una simul convenerint, et Sacerdos, cuius est illam impertiri, quacumque ex causa, afuerit, eandem Absolutionem seu Benedictionem accipere possint a quolibet Sacerdote, sive saeculari, sive regulari, qui ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Aloisius Giambene, *Substitutus pro Indulgentiis.*

---

468. — S. C. S. OFFICII (sectio de Indulgentiis)

DECRETUM ET DECLARATIONES 16 DEC. 1910

De metallico numismate, pro lubitu Fidelium, Sacris Scapularibus ex panno sufficiendo (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 22.)

A. *Decretum 16 dec. 1910.*

Decreti finis et occasio.

Cum sacra, quae vocant, scapularia ad fidelium devotionem fovendam sanctiorisque vitae proposita in iis excitanda maxime conferre compertum sit, ut pius iis nomen dandi mos in dies magis invalescat, SS^mus^ D. N. D. Pius divina providentia PP. X, etsi vehementer exoptet ut eadem, quo hucusque modo consueverunt, fideles deferre prosequantur, plurium tamen ad Se delatis votis ex animo obsecundans, praehabito E^morum^ Patrum Cardinalium Inquisitorum Generalium suffragio, in Audientia R. P. D. Assessori huius Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, die 16 decembris anni currentis, impertita, benigne decernere dignatus est :

Metallici numismatis quisnam usus legitimus ac privilegia.

Omnibus fidelibus, tam uni quam pluribus veri nominis atque a Sancta Sede probatis scapularibus (exceptis quae Tertiorum Ordinum sunt propria), per regularem, ut aiunt, impositionem iam ascriptis aut in posterum ascribendis, licere posthac pro ipsis, sive uno sive pluribus, scapularibus ex panno, unicum numisma ex metallo seu ad collum seu aliter, decenter tamen super propriam personam, deferre, quo, servatis propriis cuiusque eorum legibus, favores omnes spirituales (*sabbatino*, quod dicunt, scapularis B. M. V. de Monte Carmelo *privilegio* non excepto) omnesque indulgentias singulis annexas participare ac lucrari possint ac valeant ;

Numismatis forma requisita.

Huius numismatis partem rectam, SS^mi^ D. N. I. C. suum sacratissimum Cor ostendentis, aversam, B^mae^ Virginis Mariae effigiem referre debere ;

Benedictionis condicio.

Idem benenedictum esse oportere tot distinctis benedictionibus quot sunt scapularia regulariter imposita, queis, pro lubitu petentium, suffici velit ;

Benedicendi forma, potestas et utile tempus.

Singulas has, demum, benedictiones impertiri posse *unico crucis signo*, vel in ipso ascriptionis actu, statim post absolutam regularem scapularis impositionem, vel etiam serius, pro petentium opportunitate, non interest an servato vel non diversarum ascriptionum ordine, nec quanto post temporis ab ipsis, a quovis Sacerdote, etiam ab ascribente distincto, qui respectiva scapularia benedicendi sive ordinaria sive delegata facultate polleat, firmis ceteroquin primitivae facultatis limitibus, clausulis et condicionibus.

Clausulae.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstinantibus.

Dies (16 dec. 1910).

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 16 decembris 1910.

Aloisius Giambene,
Substitutus pro Indulgentiis.

B. *Declarationes 16 dec. 1910.*

Ante concessae facultates.

Circa numismata hucusque ad finem, de quo supra, benedicta, et circa facultatem ea benedicendi a SS^mo^ D^no^ nostro, directe, vel per aliquod S. Sedis Officium, aut aliter quomodolibet iam concessam, idem SS^mus^ mentem Suam aperuit, et quae sequuntur adamussim servanda mandavit :

In iam benedictis numismatibus vim plenam retinent.

1. Numismata et facultatem habentibus rite iam benedicta, etiam in posterum scapularium loco gestari poterunt, eo modo et sub iis condicionibus, quibus constitit factam potestatem ;

Ad praesentes leges aptatae per quinque annos perseverant.

2. Sacerdotes omnes, saeculares vel regulares, etiam conspicua fulgentes dignitate, ne amplius numismata sic benedicendi utantur facultate, quinquennio ab illa obtenta transacto. Poterunt interea, etiamsi scapularia respective benedicendi non polleant facultate, numismata ubilibet benedicere ; ea tamen lege, ut sive quod ad statutas eorum attinet imagines, sive quod ceteras respicit condiciones, praescriptionibus in supra relato Decreto contentis omnino se conforment ;

Supprimitur sub delegandi facultas.

3. Qui porro subdelegandi praediti erant facultate, hac ipsa Decreti et Declarationum promulgatione, se illa noverint excidisse ; satis enim per idem Decretum iam spirituali fidelium emolumento provisum est.

Dies (16 dec. 1910).

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 16 decembris 1910

Aloisius Giambene,
Substitutus pro Indulgentiis.

ANNOTATIONES

1. Denique tandem, praesenti decreto cum coniunctis declarationibus nobis copia suppeditatur de numismatibus quae pro scapularibus gestantur et plures iam explicationes in hisce periodicis postularunt [1] certum quidpiam et firmum dicendi.

Atque ipsum diplomatum ordinem servantes, prius de praesenti ac stabili, dein de superiore ac temporario iure verba non nulla faciemus. Itaque :

2. *Praesens ius* sic paucis verbis proponi potest :

a) *Mens* S. Pontificis ea esse dicitur, ut servatum hactenus morem praeferat, simul tamen novam facilitatem libenter concedat. Dicitur enim *vehementer* exoptare ut scapularia diu iam recepto more gerantur, et rursus ex *animo* aliis votis obsecundare. Erraverit ergo qui putaverit metallicum numisma *tolerari* potius quam approbari ; recte autem senserit qui levem causam satis esse dixerit ut, numisma in scapularis locum sufficiendo, intentioni pontificiae plene respondeas. Sic etiam potius probatum iri existimarim qui, ad honorandum principale scapulare, id est B. M. V. de Monte Carmelo, hoc gesserit more consueto, in locum vero aliorum numisma suppleat ne plures parvos pannos scapulis gestare cogatur.

b) *Impositio* scapularis nihil mutatur ; sed qui consueta forma scapulare unum vel plura legitime receperit potest dein pro *omnibus* receptis a se scapularibus vel pro *uno* aut *pluribus* ex iisdem, *unicum* gerere *numisma* metallicum. Non tot ergo habenda sunt

[1] Cfr. t. IV, n. **324**, p. 348-350 ; t. V, n. **378**, p. 86-88 ; p. 106, inter Errata, n. **394**, p. 126-128 ; n. **414**, p. 148 et p. 239.

numismata quot scapularia gesseris, sed unum numisma omnium scapularium loco esse potest. Sola excipiuntur quae a Tertiariis qua talibus gerenda sunt : horum forma mutari non potest.

Decens *delatio*, et quidem *super propriam personam*, non tamen ad collum, postulatur. Quare etiam per noctem corpori vel vesti qua indutus sis numisma adhaerere debet.

Numisma autem scapulari prorsus aequiperatur, non tantum quod ad indulgentias, verum etiam quod ad alia privilegia, non excluso *sabbatino* privilegio : de qua vi immerito dubitatum est.

c) Numisma debet *semper*, etiam si solum suppleat scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, binas effigies praeferre : Domini Nostri Iesu Christi, suum S. Cor ostendentis (nec solum cor sine persona Christi, nec sola persona sine ostenso corde sufficit), et B. Mariae Virginis (huius representatio variare potest).

Effigies autem Christi *rectam* numismatis partem habere debet. Quod suo momento non caret. Oportet enim ut principalitas cultus Domino reservetur. Saepe tamen, ne dicam plerumque, recta numismatis pars ab altera distingui non potest, ita ut de condicione ista curandum non sit. Sed, ut menti saltem Pontificis satisfiat, cavendum erit ne Christi imago ex forma, ornatu, etc., secundaria videatur.

d) Ut unicum numisma plura scapularia supplere queat, oportet ut quot supplenda sint scapularia tot distinctis *benedictionibus* munitum fuerit.

Singulae porro benedictiones unico crucis signo impertiri possunt. Itaque, competens sacerdos qui numismata voluerit apta reddere ad quinque scapularia supplenda, quinquies, hac intentione, crucis signum super numismata efficiet, sive nulla verba pronuntiando, sive laudabiliter addendo : « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. » Ne tamen ista quinque crucis signa, confuse data, ad nullum definite scapulare valeant, benedicens sacerdos vel mente suum cuique scapulari signum deputabit, vel intentionem concipiet supplendi scapularia eo ordine quo fuerint instituta vel quo, incipiendo a scapulari B. M. V. de Monte Carmelo, coniungi seu alia aliis assui solita fuerint. Curandum esse putamus ut ordo iste aliquo modo definiatur. Hoc enim per se postulari videtur et insinuatur decreto, cum dicatur *ordinem ascriptionum* observandum non esse.

Momentum autem quo benedictiones dentur, arbitrio sacerdotis permittitur, saltem quatenus illas conferre potest vel statim vel diu post regularem scapularis impositionem. An etiam ante? De dubio isto mox infra dicemus.

Non autem requiritur ut idem qui personas ascripserit numismata iis benedicat.

Facultas demum benedicendi competit tum iis qui illam ante praesens decretum obtinuerint, ita tamen ut quinto a recepta potestate anno elapso, eadem excidant ; tum omnibus qui respectiva scapularia imponere possunt. His facultas benedicendi numismata iisdem omnino vicibus quibus scapularia imponendi facultas subicitur. In posterum itaque haec norma dari poterit : facultas benedicendi numisma est perpetuum corollarium facultatis imponendi scapularia.

e) Dubium. Dum in decreto sermo fit de tempore quo numismata utiliter benedici possunt, semper tale ponitur quod personae

inscriptionem sequatur. Dicitur enim « statim *post*... vel etiam *serius*... non interest quanto *post* temporis. » Hinc duplex quaestio nascitur.

α) Licetne sacerdoti idoneo multa in antecessum benedicere numismata ad usum etiam personarum quae postmodum inscriptae fuerint, ita ut benedictio inscriptionem, non tamen usum numismatis antecedat ?

β) Si persona quae unum scapulare receperit, numisma gerat pro quinque benedictum, et subinde regulari modo quattuor alia obtinuerit, incipitne numisma statim reipsa pro quinque valere, an denuo pro quattuor additis benedicendum est ?

R. Ad α) Si verba decreti consideres, benedictio numismatis utiliter ante impositionem fieri posse non videtur. Atque in his rebus tutiores partes amplectendae sunt. Praeterea haec ratio accedit. Cum facultas benedicendi numisma iisdem quibus ascribendi personas limitibus contineatur, periculum est ne numismata antecedenter benedicta pro personis quae eas assumpserint valere nequeant. Qui itaque personas inscribat, scapularia more consueto prius imponat dein numismata benedicat et tunc eadem inscriptis personis gerenda tradat.

Nolimus tamen, ob ea quae de lege transitoria statim observanda sunt, idem severe dicere de numismatibus quae ante 16 decembris 1910 benedicta sint. Ex generali ratione qua res benedictae usurpari permittuntur, dixerimus illa numismata simpliciter assumi posse a personis quae post diem 16 decembris inscriptae sunt vel inscribentur.

Ad β) Iisdem decreti verbis nixi, respondemus, donec S. Sedes benigniorem mentem suam aperuerit, numisma de quo in casu, denuo pro quattuor additis benedicendum esse.

8) Valent autem communes leges de rebus quae cum privilegio indulgentiarum benedicuntur. Perit itaque benedictio, si res iam benedicta *vendatur*, etsi mere metalli et operae pretium exigas. Perit etiam, si quis cum alio indulgentias et privilegia communicare voluerit, tradendo ipsi numisma iam a se ad usum personalem usurpatum.

3. *Superioris ac transitorii iuris* definitiones respiciunt benedicta *numismata*, usum et fines *anteriorum facultatum*, et potestatem *subdelegandi*.

a) *Numismata* iam rite benedicta plenum suum valorem servant, sive iam distributa et usurpata, sive nondum pro scapularibus gestata fuerint. Ut ea dicamus quae magis de istis *iam benedictis* numismatibus constant : numismata quae solam B. M. V. imaginem praeferunt pro scapularibus B. M. V., immo, si per S. Rituum Congregationem concessa fuit facultas, pro quinque solitis adhiberi possunt ; quae solam Christi imaginem praeferunt, pro scapularibus SS. Trinitatis, Passionis D^ni^ et Sacratissimi Cordis, atque etiam, ut videtur, S. Ioseph, usurpari poterunt ; — eadem numismata tributa vel etiam gestata ante regularem inscriptionem incipient, ab inscriptione rite facta, pro respectivis scapularibus valere ; — nec necesse erit plura signa crucis supplere si unica benedictione fuerint munita.

Suntne super propriam personam ferenda an satis est ut eadem prope te habeas : id minus certum est, cum verba declarationis

19 iul. 1909 « *apud* se habitualiter » ambiguitate aliqua non careant.

b) *Ante concessae benedicendi facultates* post quintum a concessione annum prorsus desinent. Nec ulla est personarum exceptio. Interea earum usus universalis permittitur, sed ad praesentes leges accommodatus, ita ut hoc unum inter eos qui sub priore iure et eos qui nunc facultate ista pollent intersit, ut illi non autem hi independentem a facultate imponendi scapularia potestatem habeant.

Quaeres num *omnes* antea factae facultates per quinque annos perseverent? Ut iura inter se conciliemus, respondemus eas tantum perseverare quae secundum praeceptum, motu proprio 7 april. 1910 *Cum per apostolicas* datum, S. Officii recognitioni oblatae fuerint. Nihil autem officit easdem a S. Officio non fuisse expresse confirmatas. Videtur enim S. Officium presenti generali declaratione se onere eximere voluisse de singulis facultatibus respondendi.

c) Omnis denique *subdelegandi* potestas est huius decreti promulgatione (itaque a die 16 ian. 1911) suppressa. Facultatem istam potissimum habuere plures religiosorum Superiores. Ante tamen ab ipsis communicatae facultates permanebunt, non tamen ultra tempus quo ipse subdelegans potestatem suam servaverit. In huiusmodi enim facultatibus communicatio ultra diem communicantis facultati assignatum fieri nequit. Cfr. FEYE, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, ed. 4, n. 617, p. 558 nota 1.

d) Quamvis ex C. *Promulgandi*, 29 sept. 1908, unica legitimae promulgationis ratio sit insertio in COMMENTARIO OFFICIALI, nisi aliter a S. Sede provisum sit, nec, in ipso decreto ulla exceptionis indicatio habeatur, praesens tamen decretum, decurrente mense decembri per OSSERVATORE ROMANO vulgatum est, atque in Urbe invaluit persuasio, iam a 16 dec. 1910, id est a die qua ex aedibus S. Officii prodiit applicari potuisse.

---

469. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECLARATIONES 17 DEC. 1910

De iuramento quod Motu-proprio « sacrorum antistitum » praescribitur (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 25)

Dubia.

Propositis huic sacrae Congregationi Consistoriali quae sequuntur dubiis, id est:

Coram quo iurant religiosi ordinandi,

I. utrum alumni Religiosi maioribus ordinibus initiandi teneantur dare iusiurandum a Motu-proprio *Sacrorum Antistitum* praescriptum coram Episcopo ordines conferente, an coram moderatore religioso;

vel confessarii et contionatores.

II. coram quonam idem iusiurandum praestare debeant Religiosi qui confessionibus excipiendis et sacris contionibus habendis destinantur;

Ubinam servanda sunt documenta.

III. in quibusnam tabulariis asservanda sint documenta iurisiurandi a superius memoratis Religiosis dati;

Audientia 16 dec. 1910.

SS^mus^ Dominus noster Pius PP. X, in audientia diei 16 decembris 1910 Cardinali Secretario eiusdem sacrae Congregationis concessa, mandavit ut respondeatur:

Responsa.
Ad I. Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundum.
Ad II. Ad II. Coram eo a quo approbationem confessionibus excipiendis et sacris contionibus habendis obtinent.
Ad III. Ad. III. In tabulario illius Ordinarii, qui iusiurandum recepit.
Dies (17 dec. 1910). Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 17 decembris anno 1910.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
S. Tecchi, Assessor.

Annotationes

1. Cum ordines saepe ab Episcopo conferantur qui, saltem in ordinationis loco, nulla potitur iurisdictione, observandum est ipsum tunc pro dioecesano loci Episcopo omnia peragere. Quare Episcopus ordinans etiam et maxime is est in cuius dioecesi ordinationes fiant. Ipse itaque possit etiam, immo potiore titulo, iusiurandum ordinandorum recipere, atque in eius tabulariis subscriptae formulae servandae sunt.

2. Quae de iuramento confessariorum et contionatorum dicuntur componenda sunt cum declaratione 25 oct. 1911 ad 1, ex qua colligitur eum qui eodem moraliter tempore plures ob titulos iuramento praestando adigatur, semel iurare debere, et praestiti iuramenti fidem ei exhibere qui alio titulo iuramentum exigere potest.

---

470. — SS. D. N. Pii PP. X

LITTERAE, AD CARD. ARCHIEP. COLONIENSEM, 31 DEC. 1910

De variis argumentis gravioribus (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 18)

Dilecto Filio Nostro Antonio S. R. E. Presb. Card. Fischer, Archiepiscopo Coloniensi

Gratulatur archiepiscopo, episcoporum concordiam,

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae tuo nomine itemque Venerabilium Fratrum, Germaniae Episcoporum, qui tecum sollemnem coetum Fuldae celebrarunt, perscribis ad Nos de rebus communiter consultis, ea Nos quidem summo opere delectant; praesertim cum sit perspicuum in consiliis vestris fraternam omnino dominatam esse caritatem, adeo ut opinionum varietas in disceptando consensum omnium in deliberando minime impediverit. Gaudemus etenim vos de re sociali diligenter cavisse, ut simultates contentionesque acerbae quae inter duo foederatorum opificum genera intercedunt, e medio pellantur; ob eamque causam utrisque sodalitatibus certas quasdam in universum constituisse leges quas sequi debeant, ut in sua quaeque regione pergant pro veris et dominorum et operariorum utilitatibus niti, idque cum religiosae civilisque rei emolumento. Gratum est etiam, quod significas, vos, Decreti Nostri *Quam singulari* exsequendi gratia, statuisse per communem epistolam

compositam contentionem de foederatis opificibus,

propositum scribendi communem

docere populum et admonere quid generatim fieri oporteat, ut pueri quamprimum Mensam Eucharisticam participent. In quo velimus probe intellegant Christifideles non tam illud agi ut praecepto Romani Pontificis obtemperetur, quam ut eiusmodi officio satisfiat quod ab ipsa Evangelii doctrina sponte nascitur, atque adeo ut vetus et perpetua Ecclesiae consuetudo, ubi intermissa est, ibi revocetur. — Quod attinet ad potestatem a Nobis factam Episcopis removendi loco Parochos, ratione oeconomica, non miramur, huic Decreto, quotquot ab eo sibi timent, repugnare, eosque fortasse ab ipsis rerum publicarum gubernatoribus contendere, ut eiusdem Decreti vim et effectum impediant. Etsi autem usus potestatis huius omnem semper circumspectionem cautionemque desiderat, nolumus tamen id prudentiae studium umquam abeat in sollicitudinem pusilli animi, ob quam Episcopus, rei difficultatibus, plus aequo, commotus, non audeat ad id devenire quod magni ad salutem animarum interesse videt. Etenim in perfunctione officii, maxime quae ad divinam gloriam recta pertineat, nulla est defugienda dimicatio, immo animose nobis adeunda, quandoquidem Deus ipse dimicantibus adest *adiutor fortis*. — De detestandis autem *Modernistarum* erroribus ad praescriptam a Nobis formulam, Nos quidem, cum coram tecum egimus, benigna legis interpretatione usi, declaravimus, non adigi eo Motu-proprio ad iusiurandum sacerdotes qui sacras disciplinas in Athenaeis civilibus profitentur. Verum, si qui ex his doctoribus publicis simul in ministerio sacerdotali ut contionatores aut confessarii versentur, aut sacrum beneficium obtineant, aut in curiis vel iudiciis ecclesiasticis aliquid muneris gerant, eos e communi iurisiurandi lege eximere, Nobis profecto non fuit in animo, nec est. Illi ipsi autem quibus, utpote doctoribus publicis tantum, iurando abstinere licet, si prae se ferant hac se uti licentia libenter, nullam fortasse de suae doctrinae sanitate suspicionem afferent, at certe iudiciis hominum misere servire se ostendent, ignave reverentes istorum auctoritatem qui non ex animi sententia sed ex odio catholicae professionis clamant personantque, hoc fidei sacramento dignitatem violari rationis humanae et progressionem studiorum cohiberi. Itaque in hoc genere, praeter eam quam diximus causam, remissioni dare locum non placet. Ceterum, hoc habemus persuasum, quibus iurisiurandi gratiam fecimus, eos ipsos in significationem virilis animi fore principes ad illud dandum, nec dubitaturos, si res tulerit, contumelias pati; siquidem facile sibi viderentur non digni magisterio christiano, si se puderet in ministris esse Domini Nostri Iesu Christi. — Quod autem ad populum tuum amantissimis verbis renuntiasti, quemadmodum a Nobis, nempe pro tuis magnis in Nos meritis, paulo ante exceptus esses, gratum est. Nam cum omnes qui suam pietatem Nobis probant, maximeque dilectos filios Nostros Cardinales, et Venerabiles Fratres, Episcopos, qui regiminis Ecclesiae pondus Nobiscum sustinent, caros habeamus; tum nihil tam valde cupimus, quam ut Nostra erga eos caritas benevolentiae appareat. — Restat ut gratias tibi pro faustis omnibus agamus, quorum quidem referimus ex animo vicem; atque in auspicium caelestium quae precamur munerum tibi, dilecte fili Noster, ceteris omnibus Germaniae Episcopis, in primisque Cardinali Episcopo Vratislaviensi, et Clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

ep stolam de decreto « Quam singulari », cuius gravitas inculcatur.

De administrativa remotione Parochorum,

De iuramento praescripto litteris « Sacrorum Antistitum » prudenter et firmiter docet.

Benedictio Ap.

Dies (31 dec. 1910).

Datum Romae apud S. Petrum, die XXXI mensis decembris MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

Pius Pp X.

Annotatio

Gravitas argumentorum quae tractantur causa sunt cur litteras istas referamus.

---

471. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 1 IAN. 1911

De laicis Ordinum, praesertim qui sollemniter vota profitebuntur (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 29)

Sollemnitatis votorum ratio et firmitas, et

Sacrosancta Dei Ecclesia Ordines Religiosos decorandos voluit sollemnitate votorum, quo status prosequentium in iis evangelica consilia fieret aestimatione et effectu in christiana societate stabilior. Ad quae vota sollemniter profitenda eos quoque admittit qui, nulla sacerdotii Christi participatione donati, Conversi seu Laici vocantur.

consequenter cautiones de fidelitate, praesertim laicorum, habenda.

Cum vero per votorum sollemnitatem prorsus irrevocabili, artissimo et publico nexu mancipetur homo divino servitio coram Ecclesia et fidelibus universis, decet omnino, ut qui, hac ratione, Christi vestigia se propius ac perpetuo secuturos spoponderunt, ii fideliter in sua promissione perseverent. Quod praesertim de Laicis seu Conversis dicendum est, quos non nisi admiratione summa et scandalo cernerent fideles, post sollemnem professionem ad saecularia vota redire, nullo a se vitae prioris signo distinctos.

Pericula ex saeculi spiritu et ex Fratrum condicione.

Spiritus autem temporum, qui omnimodam libertatem infausto vindicat hominibus, sancta quoque Monasteriorum saepta est furtim praetergressus; idque etiam effecit, ut cum desiderio vitae humilioris, absconditae in Christo, qualis Conversorum solet esse in Coenobiis, propositi perseverantia simul imminueretur, in iis praesertim Laicis, quos forsan religiosos potius fecerat necessitas quam voluntas, vel quos Superiores absque debitis cautelis exceperant, vel quos acceptis a Deo beneficiis abuti contigerat. Hos, parvi facientes verba Sancti Augustini: *Nec ideo te vovisse paeniteat, immo gaude iam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset; aggredere itaque intrepidus et dicta imple factis; ipse adiuvabit qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quae in meliora compellit* (S. Aug., *Ep.* 127, 8), mater Ecclesia, studens minori malo, licet non sine magna commiseratione, aliquando permisit abire.

Decreti prudenter praeparati et conditi in coetu 29 iul. 1910,

Ut igitur dignitas votorum quae etiam Laici sollemni ritu promittunt in laude, qua in Ecclesia merito gaudent, perseveret, et ad sanctum vocationis propositum impensiore cura provehendum, nostra difficillima aetate, haec Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, rem attentissime in Domino consideravit, discussis sedulo causis, propositisque mediis ac remediis; sententiamque expetivit cum Moderatorum Generalium praeci-

puorum Ordinum, tum plurium ex suis Consultoribus. Quae omnia Emi Patres Cardinales Sacri eiusdem Consessus, in Plenario Coetu, die 29 iulii anno 1910 ad Vaticanum habito, diligentissime perpendentes, quaedam statuenda rati sunt quae Laicorum ingressum, tyrocinium, institutionem, votorum emissionem in posterum opportune moderentur.

Vis,

Haec igitur erunt apprime servanda ab omnibus Religiosis Familiis, apud quas a Conversis quoque sollemnia vota nuncupantur, nimirum:

ac tenor. Qua aetate postulantes admitti possint.

1. Moderatoribus Generalibus facultas fit permittendi totiens quotiens Superioribus Provincialibus, ut excipere valeant eos quoque iuvenes, ad Laicorum munia destinatos, qui vix expleverint decimum septimum aetatis annum, servatis servandis.

Postulatus diuturni necessitas.

2. Nemo ad Novitiatum admittatur qui per duos saltem annos, vel per plures, si magis diuturnum experimentum Constitutiones Ordinis praescribant, postulatum non expleverit, sub poena invaliditatis postea professionis.

Novitiatus initium et duratio.

3. Novitiatus ante vigesimum primum aetatis annum initium non habeat, ad tramitem iuris vigentis; isque unum vel etiam duos annos perduret, iuxta proprii Ordinis Constitutiones.

Professionis simplicis tempus.

4. Expleto Novitiatu, servatisque quae servanda sunt, Laici admitti possunt ad simplicem votorum professionem, quae quidem, perpetua ex parte voventis, sit ad tempus sexennii ex parte Ordinis.

Aetas et condicio validae professionis.

5. Absoluto sexennio votorum simplicium et expleto trigesimo aetatis anno ac non prius, sub poena item invaliditatis, servatisque pariter servandis, Laici vota sollemnia nuncupare poterunt.

Obligantur laici iam recepti.

6. Quae in praecedentibus articulis respiciunt professionem votorum simplicium et sollemnium erunt quoque servanda quod ad Laicos nunc in Coenobiis viventes, qui sollemnem professionem nondum nuncuparunt.

Speratus fructus,

Spatium hoc sat diuturnum novem annorum sperandum est fore ut cum Superioribus tum tyronibus opportunitatem det explorandi illinc voluntatem, hinc vitae institutum, ad quod postea sollemniter amplectendum, virtute firmior, potest homo maturius afferre iudicium.

Si accedat recta conversorum admissio et institutio.

Haec autem aliquam, non tamen omnino firmam darent perseverantiae spem, nisi ea comitentur sequentes et aliae id genus cautelae et industriae, quas Apostolica Sedes, decursu saeculorum, edixit vel adhibendas suasit, et observantiores Familiae Religiosae laudabili consuetudine et felici exitu expertae sunt.

Cautiones in admissione servandae.

Et in primis quod ad Conversorum receptionem, multae sunt eaeque sedulae adhibendae cautelae et inquisitiones praemittendae. Provincialis indaget oportet de legitimitate natalium, de morum honestate, de optima coram populo fama, de idoneitate tyronum, ac praesertim de natura finis quo ipsi aguntur amplectendi statum Religiosum. Plures enim sunt qui, Religionem ingressi, non videntur commoda dereliquisse, sed quaerere; qui quaerunt *in Monasterio quae nec foris habere potuerunt* (*Reg.*, S. Aug., c. I, 3), quique facilem vitam curarumque expertem, immerito nominis honore, gerere cupiunt. Hi sane non sunt quibus cum Sancto Augustino exclamare fas est: *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat!* (S. Aug., *Conf.*, l. 9, c. 1).

Erunt quidem hi habitu Religiosi, non virtute, quos rectius fuerat in saeculo ambulasse per plana, quam ad altiora tendentes forsan in discrimen suam aeternam vocare salutem.

Quos factae, etiam secreto, inquisitiones et exhibita documenta serio commendaverint, ii tantum, praehabita de more maiorum Superiorum licentia, ad Postulatum admittantur.

Praeficiendus Pater postulantibus.

Satis exploratum est, habet Clemens VIII in Instructione *Cum ad regularem* (n. 22), super receptione et educatione Novitiorum, *perfectam educationem* Conversorum *tum Religioni decorem et ornamentum, tum aliis Christifidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre.* Necesse igitur est, ut statim ab ipso initio eorum animum spiritus Religiosus et Ordinis totum pervadat. *Qui disciplinam in novae conversationis initio neglegit, ad eam postmodum difficile applicatur, et formam, quam primo quis recipit, vix deponit* (S. Bonaventura, *in Spec. Disc.*, prolog. n. 1).

Ad hoc assequendum praeficiatur Postulantibus Pater, quem et aetas probaverit et vita, cui dicit sanctus Bernardus: *Zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia* (S. Bernardus, Serm. 20. n. 4, Cant.), et de quo Sanctus Gregorius Magnus scripsit (*Reg. Past.*, p. 2, c. 6): *Curandum quippe est ut rectorem subditis et matrem pietas et patrem exhibeat disciplina. Atque inter haec sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa... Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.*

Cura cultus civilis et externae compositionis,

Saepe ab ipsa civili educatione initium ducendum est; cum inferioris soleant esse fortunae qui Laicorum numero petunt ascribi. Inurbanitas in agendi modis, in responsionibus dandis, in incessu, in ipsa corporis sumenda refectione, erit paulatim, sed omnino, evellenda. Sordi habitus, quos sibi non amor humilitatis et contemptus mundi sollicite elegit, sed rudis neglegentia foedavit, non olent spiritum Christi, ideoque non semper bene de iis quorum corpora tegunt, annuntiant. Corporis habitusque mundities, comite semper modestia ac simplicitate, erit summopere curanda. Quas item in mundo civilis educatio moderatas regulas constituit humani consortii, eas caritas quoque fraterna adhibendas suadet etiam in Coenobiis, cum caritatis sit, quicquid proximum perturbare potest, attente defugere. Inurbanitas autem, quae ex studio sui commodi procedit cum aliorum neglectu, non potest quin molestiam aliis inferat detque occasionem patientiae.

Externe haec sese habendi compositio viam sternit animo plenius educando, iis scilicet nobilibus sensibus infundendis, quibus mens trahitur ad aliorum levem quamque offensionem vitandam, desideria praevenienda, gratum animum facile demonstrandum, alios sibi praeferendos.

Haec tamen singula informet oportet, regat ac nobilitet caritas Christi, ita ut quicquid verbis, operibus, omissionibus nostris laudabile est ac proximo gratum, procedat ex corde pleno caritatis.

Boni exempla aliorum.

Quae omnia, si Laicos decent, summopere eminere debent in Sacerdotibus et iis, qui ad sacerdotium erunt promovendi, quorum igitur Laici intuentes exempla, pertrahantur non solum ad virtutis, sed etiam ad modestae urbanitatis tramitem prosequendum.

Monitis, hortamentis, patientia ac praesertim exemplo, rudiorum quoque non erit difficile in urbanos et amabiles ita convertere mores ac modos, ut, non multo post eorum ingressum in Religionem, de ipsis repetere liceat illud Sancti Bernardi: *Induerunt sibi faciem disciplinatam, et bonam totius corporis compositionem... sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Verum, quia haec noviter coepere, ipsa sui novitate flores censenda sunt et spes fructuum, magis quam fructus* (Serm. 63, in Cant. n. 6).

Quomodo procuranda sit institutio in doctrina christiana et virtutibus.

Fructus hos quidem gignet institutio spiritualis, cui toti sint cum Postulantibus Praepositus, et cum Novitiis Magister. Laicorum profectum in viam sanctitatis faciant ipsi opus et lucrum sane nobile et ingens.

Ad normam Decretorum Apostolicae Sedis, iis explicent universam doctrinam christianam, praesertim quod ad sacramenta confessionis et communionis rite et fructuose percipienda, prae oculis habentes Catechismum Concilii Tridentini ad Parochos. Simul eos doceant, quasnam obligationes secum trahat votorum professio, quid exigant votis respondentes virtutes. Eas quoque explanent Regulae et Constitutionum partes quae ad Conversos pertinent.

Habeantur statis diebus collectiones seu sermones ad Laicos, non tantum vero ad novos, sed ad omnes, seniores quoque votorum professione et aetate; quibus collectionibus seu sermonibus argumentum sint non solum catechismus, vitae spiritualis monita, Regulae et Constitutionum explanatio, verum etiam normae practicae et exempla modestae moderataeque urbanitatis.

Laicorum autem animum iis virtutibus ac praesidiis Superiores roborare satagant, quae Laicorum status, praecipua quadam ratione, reposcit, nempe humilitate, oboedientia, spiritu orationis ac sanctificatione laboris.

Commendanda ipsis humilitas,

Et in primis, exteriorem et cordis humilitatem studeant assequi Laici. *Nec aliam tibi... viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: et quotiens interroges, hoc dicerem* (S. Augustinus, ep. 118, n. 22). Nam, ut habet divus Bernardus (*De Cons.* l. 5, c. 14, n. 32): *Virtutum... stabile fundamentum, humilitas...; si nutet illa, virtutum aggregatio nonnisi ruina est.* Quod ita explicat Sanctus Thomas: *Humilitas primum locum tenet, in quantum scilicet expellit superbiam, cui Deus resistit, et praebet hominem subditum et semper patulum ad suscipiendum influxum divinae gratiae, in quantum evacuat inflationem superbiae; ut dicitur* Iac. IV, *quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; et secundum hoc, humilitas dicitur spiritualis aedificii fundamentum* (II. II. q. 161, art. 5, ad 2).

Cum vero *ad veram humilitatem inducat frequens in despectis operibus exercitatio, dicente Sacra Scriptura quod numquam ad humilitatis virtutem perveniet qui opera humilitatis refugit* (B. Alb. M. *de Par. Animae* c. 2), muneribus quibus funguntur eo potissimum debent gaudere Laici quod humilitatis exercendae et augendae veluti indeficientem habeant opportunitatem.

Oboedientia.

Excellat quoque in Laicis oboedientia. Noverint in ea nullum esse peccandi periculum; cum ea, certissima est victoria, inexpugnabile tutamen, merita plurima, pax summa. Sit autem oportet

munita supernaturalibus motivis Iuxta Sanctorum documenta, rectores nostri sunt vicarii Dei super nos. Et ideo debemus iis sicut Domino oboedire et non sicut hominibus, quia non propter ipsos, sed propter Deum iis subiacemus. Ac Sanctus Gregorius Magnus docet : *Vera namque oboedientia nec praepositorum intentionem discutit, nec praecepta discernit... Qui oboedientiae bonum exsequitur, non iniunctum opus debet considerare, sed fructum.* (In I. Reg. l. 2, c. 4, n. 11). Quapropter Sanctus Bernardus merito improperat eorum oboedientiam qui *non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt et diiudicant, eligentes in quibus oboediant imperanti* (In conv. S. Pauli, Serm I, n. 6); et quos constat, iuxta eundem Sanctum Bernardum, *nec umquam libenter oboedire, nisi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas* (*De praec. et dispensat.* c. 10, n. 23). Huic exercendae virtuti validissimum dent auxilium et animum verba et exempla Christi Iesu, qui non desiit asseverare : *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam. Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ego quae placita sunt ei, facio semper. Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius. Pater mi,... non sicut ego volo, sed sicut tu* (Ioan. 6, 38; 5, 30; 14, 31; 8, 29; 4, 34; Matth. 26, 39); quique *factus est oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Philip. 2, 8).

Oratio mentalis ac vocalis, cum usu iaculatoriarum orationum.

Spiritus quoque orationis erit magnopere provehendus. *Orandi diligentia tibi in primis necessaria est : impenetrabilis enim armatura, certum perfugium, securus portus, tutissimumque asylum est oratio. Haec una et mala omnia depellit ab anima, et bona omnia in illam invehit. Ipsam animam purgat, poenam peccatis debitam submovet, praeteritas neglegentias sarcit, divinam gratiam impetrat, pravas concupiscentias exstinguit, effrenatas animi passiones domat, hostes prosternit, tentationes superat, calamitates lenit, moerorem fugat, laetitiam infundit, pacem conciliat, hominem Deo coniungit, coniunctumque ad aeternam gloriam sublevat. Precando impetrabis quicquid utile tibi fuerit* (Lud. Blosius, *Canon vitae spirit.*, c. 17, n. 1). Clemens VIII ad Conversorum religiosam institutionem id quoque praescripsit : *Pro eorum capacitate et commoditate, de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt* (*Instr. super rec. et educ. Novit.*, n. 22).

Curandum igitur est, ut bene noscant Laici virtutem et exercitium orationis ; ut statis horis orationi cum mentali tum vocali fideliter vacent ; ut tempus ad hoc statutum in Constitutionibus Ordinis unice orationi integrumque dicent ; nec satis sit eos meditationi operam dare, cum Missis inserviunt. Indagent autem Superiores, praesertim postquam Laici tyrocinium absolverint, utrum meditationi et orationibus incumbant.

Brevium quoque orationum, quas iaculatorias vocant, sit ipsis usus continuus inter diem. Compendiosa est enim via ad consequendam animae unionem cum Deo, ad merita augenda, ad rectam intentionem servandam, ad tentationes praeripiendas et superandas, ad omnia sanctitate extollenda.

Sanctifica-

Manuale opus, quod in Coenobiis est munus Laicorum praeci-

puum, pariter sanctificent, non ad oculum servientes, non laudis expetentes praemium, sed unice voluntatis Dei ac Superiorum solliciti. *Quam pudendum et dolendum* est, *si delectat labor, uti... cuppa et sacculus impleatur... et non delectat, ut Deus acquiratur* (S. August. *De bon. vid.* c. 21). *Quanta apud Deum merces, si in praesenti pretium non sperarent! Quantis sudoribus haereditas cassa expetitur! Minori labore margaritam Christi emi poterat* (S. Hieron. ad Nep., *de vita cler. et monac.* 6).

tio operis manualis.

Habeant tandem prae oculis monita Sancti Bonaventurae : *Continue mentem tuam ita habeas ordinatam cum Deo, quod omne opus tuum atque exercitium tam mentis quam corporis sit oratio, omniaque servitia, et maxime humiliora cum tanto facias caritatis fervore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes. Quod certo debes et potes veraciter cogitare, quoniam ipse dixit in Evangelio : Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. — Scias indubitanter, carissime frater, quod nisi perfecte abnegaveris temetipsum, sequi non poteris vestigia Salvatoris, et sine sollicitudine continua et labore eius gratiam adipisci nequibis, et nisi assidue pulsaveris portas eius, ingredi non poteris ad pacem mentis, et nisi te instanter in timore Dei tenueris, cito domus tua corruet in profundum.* (*Memorial.*, n. 19 et 25 conclus.).

Ordinatio mentis et abnegatio.

Ad quae omnia consequenda Laici sacrae mensae assidui sint per frequentem, immo etiam cotidianam SS^mae^ Eucharistiae sumptionem ad normam recentiorum instructionum Apostolicae Sedis. Itemque omnino peculiarem colant devotionem erga Deiparam Virginem Mariam, quam ut suam amantissimam matrem semper invocare, honorare et imitari conentur.

Devotio SS. Eucharistiae et B. M. V.

Curent quoque Superiores, ut Sacerdotes et Laici mutuam sibi summamque observantiam et caritatem adhibeant. Revereantur Laici Presbyteros, a quibus ministeria ac mysteria maxima accipiunt. Honorent Presbyteri Laicos et *studeant... de pauperum fratrum societate gloriari* (*Reg.* S. Aug., c. I. 5). Id meminerint Sacerdotes, plurimos in Religiosis Ordinibus Laicos, ab humilioribus occupationibus, quibus per vitam functi fuerant, ad altarium honores evectos et inter beatos Caelites post mortem annumeratos fuisse. Illud igitur genus vitae in Laicis pia colant observantia, quod tam frequenti et mirificae sanctitati aditum patefecit.

Mutua observantia et caritas.

Ne gravitate munerum exercendorum in Conventu Laici superbiant, animo efferantur et parvi faciant ipsos Sacerdotes, officia graviora cuiusvis generis ne demandentur iis, nisi necessitate cogente, idque fiat semper sub omnimoda dependentia et oboedientia alicuius patris gravioris aetatis et consilii, cui agendorum et gestorum ipsi rationem fideliter reddant.

Cavendum ne officia graviora quasi nomine proprio gerant.

Haec sufficiant de plurimis pauca.

Ceterum haec Sacra Congregatio summopere confidit, fore ut Superiores Generales omnium Ordinum Religiosorum ad simile vitae studium pro viribus provocare nitantur suos Laicos. Sic eorum vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina. Nam *nil tam fixum animo, quod neglectu et tempore non obsolescat* (S. Bern., *de Cons.*, l. 1, c. 2). *In hoc enim differunt laudabiles religiones et iam dilapsae, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, et peccandi aditus studiose praecludantur, et incorrigibiles et alios inficientes eliminentur, et boni foveantur et diligantur, ut perseverent et in melius semper proficiant* (S. Bonavent., *De sex alis Seraph.*, c. 2, n. 13).

Adhortatio generalis.

Approbatio SSmi.

Derogatio contrariorum.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X relatis, Sanctitas Sua ea rata habere et confirmare dignata, est, contrariis quibuscumque non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Dies (1 ian. 1911).

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 ianuarii 1911.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*

† *Donatus Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. Omne decretum in eo est ut sollemnis professionis dignitati prospiciat et per sapientes leges ac commendationes detrimentum quod ex laicis professis facilius accipi possit, in antecessum amputet.

Stricta itaque decreti obligatio iis Ordinibus circumscribitur qui fratribus etiam laicis sollemnem professionem concedunt; prudentissima tamen monita omnibus Ordinibus utenda proponuntur et imitanda sperantur, ita ut eius vis consilii latius quam praecepti pateat. Quare etiam positiva facultas recipiendos iuvenes laicos qui 20um annum nondum expleverint, iisdem tantum Ordinibus conceditur quibus praecepta mandantur.

Binas autem partes praescriptae praefationi subicit: altera sollemni laicorum professioni varias validitatis condiciones praestituit, altera vero plura rectae laicorum institutionis documenta tradit.

2. Ex *praefatione* notabilia sunt quae de votis sollemnibus habentur. Instituta enim dicuntur ut maiori status religiosi stabilitati provideatur, eoque spectare ut artissimo et publico nexu homo divino servitio coram Ecclesia et fidelibus universis mancipetur. Haec dissertationi nostrae de votorum sollemnitate (*De Religiosis Institutis et Personis* t. 2, suppl. 2, p. (11) ss.) perfecte quadrare perspiciuntur.

3. a) *Sollemnis* Fratrum Conversorum *Professionis condiciones essentiales* hae adduntur: α) *Postulatus*, qui duraverit per totum quod Constitutiones praescribebant spatium, et saltem per duos annos; β) Sex anni simplicis professionis; γ) Aetas triginta annorum completorum.

b) Quia decreto 15 maii 1675 [1], exceptis noviciis clericis, postulantes intra claustra admitti vetantur nisi 20um aetatis suae annum expleverint, facultas fit Generalibus permittendi Provincialibus ut iuvenes, ad laicorum munia destinati, expleto 17o aetatis cooptare possint. Generalem tamen facultatem dare nequeunt, sed de singulis casibus ipsi Moderatores Generales sententiam ferre aliquo modo debebunt. Non possunt enim nisi *totiens quotiens* rem Provincialibus indulgere. Haec sane observanda erunt in iis locis et Ordinibus ubi decretum 16 maii 1675 usu receptum est.

c) In tertio articulo, noviciatus laicorum negatur, ex iure communi, ante 21um aetatis annum noviciatum inchoari permitti. Id indirecte tantum ex memorato S. C. 1675 decreto colligitur. Directa enim lex Clementis VIII, *Cum ad regularem*, 19 mart. 1603, quae universali vi ipsa destituitur [2], habet ut « Conversi non recipiantur

[1] *De Religiosis Institutis et Personis*, t. 2, n. **30**, p. 104 ed. 4.

[2] Ibidem, n. **53**, p. 137, ed. 4.

ante 20um suae aetatis annum. » Aetas autem illa inter valoris condiciones ponenda non est.

d) *Quaeres* utrum professio quae ex 2° praescripto invalida futura dicitur sine priore duorum saltem annorum postulatu, intellegenda sit sollemnis tantum, an etiam simplex.

Res ista non ita manifesta videtur, cum decretum de sollemni professione sollicitum esse voluerit, rursus autem, sine addita qualitate invalidam declaret futuram professionem. Nobis ita respondendum videtur. Si Ordo alios fratres ad simplicia tantum vota, alios ad sollemnia admittat, priores decreto isto non afficiuntur. Quare nullus postulatus ipsis necessarius dicendus est. Si autem de simplici professione agitur qua sollemnis praeparatur, etiam simplex illa sine priore postulatu valida esse nequit: vitium enim quod sollemni obstat professioni, etiam eius praeparationi repugnare debet.

e) Articulo quinto sexennium votorum simplicium et aetas triginta annorum completorum tamquam condiciones professionis sollemnis simul exiguntur. Quia tamen 21 aetatis anno inchoari potest noviciatus, qui ultra annum, ex iure communi, non est requisitus, fieri potest ut fratres qui 27 annos nati sint iam a sex annis simpliciter professi sint. Hi tunc in eadem simplici professione ad perfectum trigesimum annum manere debebunt.

f) Ex sexto articulo, laici nondum sollemniter professi his decretis obligantur. Quod intellegas, quatenus praesens eorum condicio ferat. Id est, qui 16 ianuarii mensis huius anni nondum in novicios cooptati erant duos saltem postulatus annos perficiendos habebunt; qui vero in noviciatu iam versabantur, hoc rite expleto, simpliciter profiteri poterunt. Hi tamen, sicut alii qui iam simpliciter professi sunt, professionem sollemnem valide non facient nisi triginta annos nati et a sex annis simpliciter professi fuerint.

g) Cum condicio valoris apponatur, utrique anni *mathematice* exacti esse debent, nec locus est proverbio morali: parum pro nihilo computatur.

4. Alterius partis decreti satis erit praeclara et utilissima documenta attentae omnium Superiorum meditationi commendare. Nihil enim in ea nullitatis sanctione munitur. Instituendus autem Postulantibus Pater idem qui noviciis instituendis praeficitur vel alius esse potest. Quamquam ipsi postulantes potius separatim a noviciis conversari debent. Novicii enim ab omnibus aliis personis, si Moderatores excipias, separandi sunt, atque in Normis S. Congr. 28 iun. 1901, art. 64 id habetur: « postulatus congruentius fit in domo noviciatus, in loco tamen, si commode fieri potest, a noviciis separato ».

5. Adhortatione finali nihil Ordinibus praecipitur, sed eorum Generales Superiores invitantur ut simili modo Laicos suos instituere conentur. « Sic eorum vigilet tolerantia ut non dormiat disciplina. »

6. **Quaeres**, quid si bona fide, ex praesentis decreti iam promulgati ignoratione, laici quidam sollemnem professionem, essentiali nunc condicione destitutam fecerint.

Severam hic declarationem repetere cogimur quam S. C. Religiosorum, 30 iul. 1909 (PERIODICA, supra, n. **330** p. 10) fecit in causa Monialium quae, ex ignoratione decreti *Perpensis* dati 3 maii 1903, post *illam diem*, sollemnem sine priore simplici pro-

fessionem emiserant. Hanc omni valore carere S. Congregatio declaravit.

Ad S. Sedem itaque, pro sanatione in radice, recurrendum erit, quia, ex praesenti curiae stylo, bimestris vacatio legis, eius saltem quae actus contrarios infirmet, minime iam admittitur.

---

472. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

DECRETUM 1 IANUARII 1911

De Religiosis, servitio militari astrictis

(A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 37)

Difficultates ex militiae necessitate exortae.

Inter reliquas difficultates quibus premitur Ecclesia Christi nostris temporibus, ea quoque recensenda lex est, qua ad militiam adiguntur etiam iuvenes qui in religiosis Familiis Deo famulantur.

Nemo sane non videt, quantum detrimenti ex hac infausta lege provenire possit, cum iuvenibus, tum ipsis Sodalitatibus. Dum enim militiae vacant religiosi tyrones facile vitiis maculari possunt, quibus infecti, vel, neglectis, quae emiserant, votis, ad saecularia remigrabunt, vel quod longe peius est, religiosam repetent domum, cum periculo aliós contaminandi.

Quare haec in coetu 26 aug. 19.0 sancita:

Ad haec igitur praecavenda mala, Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, in Plenario Coetu Emorum Patrum Cardinalium, die 26 mensis augusti 1910 ad Vaticanum coadunato, sequentia decrevit:

Quid ante sollemnia vota exigendum;

I. In Ordinibus Regularibus, in quibus vota sollemnia emittuntur, iuvenes, quos exemptos esse certo non constet a servitio militari activo, scilicet ab eo servitio, quod ipsi primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos praestare debent, admitti nequeunt ad Sacros Ordines vel ad sollemnem professionem, quousque non peregerint servitium militare et, hoc expleto, saltem per annum, iuxta infra dicenda, in votis simplicibus permanserint, servato quod ad Laicos decreto *Sacrosancta Dei Ecclesia*, hac eadem die edito.

Quid in Institutis votorum simplicium.

II. In Institutis votorum simplicium, iuvenes de quibus in articulo praecedenti, ad vota dumtaxat temporaria admitti poterunt usque ad tempus militaris servitii: nec illis, dum militiae operam dant, professionem renovare liceat. — A militari servitio dimissi cum fuerint, professionem iterum, saltem ad annum, emittent, antequam professionis perpetuae vinculo se obstringant.

Commendationes militibus factae.

III. Caveant autem iuvenes militiae servientes, ne sanctae vocationis donum amittant ac ea semper modestia et cautela conversentur, quae decet Religiosos viros. Quamobrem a locis et conventiculis suspectis abhorreant, a theatris, choreis aliisque spectaculis publicis abstineant; malorum commercium, lubricas conversationes, res a religione absonas, viros doctrinas suspectas profitentes, lectiones moribus aut fidei a S. Sedis dictatis contrarias ceteraque peccandi pericula evitent; ecclesias, sacramenta, quantum iis liceat, frequentare non omittant; circulos seu coetus catholicos ad animi recreationem et instructionem adeant.

IV. Ubicumque eorum statio ponatur, si ibi domus suae Religionis aut Instituti habeatur, eam frequentent et sub Superioris immediata vigilantia sint. — Si vero domus praedicta non adsit, vel eam commode frequentare nequeant, sacerdotem ab Episcopo designatum adeant, eius consiliis et consuetudine utantur, ut quando eandem stationem deserere oporteat, testimonium in scriptis de observantia eorum omnium, quae in articulo praecedenti praescripta sunt, ab eodem accipere valeant. — Quodsi sacerdos ab Episcopo designatus non habeatur, ipsi sibi eligant prudentem sacerdotem, statim indicandum Superioribus suis, qui ab Ordinario de moribus, doctrina et prudentia eiusdem sibi notitias comparabunt. Praeterea, epistolarum commercium instituant ac, quantum fieri potest, sedulo persequantur cum suo respectivo Superiore aliove religioso seu sodali sui Instituti ad id designato, quem certiorem faciant de suae vitae ratione et condicione, de singulis mutationibus suae stationis, et praesertim illi notificent nomen et domicilium illius sacerdotis, cuius consuetudine et directione utuntur, ut supra praescriptum est.

Sollicitudo Superiorum.

V. Superiores Generales aut Provinciales [1] etiam locales, iuxta uniuscuiusque Instituti morem, per se vel delegatum sodalem (qui sacerdotali ordine sit insignitus in clericalibus Institutis) de vita, moribus et conversatione alumnorum, perdurante militari servitio, inquirere omnino teneantur, opera praecipue sacerdotis vel sacerdotum, de quibus supra, per secretas epistolas, si opus sit, ut certiores fiant, an ii rectam fidei et morum viam servaverint, cautelas supra praescriptas observaverint et divinae vocationi se fideles praebuerint, graviter onerata eorum conscientia.

Quid redeuntes praestare debeant.

VI. Cum a militari servitio activo definitive dimissi fuerint, recto tramite ad suas quisque religiosas domus remeare teneatur, ibique, si certo constet de eorum bona conversatione, ut in articulo praecedenti dictum est, praemissis aliquot diebus sanctae recollectionis, qui Institutis votorum simplicium addicti sunt, ad renovandam professionem temporariam admittantur; in Ordinibus vero Regularibus, inter iuniores clericos seu professos, aut saltem in domo ubi perfecta vigeat regularis observantia, sub speciali vigilantia et directione religiosi, pietate et prudentia commendabilis, qui in Institutis clericalibus sacerdos esse debet, collocentur. In eo statu integrum tempus (quod minus anno esse non poterit iuxta dicta in articulis I et II) ad tramitem Apostolicarum Praescriptionum et propriae Religiosae Familiae Constitutionum praemittendum votis sollemnibus vel perpetuis, complere debent, ita tamen, ut computetur quidem tempus in votis simplicibus vel temporaneis transactum a prima votorum emissione usque ad discessum a domo religiosa, servitii militaris causa; non vero quod militiae datum fuit.

Quomodo observandi.

VII. Eo tempore, studiis et regulari observantiae dent operam; Superiores autem immediati ac sodales iuniorum directioni praepositi eos diligentissime considerent, eorum mores, vitae fervorem, placita, doctrinas, perseverandi studium perscrutentur, ut de iis ante ultimam professionem maioribus Superioribus rationem sub fide iuramenti reddere valeant.

---

[1] Suspicamur pauca verba hic excidisse, ita ut locus sic legendus sit: Superiores generales aut Provinciales *atque etiam* locales.

Facultas dimittendi, solutis votis, minus probatos,

vel qui abire cupiant.

VIII. Si qui, perdurante militari servitio vel eo finito, antequam ad professionem sollemnem aut perpetuam admittantur, dubia perseverantiae signa dederint, vel praescriptis cautelis militiae tempore non obtemperaverint, aut a morum vel fidei puritate deflexerint, a Superiore Generali de consensu suorum Consiliariorum seu Definitorum dimittantur, eorumque vota ipso dimissionis actu soluta habeantur. — Quodsi ipsi iuvenes a votorum vinculo se relaxari desiderent aut sponte petant, facultas fit Superioribus praedictis, tamquam Apostolicae Sedis delegatis, vota solvendi, si agatur de Institutis clericalibus : si vero res sit de Institutis laicorum, vota soluta censeantur per litteras Superiorum, quibus licentia iis fit ad saeculum redeundi.

Lex etiam in ecclesiasticas Societates cadit.

IX. Hisce praescriptis teneantur etiam ecclesiasticae Societates, quae, licet non utantur votis, neque sollemnibus neque simplicibus, habent tamen simplices promissiones, quibus earum alumni ipsis Societatibus astringuntur.

Dubia proponenda sunt S. Congregationi.

X. Si quid novi in hoc Decreto non praevisum, vel si quid dubii in ipsius intellegentia occurrerit, ad hanc S. Congregationem in singulis casibus recurratur.

Approbatio SSi.

Quae omnia Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente Subsecretario, rata habere et confirmare dignatus est, die 27 eiusdem mensis augusti 1910. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Dies (1 ian. 1911).

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 ianuarii 1911.

Fr. I. Card. Vives, *Praefectus.*
Donatus Archiep. Ephesinus, Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Variis quidem regulis particularibus [1], nulla autem generali definitione hactenus provisum erat condicioni vere discrimine plenae, iniqua multi iuniores religiosi ob hodiernas militiae leges versantur. Quare pro non exiguo beneficio habendum est praesens decretum quo plura de ipsis prudenter et sollicite statuuntur.

2. Ipsius autem decreti summa sic paucis exhiberi potest.

a) Ii novi *legi obnoxii* sunt iuvenes quos nondum *constat* servitio activo esse exemptos, quia v. gr. dubia obligatio vel revocabilis seu condicionata dispensatio [2], spem firmae libertatis ipsis non affert timore vacuam. Servitium autem *activum* opponitur servitio *supplementario*, quod post plures etiam annos per aliquot dies vel hebdomadas exigi ab ex-militibus consuevit (*service des réservistes, rappel pour 28 jours*, etc). Quare militia activa diserte ea esse describitur quae per unum vel plures annos praestanda est. Itaque si in regione quapiam, sicut in Helvetia, nemo nisi per paucas hebdomades stipendia mereri debeat, omnes perspectis tam verbis quam ratione decreti se lege immunes profiteri possunt.

---

1 Cfr. v. gr. mandata 27 nov. 1892, de lege militari Italiae, responsum 22 iul. 1902 ad PP. Capuccinos, rescriptum 2 sept. 1896. De PP. Trappensibus, in tomo 2 *De Religiosis Institutis et Personis*, n. **163** et **164**, p. 340-344 ed. 4.

2 V. gr. si ante 26 aetatis annum missiones adiverint. Cfr. resp. 22 iul. 1902, modo citatum.

Quid autem si religiosus ultroneo tantum exsilio sibi comparet libertatem, quam redux in patriam statim amitteret? Dummodo in loco ubi degit omnino exemptus sit, ipsique firmum ratumque sit patriam non repetere, praesentibus sanctionibus eum immunem esse putamus.

b) Quotquot autem religiosi lege nova reguntur, nec sacris ordinibus augeri possunt, nec ad sollemnem in Ordinibus vel perpetuam in Institutis votorum simplicium professionem admitti possunt nisi postquam militia soluti, saltem per annum in perpetua vel in temporaria, saltem ad annum facta, professione permanserint. Immo temporaria vota fieri non possunt nisi usque ad militiae tempus, ita ut inchoata militia pro condicione resolutoria habeatur. Nec inter militandum renovari possunt.

Dum dicitur *saltem* per annum, Superioribus tamen copia fieri non videtur diuturniorem probationem arbitrio suo postulandi. Sed observandum erit tempus quod vel iure communi ante ultima vota exspectandum foret, vel iure speciali pro casu nostro exigitur v. gr. apud PP. Trappenses, et tempus istud, si anno minus foret, ad annum protrahitur. Praeterea, dum militiae operam dant, probatio religiosa ipsis quasi suspenditur. Quocirca tempus militiae inutile est ad perficiendos tres vel quinque vel sex votorum simplicium seu temporariorum annos, qui ante sollemnem professionem exiguntur ; anni tamen antea transacti cum annis qui militiam sequuntur per se computari possunt.

c) Ut castrorum vel praesidiorum pericula superent, religiosi variis consiliis vitae prudentis et christianae muniuntur. Praecipue autem commendatur, ut vel locali sui Instituti Superiori subsint, vel sacerdotem ab Episcopo designatum aut ab ipsis electum et Superioribus indicandum et probandum sic frequentent ut ipse de eorum vita et moribus fidem facere possit. Ipso litterarum commercio cum Superiore vel alio in hunc finem designato sui Instituti sacerdote iuvandi sunt.

d) Superiores autem ad quos res pertinet de conversatione religiosorum militum diligenter inquirere debent.

e) Peracta militia, statim suum quisque conventum repetere iubetur. Post piam aliquot dierum recollectionem, temporaria vota renovabunt ; vel si Ordinis regularis fuerint, in domo iuniorum aut perfectae saltem observantiae dirigendi committentur religioso probatae vitae qui in Institutis clericalibus sacerdos esse debet. Studiis et regulari observantiae vacabunt. Ac speciali modo observabuntur, ut ante ultimam professionem iurata fides de ipsis dari possit.

f) Qui autem inter militandum vel peracta militia se ostenderint minus dignos vel minus in vocatione firmatos, a Superiore generali, annuente consilio suo, dimittendi sunt. Qua dimissione, ipsa vota solvuntur. Plena etiam potestas fit Superioribus ut liberos a votis dimittant qui vitae religiosae nuntium dare cupierint.

Observes itaque, quamvis in Institutis recentioribus Superiores non soleant iam facultatem dimittendi alumnos habere, ita saltem ut vota dimissione solvantur, in gratiam eorum qui militiam exercent vel a militia sunt reduces facultas huius modi plene restituitur.

Si effectus consideres, perinde est sive ad clericalem sive ad laicum Institutum religiosus pertinuerit. Res tamen modo satis diverso redditur. In clericalibus Institutis, Superiores, tamquam

*delegati Ap*cae *Sedis*, vota solvunt, dum in laicorum Institutis vota per litteras Superiorum soluta censentur. Quorsum istud discrimen? Scilicet, soli clerici sunt ecclesiasticae iurisdictionis iuridice capaces. Huic iuri, cui derogare poterat, se accommodans Pontifex, Superioribus clericis iurisdictionem delegatam confert; nullam autem laicis concedere voluit. Restabat tunc ut ipse dispensaret vota, simili modo quo episcopus Superiorissae monialium vel parochus ancillae suae arbitrio quasdam gratias committere potest quas ipsi tamen largiuntur, hoc ferme modo: Sacerdoti cui sacrum in oratorio permiseris ego iurisdictionem tribuo; dispenso a ieiunio quotquot per te dispensationem pro tali causa petierint. Pari modo Pontifex litteris Superioris laici tamquam condicioni suam dispensationem annectit.

3. Nono articulo monemur praesens decretum etiam in ecclesiasticas cadere Societates, quales sunt quorundam missionariorum quae sodales suos sibi non voto sed simplici promissione devinciunt.

4. Praecipit denique S. Congregatio ut de casibus non praevisis vel de dubiis occurrentibus ad ipsam singulatim referatur. Clausula ista, parum solita, interpretationes privatas non prohibet, sed si, re considerata, interpretes rem iudicent non praevisam vel serio ambiguam, ordinariis principiis: « lex dubia non obligat », « in dubiis pro libertate respondendum » simpliciter uti non licebit; verum res S. Sedi proponenda et quatenus moram patiatur, practice differenda erit. Hanc vim clausulae inesse arbitramur. Ii porro quorum interest Superiores praecepto recurrendi obtemperare debent.

Rei dubiae istud exemplum dabimus. Fueritne nulla an tantum vetita sollemnis professio religioso militanti vel e castris reduci, contra ac praesens habet lex concessa? Ac proin, si post 16 ian. 1911, sed ante recepta Acta Ap. Sedis huius modi professio, bona fide, facta fuerit, eritne an non sananda?

In decreto quidem ex nullis verbis claris, contra atque in decreto, eiusdem diei, de laicis dato, nullitas colligenda videtur. Si tamen verba urgeas: « admitti nequeunt », potius pro nullitate responderis. Attamen, quia simul in sacros Ordines et in professionem eadem verba cadunt, et sacri Ordines procul dubio valide, etiam contemptis his praeceptis, reciperentur, tandem huc adducimur ut professionem hac lege vetitam valere opinemur.

5. Cum autem lex ista militibus istis vota non tam permittat quam inhibeat, severiores sanctiones, si quae peculiari Instituto concessae vel impositae fuerint, praesenti decreto non adversantur, ac proinde simul cum praesentibus praescriptis observandae erunt.

DECRETA SUMMATIM RELATA

473. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Translatio in dominicam ante 28 oct. festi patronorum oppidi « Seifersdorf ».* (A. A. S. 19 dec. 1910, 2, 940).

Litterarum argumentum.

Oppidum *Seifersdorf*, dioecesis Litomericensis, patronos habet sanctos apostolos Simonem et Iudam. Litteris in forma brevis, 13 oct. 1909, S. Pontifex instanti parocho, ut legitimi quidam usus servarentur, indulsit ut ipsorum festum, dominica quae 28 octobris diem proxime antecedit celebraretur.

B. *Novum Fr. Praedicatorum Institutum commendatur et privilegio SS^um^ Sacramentum asservandi munitur.* (A. A. S. 30 nov. 1910, 2, 899).

Litterarum argumentum.

Privilegium asservandi SS. Eucharistiam.

Litteris *Perillustrem*, 14 iun. 1910, S. Pontifex Ordinem Fratrum Praedicatorum amplissimis laudibus ornat, novo pontificio Collegio bene apprecatur, eique perpetuam asservandae Eucharistiae facultatem facit his verbis : « Praesentium tenore, Apostolica auctoritate Nostra facultatem perpetuo duraturam facimus, cuius vi tum in interiore praedictae domus sacello, tum in ei annexo publico templo, dummodo in utraque aede ter saltem in hebdomada sacrum fiat, sacramentum Augustum asservari licite possit ac valeat. Praecipimus tamen ut ante tabernaculum in quo sanctissimum asservari solet, lampas diu noctuque continenter luceat, ut eiusdem tabernaculi clavis fideliter diligenterque custodienda, penes aedituum seu Capellanum assidue maneat, denique ut alia omnia accurate serventur quae pro custodia et cultu SS. Eucharistiae Sacramenti ex Ecclesiae legibus servanda praescribuntur. »

ANNOTATIONES

1. Observes SS. Eucharistiam in ecclesiis regularium iam iure communi asservari posse, ita ut facultas ea tantum parte beneficium contineat qua possessionem istam etiam in sacello interiore indulget.

2. Non raro, sed satis frustra, S. Rituum Congregatio praecepit ut clavis tabernaculi a sacerdote custodiretur. Hic mitius postulatur ut *aedituo* assidue servanda committatur.

C. *Erectio in Sinis novi Vicariatus Apostolici Kientchang.* (A. A. S. 19 dec. 1910, 2, 941.)

Novi Vicariatus nomen, fines, et administratio.

Litteris in forma Brevis 12 aug. 1910, regio Occiduo-Meridionalis Vicariatus Sutchuensis Meridionalis, quam Sinenses *Kientchang* appellant, in separatum Vicariatum, cui nomen *Kientchang* erigitur, et regione constat quae civili Praefecturae Nin-yuen-fou

subicitur. Eius cura Parisiensi Seminario pro missionibus ad exteras gentes concreditur.

D. *Ex confraternitate Manilensi B. M. V. Lapurdensis, fit archiconfraternitas.* (A. A. S. 30 nov. 1910, 2, 900.)

Archiconfraternitatis nomen, sedes, potestas.

Litteris in forma brevis, 27 aug. 1910, S. Pontifex confraternitati in Manilensi Fratrum Capulatorum ecclesia, sub titulo Dominae Nostrae Lapurdensis, canonice erectae nomen ac consueta tribuit iura archisodalicii, cum facultate similes sibi iungendi societates *intra fines insularum Philippinarum* canonice exsistentes.

E. *Erectio novae archidioecesis Simlensis in Indiis Orientalibus.* (A. A. S. 10 nov. 1910, 2, 851.)

Novae archidioecesis compositio, nomen, regimen.

Litteris in forma brevis 13 sept. 1910, ab archidioecesi Agraensi districtus quibus vulgaria sunt nomina : Simla, Ambala, Hissar, Karnal, Patiala, Nakha, Iind, Loharu et Maler Kotla ; et a Lahorensi dioecesi districtus vulgo appellati Mandi, Suket, Kulu, Lahul et Spiti separantur. E quibus omnibus nova archidioecesis Simlensis componitur, eamque Patres Capuccini curabunt.

F. *Erectio in Africa Orientali novi Vicariatus.* (A. A. S. 10 nov. 1910, 2, 852.)

Novi Vicariatus fines, nomen, regimen.

Litteris in forma brevis 13 sept. 1910, distracta ex Vicariatu de Bagamoyo Corealis pars in novum Vicariatum de *Kilima-Njaro* erigitur. Eius porro fines, ad Boream Vicariatu Apostolico de Zanzibar, ad Orientem, Oceano Indico, ad Occidentem Vicariatu Apostolico de Uniamente, ad Meridiem flumine *Msangassi*, ab eius ostio in Oceanum usque ad *Mgera* (qui locus Vicariatui Bagamoyensi asservatur) definiuntur. Curis committitur alumnorum Congregationis a Spiritu S^to^ et ab Immaculato Mariae Corde.

G. *Conversio Vicariatus Giblatariensis in dioecesim S. Sedi immediate subiectam.* (A. A. S. 19 dec. 1910, 2, 942.)

Conversio. Regimen.

Litteris in forma brevis, 19 nov. 1910, S. Pontifex Vicariatum Apostolicum Giblatariensem in dioecesim eiusdem nominis, huic S. Sedi immediate subiectam, erigit et PP. Benedictinis Cassinensibus a primaeva observantia concredit.

H. *Motu proprio de novis Bullarum formulis.* (A. A. S. 19 dec. 1910, 2, 739.)

Approbantur novae Bullarum formulae.

Cum, sicut iussi erant, Cardinales Cancellarius, Datarius et a Secretis Congregationis Consistorialis, novas condiderint formulas a cancellaria Apostolica utendas in conficiendis Bullis, « hoc est apostolicis sub plumbo Litteris de beneficiis consistorialibus aliisve actis annexis », S. Pontifex, motu proprio *In Romanae Curiae*, 8 dec. 1910, easdem omnino confirmat, mandans ut a 1 ianuarii 1911 eae solae observentur. Formulae in libro typis scripto continentur.

I. *Erectio novae dioecesis Montesclarensis in Brasilia.* (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 26.)

Novae dioecesis nomen limites.

Decreto 10 dec. 1910, S. Congr^is^. Consistorialis, Pontifex novam dioecesim Montesclarensem, in Brasilia, erexit ex divisa dioecesi Adamantina, cuius pars septemtrionalis, cis flumina Jequitinbona,

Macahubas, Jequetahy, S. Francisco et Urucuya, novam dioecesim efficiet.

K) *Centenaria festa Archisodalicii ab Adoratione Nocturna in Urbe variis privilegiis decorantur.* (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 5.)

Summa concessae gratiae.

Memoratis exordiis archisodalicii ab Adoratione Nocturna, quae in Basilica Urbis S. Mariae in Via Lata saecularia festa peragit, S. Pontifex Brevi 11 nov. 1910, largitur ut hoc anno, in media nocte, 20 nov. 1910, sollemne sacrum cum eucharistica fidelium participatione celebretur, et varias indulgentias concedit.

L) *Approbantur instructiones de puerorum communione.* (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 16.)

Probantur consilia provinciae Rotomagensis.

Litteris apostolicis 14 nov. 1910, S. Pontifex probat normas propositas ab episcopis provinciae Rotomagensis ut simul decreto *Quam singulari* probe fiat satis, et dioecesium instituta quantum potest conserventur.

M) *Duae ecclesiae dignitate augentur.* (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 9 et 10.)

Erectio in archipresbyteralem ecclesiam et in basilicam minorem.

Brevi 19 nov. 1910 et brevi 29 nov. 1910 parochialis ecclesia S. Laurentii, in loco « Buia » archidioecesis Utinen. in archipresbyteralem; templum vero S. Trophimenae V. et M. in Urbe in basilicam minorem erigitur.

474. — S. CONGREGATIONIS CONCILII [1]

A. *De iure matricitatis et patronatus unius ecclesiae super alteram.* (A. A. S. 19 dec. 1910, 2, 946.)

Species facti.

Parochus ecclesiae S. Petri Ap. de Monte Catino (*Montecatini*) ecclesiae suae vindicat matricitatem et ius patronatus super ecclesiam et integrum patrimonium S. Marci Ev. seu S. Petri Ap. Plebis Nebulae (*Pieve a Nievole*), dioecesis Piscien.

Resolutio. Dies (14 maii 1910).

Die 14 maii 1910, S. Congr. Concilii causam ipsi adiudicavit, reiciendo preces parochi Plebis Nebulae, per verba *Affirmative et amplius.*

Approbatio SSi.

Die 15 maii, SSus resolutionem approbavit.

B. *De abstinentiae et ieiunii lege.* (A. A. S. 19 dec. 1910, 2, 946.)

Occasio petendi.

Per occasionem responsi S. Paenitentiariae, 23 aug. 1909, quod supra rettulimus, n. **369**, p. 85, Episcopus Barcinonen. haec dubia S. Congregationi proposuit :

Dubia.

« 1. Utrum diebus quibus carnes vetitae sunt, etiamsi indultum non exsistat, sicuti feriis VI Quadragesimae, nihilo minus iusculum carnis una cum piscibus adhiberi liceat.

« 2. An quando usus lacticiniorum prohibetur, possit quis sumere iusculum carnis.

« 3. Liceat necne inter Hispanos condire cibos esuriales et in refectione et in serotina collatione cum adipe vel larido.

« 4. Si tandem possint sumi pisces in cenula diebus ieiunii, dummodo servetur quantitas, etsi in Hispania talis consuetudo haud vigeat.

---

[1] Decreta hic summatim relata subscripserunt Em. C. Card. GENNARI, huius S. Congr. Praefectus, et *Basilius Pompili*, eiusdem Secretarius.

Dies resolutionis (6 aug. 1910).

Accepto consultoris voto, S. C. Concilii, die 6 augusti 1910 sic ad proposita dubia respondit :

« Ad 1 et ad 2. Negative, sed iusculum carnis diebus ieiunii in unica comestione una cum piscibus ab iis tantummodo adhiberi posse qui indultum obtinuerint pro esu carnis.

« Ad 3. Affirmative, etiam in serotina collatione, dummodo ex Apostolico Indulto ea condimenta permissa sint in diebus ieiunii.

« Ad 4. Attenta contraria consuetudine, negative. »

Approbatio pontificia.

Die 7 aug. SS^mus resolutiones approbavit.

ANNOTATIO

Responsa nihil habent quod ex praesentibus theologiae manualibus erui non potuerit. Unum tantum efferendum videtur, a S. Congregatione hanc disciplinae mutationem iam admitti ut pisces quilibet in cenula non ex consuetudine sed per se permissi dici possint, ita ut ob *contrariam* tantum consuetudinem Hispania severiore regimine teneatur.

C. *De potestate Episcopi ad curam animarum imponendam.* (A. A. S. 30 nov. 1910, 2, 911.)

Species facti.

In Gallica dioecesi S. Ioannis de Mauriana (*S. Jean de Maurienne*) quidam parochi amovibiles, qui ob varias causas loco cedere debuerant, pertinaciter novum munus pastorale detrectabant, has excusationes allegando :

Promissio oboedientiae, in tam extraordinariis adiunctis cum tanto incommodo non obligat. — Munus et vita parochialis nimium nunc generat fastidium. — Taedet nos victum et necessaria cultui apud plebem mendicare. — Ingratus populus animum perversum habet. — Nec vires sufficientes praesto sunt.

Orator.

Hinc die 10 aprilis R. P. D. Adrianus Fodéré, Episcopus, dubia S. Congregationi proposuit. Quaerit, utrum, deficientibus presbyteris pro sua dioecesi,

Dubia.

1. Possit poenis ecclesiasticis cogere ad suscipiendum iterum munus parochiale quos iudicaverit idoneos ?

2. Utrum illud debeat ?

Responsum.

Maturo causae examine facto et memoratis omnibus iuris regulis, S. C. respondit, die 16 aug. 1910 « Affirmative, dummodo agatur de sacerdotibus viribus pollentibus et ab aliis officiis liberis, et quoadusque Episcopus necessitatibus vacantium paroeciarum alio modo providere nequeat, et ad mentem. »

Approbatio SSmi.

Quam resolutionem SS. D. die 7 aug. approbavit.

475. — *S. C. CONSISTORIALIS* [1]

A. *Declarationes decreti « Maxima cura », 20 aug. 1910.* (A. A. S. 10 nov. 1910, 2, 854.)

Declarationum origo.

Responsis 3 oct. 1910, S. C. Consistorialis, mandante SS^mo, haec varia, de decreto *Maxima cura*, de administrativa parochorum amotione [2], declaravit :

[1] Declarationes subscripserunt C. Card. DE LAI secretarius ; et SCIPIO TECCHI, Assessor. Erectiones autem dioecesium, etc. nullo subscribente in ACTIS Ap. S. vulgantur.

[2] Cfr. PERIODICA, supra, n. **449** B, p. 244-246.

Summa.

Eligendi examinatores distincti esse non debent ab iis quos ad conferenda beneficia S. Tridentina synodus s. 24, c. 18 Ref. instituit. — Nunc exsistentes examinatores possunt, de cathedralis capituli vel consultorum dioecesanorum consilio, confirmari, vel alii eligi, ad normam can. 4 decreti *Maxima cura*. — Ex eodem canone, Episcopi deinceps possunt sine S. Sedis indulto examinatores extra Synodum constituere. — Possunt etiam regularem virum, eligere qui tamen, si consultor esse debeat, parochi officium habeat. — In parvis dioecesibus vel ob aliam iustam causam examinatores vel consultores eligi possunt extra dioecesim. — Possunt etiam aliquot parochi eligi in examinatores. — Non expedit ut inter examinatores sit Vicarius generalis, nec ut eadem persona pluribus fungatur officiis. Potest tamen idem esse in alia causa examinator, in alia consultor. — Consultores dioecesani ii intelleguntur qui « stant loco capituli in aliquibus dioecesibus ubi cathedrale capitulum nondum erigi potuit [1] ». — Antiquitas computatur ex sola praesenti electione, non autem ex praecedentibus, si quis v. gr. iterum vel tertium electus fuerit. — Ceterum error in computanda antiquitate actus nullos non facit. — In arbitrio Ordinarii positum est ut praescriptum de servando secreto iusiurandum semel, durante munere, pro omnibus causis emittendum an pro singulis causis renovandum sit.

B. *Erectio novae praefecturae apostolicae in Brasilia.* (A. A. S. 10 nov. 1910, 2, 858.)

Decreti dies et summa.

Decreto 19 oct. 1910, SS. D. N. Pius Pp. X novam praefecturam apostolicam *Fluminis Nigri* (Rio negro) erexit in Brasilia, eamque sequentibus limitibus continuit : versus E. et N. E., territorio Praelaturae *Rio Branco ;* versus N. W. territorio rerum publicarum Benezuelensis (Venezuela) et Columbianae ; versus S. E., divortio aquarum affluentium in flumen Nigrum. Ab Amazonum dioecesi et a praefecturis nuncupatis *Teffé* et *Solimoës Superioris* dividetur linea quae discedit a confluenti fluminis Nigri et fluminis Albi atque per praefatum divortium aquarum a parte occidentali fluminis Nigri pergit usque ad confinia Columbiana.

C. *Mutatio tituli dioecis.* (A. A. S. 19 dec. 1910, 2, 946.)

Decreti ratio, expeditio, tenor.

Ad vitandas ambiguitates, SS. Dominus mandavit, ut litterae sub plumbo expediantur quibus, ex decreto 15 nov. 1910 S. C. Consistorialis, nomen dioecesis *Alexandrinae in America* convertatur in *Alexandrinae in Ontario.*

D. *In Brasilia erectio novae dioecesis et archidioecesis.* (A. A. S. 19 dec. 1910, 2, 945.)

Nova dioecesis nomen et territorium.

Decreto 5 dec. 1910 S. C. Consistorialis, Pontifex dioecesim Olindensem, in Brasilia, in duas partes divisit, et partem occidentalem cis flumen *Maxató* in novam dioecesim *Florestensem*, a civitate Floresta, erexit.

Novae archidioecesis.

Simul cathedralem Olindensem in metropolitanam evexit, eique assignavit suffraganeas ecclesias, dioecesim Florestensem, Natalensem, Parahybensem et Fortalexiensem.

---

[1] Sic in foederatis Americae Statibus. Sed in nostris Belgii dioecesibus, quamvis capitulum habeatur, consueverunt etiam consiliarii capitulum supplere. Ut tamen capitulum supplere possint, indulto apostolico opus esse videtur.

476. — *S. CONGR. INDICIS*

Plura opera, modo vel ante damnata in Indicem referuntur. (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 41.)

Decreto 2-3 ian. 1911, S. Indicis C. proscripsit, vel iam proscripta, in Indicem referri mandavit :

Opera recentur.

Granz Wieland, *Mensa und Confessio. — Der Altar der vorkonstantinischen Kirche*, München, 1906.

— *Die Schrift « Mensa und Confessio » und P. Emil. Dorsch S. I. in Innsbruck. Eine antwort.* Ibid., 1908.

— *Der verirenäische Opferbegriff.* Ibid., 1909.

Joseph Turmel, *Histoire de la théologie positive du Concile de Trente au concile du Vatican.* Paris.

La vraie science des Ecritures. ou les erreurs de la scolastique et l'enseignement officiel de l'Eglise sur le vrai sens de la Bible, par X. — Annonay et Montligeon, 1909.

Lasplasas, *Origen, naturaleza y formación del hombre.* San Salvador, 1896. — *La Iglesia y los estados.* Ibid., 1897. — *Etología ó filosofía de la educación.* Ibid., 1899. *La Sabiduría* Santa Tecla, 1901. — *El compuesto humano.* Ibid., 1901. — *Evolución de los errores antiguos en errores modernos.* Ibid., 1902. — *Generación y herencia.* San Salvador, 1902. — *Ensayo de una definición de la escolástica.* Barcelona, 1902. — *La moral es ley moral.* San Salvador, 1903. — *La psicología.* Ibid., 1904. — *La política.* Barcelona, 1905. — *Mi concepto del mundo.* Libro primero : *Del hombre.* Ibid., 1907 ; Libro segundo : *Dios*, Ibid., s. a.

Ten Hompel. *Uditore Heiner und der Antimodernisteneid. Grenzfragen :* Erstes Heft. Münster, 1910.

Pierre Batiffol, *L'Eucharistie, la présence réelle et la transsubstantiation.* Paris. Decr. 26 iul. 1907.

Rivista Storico-Critica delle scienze teologiche. Pubblicazione mensile. Roma. Decr. S. Off. fer. IV, 7 sept. 1910 [1].

Alfonso Manaresi, *L'impero Romano e il cristianesimo nei primi secoli.* Vol. I : *Da Nerone a Commodo.* Roma 1910, Decr. S. Off. 7 settembre 1910.

Ernesto Buonaiuti, *Saggi di filologia e storia del nuovo testamento.* Roma, 1910. Decr. S. Off. 7 sept. 1910.

Francesco Mari, *Il quarto vangelo.* Roma, 1910. Decr. S. Off. 7 settembre 1910.

N. B. Simul nuntiatur, Alphonsum Manaresi, Ernestum Buonaiuti et Franciscum Mari decreto S. Officii 7 sept. 1910 laudabiliter se subiecisse.

Subscripserunt :

Pro Cardinali Praefecto,
F. De Paula, Card. Cassetta
Thomas Esser, O. Pr. *Secretarius.*

---

[1] Cfr. supra, n. **450**, p. 268.

477. — *S. CONGREGATIONIS DE SACRAMENTIS*

Permittitur, ob praesumptam coniugis mortem, transitus ad novas nuptias [1] (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 26.)

Ob moraliter certam coniungis mortem, novae nuptiae permittuntur,

In plenariis Comitiis 16 dec. 1910, S. C. de Sacramentis Marthae Ondzul, dioec. Mohilovien (Mohilev, Russiae albae) permisit ut novas nuptias contraheret. Eius vir, Jacobus Ondzul, in bello Russico-Japonico, pugnae apud Mukden 22 febr. 1905 interfuit, et specialis sectio pro colligendis notitiis de occisis et vulneratis militibus in bello cum Japonia, apud ministerium militiae gerendae praepositum, nuntiavit ipsum absque ulla notitia data perisse.

Et traditur regula generalis.

Interrogata autem de similibus casibus qui futuri videbantur, S. C. ad milites qui pugnis prope Mukdene et Lao-Yan interfuerunt traducendum dixit responsum S. Officii, 20 iul. 1898, de viris qui astiterunt pugnae de Adua. Itaque Ordinarius novas nuptias permittere poterit, « dummodo agatur de viris qui certo astiterunt pugnae... et peractis opportunis investigationibus, indubitanter dignosci nequeat an vir reapse mortuus ceciderit. »

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
Ph. Giustini, Secretarius.

478. — *COMMISSIO DE RE BIBLICA*

Argumenta examinum. (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 47.)

Argumentum.

Traduntur disciplinae sacrae capita de quibus scriptum et verbale faciendum est periculum ad academicos prolytatus et doctoratus gradus in Sacra Scriptura consequendos. — Epistolae mittendae dicuntur ad Rev. D. Vigouroux, Romam via delle Quattro Fontane, 113; vel ad Rev. P. Abbatem L. Janssens O. S. B. Romam, coll. S. Anselmo, Monte Aventino.

479. — *SACRA ROMANA ROTA*

Negatur illegitimam fuisse ob incompetentiam, sententiam Monasterien. quae, nixa S. Sedis mandato, Colonien. sententiam adversus parochum reformavit.

1. Accepto S. Pontificis mandato, S. Romana Rota, die 23 maii 1910, in causa Colonien-Monasterien. suspensionis a divinis ac iurisdictionis inter Officialatum Colonien. et sacerdotem Iosephum Schmelcher, interveniente Promotore iustitiae, definitivam sententiam tulit. Sacerdos ille, parochus emeritus, Coloniensi citationi ad comparendum obtemperare nolens, tamquam contumax condemnatus est. Adversus quam sententiam cum querelam nullitatis interposuisset, S. Sedes iudicandam appellationem Episcopo Monasteriensi commisit qui nullitatis querelam reiecit, simul tamen, causam iudicans, sententiam Coloniensem temperavit. Quod contra ius factum esse Coloniensis Officialatus existimavit, negans episcopo Monasteriensi competentiam ad ipsam cognoscendam causam. Porro S. Rota Romana negavit sacerdotem stricte fuisse contumacem, et episcopum Monasteriensem fines commissi mandati transgressum esse. Quare declaravit non constare de ille-

[1] P. 27, l. 2. A. A. S. l. 2, post : « qui dein a Japonensibus » verba quaedam excidisse videntur. Haec fortasse suppleri possunt : *sepulti sunt.*

gitimitate sententiae Monasterien. 1 maii 1910 qua Colonien. reformata est. (A. A. S. 10 oct. 1910, 2, 747). Contra hanc sententiam, promotor institiae S. Rotae tempore utili appellationem interposuit, sicut docemur significatione facta 9 nov. 1910. (A. A. S. 30 nov. 1910, 2, 935.)

Confirmatur remotio a decanatu, etc. contra parochum recurrentem ad potestatem civilem.

2. In causa Pharen. (Lesina) Iurium et poenarum, inter parochum Casimirum Scarpa et mensam episcopalem Pharensem ac FF. Praedicatores, S. Rota Romana die 10 iun. 1910 confirmavit suam sententiam 27 iul. (1909), in qua, ex mandato SSi ratam habuit sententiam episcopalem remotionis a decanatu et suspensionis, contra parochum istum qui ter ad potestatem civilem recurrerat ut processio quaedam impediretur. (A. A. S. 10 oct. 1910, 2, 769.)

Sacram functionem et oblationes adiudicavit Sodalicio potius quam parocho.

3. Die 9 iulii 1910, in causa Uxentina (Ugento), Iurium, in gradu appellationis, instante sodalicio *Mater Misericordiae*, adversus parochum loci dicti Castrignano del Capo, dioecesis Uxentinae, S. Romana Rota, infirmando sententiam iudicis primae instantiae, pronuntiavit ius sacras functiones celebrandi et recipiendi atque administrandi oblationes in festo SS. Cosmae et Damiani non ad parochum sed ad sodalicium pertinere; expensas tamen utriusque sententiae, cum neutra actio temeraria fuerit, inter partes esse compensandas. (A. A. S. 10 nov. 1910, 2, 860.)

Matrimonium valere declaravit quia lex Trid. observari non potuerat.

4. Die 11-15 iul. 1910 [1], in causa S. Christophori de Habana, Nullitatis matrimonii inter Petrum Estevez Abreu et Catharinam Laza, contumacem, S. Romana Rota negavit constare de matrimonii nullitate propter *clandestinitatem*, quia lex Tridentina observatu erat impossibilis. (A. A. S. 10 nov. 1910, 2, 874.)

Nullum declaravit matrimonium ob vim et metum.

5. Die 21 iul. 1910, in causa Varsavien. sive Lublinen. Nullitatis Matrimonii, inter Thaddaeum Siehen et Catharinam Koscielska, ex capite *vis et metus*, definitiva sententia S. Romana Rota de nullitate matrimonii constare declaravit. (A. A. S. 10 nov. 1910, 2, 886.)

Regulae servandae in S. Rotae iudiciis.

6. Auditores Rotae collatis consiliis regulas condiderunt in iudiciis apud S. Rotam servandas. Has SS. Dominus prius, 7 sept. 1909, ad experimentum approbavit. Demum, 2 aug. 1910, easdem, cum non nullis additamentis confirmavit, iussitque ut in tribunali S. Rotae pro lege haberentur atque ad praescriptum C. *Promulgandi*, in Officiali Commentario promulgarentur. Proponuntur itaque in A. A. S. t. 2 a p. 783-850. Communicatio autem a Decano facta 4 aug. 1910 inscribitur.

Confirmatur nullitas matrimonii pronuntiata ob incompetentiam ministri.

7. Die 6 aug. 1910, in causa Mediolanen. Nullitatis Matrimonii, inter Eugenium F. Balzan et Italam Adami, S. Romana Rota, appellante Defensore vinculi, confirmavit sententiam suam qua, tamquam appellationis tribunal, 23 feb. 1910 ratam habuit sententiam Patavinam, secundum quam constabat de nullitate matrimonii ob ministri incompetentiam. Cfr. supra, PERIODICA, t. 5, n. **403**, p. 137. (A. A. S. 10 oct. 1910, 2, 776.)

Infirmata superiore sententia, nullitas matrimonii ob defec-

8. Die 11 aug. 1910, in causa Cameracen. Nullitatis matrimonii, inter Ioannem Cordier, appellantem, et Mariam Nicolle, S. Romana Rota, definitiva sententia priorem suam 19 iun. 1909 infirmans, constare declaravit de nullitate, ob defectum condicionis

---

[1] Prior dies initio, altera in fine causae in Officiali Commentario indicatur.

appositae, quamvis actor vim condicionis ignoraret. (A. A. S. 19 dec. 1910, 2, 961.) *tum condicionis admittitur.*

9. Die 27 aug. 1910, in causa Colonien. Nullitatis Matrimonii, inter Antonium Hospelt et Ludovicam Bernhardt, infirmando sententiam appellatam, S. Romana Rota negavit nullum fuisse matrimonium quod Londini coram magistratu civili contractum erat. (A. A. S. 30 nov. 1910, 2, 917.) *Validum quodpiam matrimonium quod coram magistratu civili contractum erat.*

10. *Plurium sub secreto actarum causarum, partes dispositivae referuntur hoc ordine*, in A. A. S. 16 ian. 1911 (3, 44).

a) In Iacien (Aci Reale) S. Rota 11 mart. 1910, *matrimonium inhibendum esse negavit.* *Impedim. matrim.*

b) In Sangallen. (apud Helvetios), 17 mart. 1910, *negavit de nullitate matrimonii constare.* *Nullit. matr.*

c) In Parisien., 9 april. 1910, *confirmandam* iudicavit *rotalem sententiam*, 10 iul. 1909. *Nullit. matr.*

d) In Colonien. 19 maii 1910, *negavit constare de nullitate matrimonii.* *Nullit. matr.*

e) In Athenarum. 20 maii 1910, *declaravit de matrimonii nullitate constare.* *Nullit. matr.*

f) In Arretin. (Arezzo), 16 iun. 1910, *negavit constare de causa poenarum statutarum per sentent.*, 31 mart. 1909. *Poenarum.*

g) In Venetiarum, 5 iul. 1910, *negavit constare de nullitate sententiae curiae metropol.* 15 iul. 1909, sed *declaravit esse a decisis recedendum, ita ut, perdurantibus circumstantiis, locus fiat separationi quod ad torum et mensam.* *Separationis qd. ad torum et mensam.*

h) In Ortonen. (Ortona), 15 iul. 1910, *de matrimonii nullitate constare negavit.* *Nullit. matrim.*

i) In Romana, 30 nov. 1910, *de matrimonii nullitate constare negavit.* *Nullit. matrim.*

k) In Constantinien. 10 dec. 1910, *negavit constare de diffamatione ita ut sit locus refectioni damnorum in casu.* *Diffamationis.*

11. *Citationes edictales.* Edictali citatione, latina et gallica : *Citationes edictales.*

In Constantien. causa Nullitatis matrimonii, Eugenia Berthaut citatur ad comparendum 17 ian. 1911, hora 11. (A. A. S. 19 dec. 1910, 2, 973.)

In Massilien. causa Nullitatis matrimonii, AEmilius Raulier citatur ad comparendum 10 febr. 1911, hora 11. (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 46.)

S. R. C. DECRETUM SUMMATIM RELATUM

480. — *Dubium de S. R. C. decreto 8 iun. 1910.* [1] (A. A. S. 16 ian. 1911, 3, 42.)

Proponitur et solvitur dubium.

Rescripto 2 dec. 1910, S. Rituum Congregatio sciscitanti archiepiscopo Novae Carthaginis in America Meridionali, qui per breve 15 febr. 1898, publicatum in Consistorio 24 mart. constitutus fuerat episcopus Novae Carthaginis, sed dein, eiusdem dioecesis, ad dignitatem archiepiscopalem evectae, primus renuntiatus est Archiepiscopus, per breve 17 iul. 1901, de quo nulla dein publicatio in Consistorio facta est, respondit, celebrandum esse anniversarium *evectionis ad archiepiscopatum*. Hactenus celebrabatur dies anniversaria publicationis *Episcopi* in Consistorio, id est, 24 martii.

N. S. Card. MARTINELLI, *Praef.*

Petrus La Fontaine, Episc. Charistien. Secretarius.

ERRATUM & NOTANDUM

1. P. 189 l. 21 : in posterum non a die expeditionis decretorum, *sic corrige :* in posterum non a die enuntiationis in Consistorio, sed a die expeditionis decretorum.

2. P. 271, *postrema annotatione*, d) *de numismatibus quae sint pro scapularibus.*

Modo accepimus, ab ipso S. Pontifice, supplente quicquid desideraretur, declarationem hanc factam esse ut ab ipsa die qua decretum 16 dec. 1910 conditum est et per OSSERVATORE ROMANO vulgatum, privilegiis eius ac concessionibus uti liceret, quamvis ex consueta promulgatione vim publicam hauriret. Constat itaque de subdelegandi facultatibus et superioribus indultis nihil ante istam promulgationem detractum esse, sed ea ad 16 ianuarii 1911 integra permansisse.

[1] Sicut statim infra monemus, in allegando decreto isto pauca verba exciderunt. P. 189, l. 21 sic est legenda : « in posterum non a die enuntiationis in Consistorio, sed a die expeditionis decretorum,...

BIBLIOGRAPHIA [1]

Ascetica

Juan B. Ferreres, S. J. *La Comunión frecuente y diaria y la primera comunión segun las ensenanzas y prescipciones de Pio* X. 3e ed. 1 vol. in-8, 289 p. Barcelona. Gili G. 1911.

Gennari, (Card.) *Sulla età della prima comunione dei fanciulli*, breve commento del decreto " Quam singulari Christus amore. „ ed. 2. Roma. Presso la direzione del Monitore Ecclesiastico, 1910.

Lahitton, (R. D.) *Deux conceptions divergentes de la vocation sacerdotale*. Exposé. Controverse. Conséquences pratiques 1 vol. in-16, 310 p. Paris, Lethielleux, s. d.

Jules Lintelo, S. J. *Le Décret sur l âge de la première Communion*. (Brochure) Bruxelles. Soc. Belge de librairie, 1910.

Gellé, (R. D.) *La vocation d'Octave*, avec préface de M. le chan. Lahitton. in-16, 64 p. Paris, Lethielleux, 1911.

Canonica

F. Boriero. (R. D.) *Sponsali e Matrimonio*, nuova legislazione canonica. 3e ed. (Opusculum). Padova. Tipografia del seminario. 1909.

Preliminari. Capo I. Sponsali. — II. Matrimonio.

De Smet, (R. D.) *De Sponsalibus et Matrimonio tractatus canonicus et theologicus necnon historicus ac juridico-civilis*. Editio altera recognita et adaucta. 1 vol. in-8, 620 p. Brugis. Beyaert 1911,

Pars I. De Matrimonio.
» II. De impedimentis Matrimonii.
» III. De dispensationibus et Matrimonii convalidatione.

Boudinhon, (R. D.) *Biens d'église et peines canoniques*. 1 vol. in-8 162 p. Paris. Lethielleux, 1909.

I. Les lois attentatoires aux biens d'église. — II. Peines canoniques contre les lois attentoires aux biens d'église. — III. Restitution et Censures. — IV. Composition, absolution, réconciliation. — V. Actes du Saint-Siège concernant les biens d'église en France.

Bastien, O. S. B. *Directoire Canonique à l'usage des congrégations à vœux simples*. 1 vol. in-8 505 p. 2 édit. Abbaye de Maredsous, 1911.

I. partie. De la vie Religieuse et de ses obligations.
II. » De Gouvernement extérieur des instituts à vœux simples.
III. » Du Gouvernement intérieur des instituts à vœux simples.
Appendice I. Des filles de Charité de Saint-Vincent de Paul.
» II. De la situation canonique des religieuses appartenant aux ordres à vœux solennels, mais n'émettant actuellement que des vœux simples.
» III. Decretum " Romani Pontifices. „

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

Moralia et Philosophica.

A. Loslever, Juge. *Amour libre ou Fidélité ?* 1 vol. in-12 243 p.

Ch. 1. La question de l'amour libre, constatations générales.
» 2. Raisons invoquées à l'appui de l'amour libre.
» 3. Des principes de la moralité de l'amour hors de discussion et leur justification.
» 4. Comment dans l'amour libre ces principes sont violés et comment le mariage seul en permet l'observation.
» 5. La société a donc le droit d'organiser et de favoriser le mariage.
» 6. Examen plus spécial de quelques objections formulées contre le mariage.

(Sine Nomine). *Le vice et le devoir conjugal au point de vue moral, médical, social.* Liége. Dessain 1910, 1 vol. in-16, 122 p.

Pourquoi ce livre. Le vice conjugal. — Grandeur du Mal. — Conséquence du Mal. — Les causes principales du péché contre nature. — Causes secondaires. — Les remèdes. — Le devoir conjugal. — Quelques objections courantes. — Le huitième enfant. — Conclusion.

(Sine Nomine). *La Famille et l'Education.* Comptes rendus du 3me congrès international d'éducation familiale. 1 vol. in-16. Bruxelles, Goemaere, 1910.

Zaragüeta, (R. D.). *Modernas orientaciones de la psicologia experimental* (Discurso leido en el acto de apertura del curso academico de 1910-1911 en el seminario conciliar de Madrid.) 1 vol. in-4, 102 p. Madrid. Imp. del Asilo de Huerfanos del S. C. de Jesus, 1910.

Juan Zaragüeta. *La Philosophie de Jaime Balmès.* (Extrait de la revue Neo-Scolastique de Philosophie, Marbre 1910.) Louvain. Institut supérieur de philosophie, 1910.

Oeconomica

Blondel Georges. *Les conséquences économiques et sociales des inventions modernes* (brochure). Paris, Secrétariat de l'action sociale de la femme, 1910.

(ADMINISTRATION DE L'AGRICULTURE ET OFFICE RURAL). *Notice sur l'Economie Rurale et l'organisation administrative de l'agriculture.* 1 vol. in- 200 p. Bruxelles, Weissembruch, 1910.

(ACTION POPULAIRE). *Année sociale internationale*, 1911. Reims, Action populaire, 1911. 1 vol. gr. in-8 de 733-186* pp.

Préface. Renseignements généraux. Introduction : formation et vie sociales, prévisions et prévoyances.

1re PARTIE. **La Famille.** La population. — L'habitation. — L'hygiène. — L'éducation morale et sociale. — Le budget familial. — Appendice : La femme.

2me PARTIE. **Le syndicalisme.** Le syndicat. — Syndicalisme et salariat. — Syndicalisme et fonctionnaires. — Syndicalisme et patronat. — Syndicalisme mixte. — Syndicats agricoles. — Solution des conflits du travail.

3me PARTIE. **L'État et la Protection des travailleurs.** Les organisations pour la protection des travailleurs. — Hygiène industrielle et sécurité des travailleurs. — Durée du travail. — Temps du travail. — Protection des salaires. — Travail des femmes et des enfants. — État et assistance.

4me PARTIE. **Le socialisme français.**

5me PARTIE. **La Coopération.** La coopération de consommation. — La coopération professionnelle. — La coopération de crédit.

6me PARTIE. **La Mutualité et l'assurance contre les risques.** La Mutualité. Les Assurances sociales.

ÉTRANGER. Allemagne. — Angleterre. — Autriche-Hongrie. — Belgique. — Danemark. — Espagne. — Hollande. — Italie. — Luxembourg. — Norvège. — Russie. — Pologne. — Suède. — Suisse. — Amérique: Brésil, Canada, États-Unis. — Asie: Chine, Inde Anglaise, Japon.

Historica

T. Tarducci. *Storia di S. Gregorio Magno e del suo tempo.* Roma-Pustet, 1909, in-8°, pp. XII-500. (Rev. Bénéd. 1909, p. 187*-188*.)

Gustav. Schnürer. *Bonifatius. Die Bekehrung der Deutschen zum Christenthum.* Mainz, Kirchheim, 1909, in-8°, t. p. VIII, 110.

R. Bour. *Die Benediktiner Abtei S Arnulf vor den Metzer Stadtmauern.* Metz, 1908, in-8° p. 240. (Rev. Bénéd., 1909, p. 201*.)

P. Wenzel. *Drei Frauenstifter der Diözese Luttich nach ihrer ständischen Zusammensetzung bis zum XV. Jahrhundert.* Bonn. Brauch, 1909, in-8°, p. 102.

J. Warichez. *L'abbaye de Lobbes depuis les origines jusqu'en 1900.* Tournai, Casterman, in 8°, pp. XXXII, 360. (Rev. Bened. 1909, 210*-213*.)

Cte Pasini-Frassoni, Chlier Bertini et Cdeur Odriozola. *Histoire de l'Ordre du S. Sépulcre de Jérusalem.* Rome, 1909, in-4° (REVUE HISTOIRE ECCLÉSIASTIQUE, t. X, 1909, p. 661.)

Mortier. *Histoire des maîtres généraux de l'ordre des Frères-Prêcheurs* t. IV. (1400-1486). Paris, Picard, 1909, in-8°, VII-660 p. (REVUE HISTORIQUE t. CI, 362.)

M. Godet. *Jean Standonck et les Frères-Mineurs.* (ETUDES FRANCISCAINES, t. XXI, 1909, p. 620-636.)

P. Denis. *Dom Charles de l'Hostallenie, neuvième supérieur général de la congrégation de Saint-Maur* (1714-1720) *Sa vie et ses lettres* (BULLETIN MOMUMENTAL t. V, 1909, p. 3-65).

B. Camm, O. S. B. *The founders of Beuron* (MONT, t. c. XIV, 1909, p. 26-36).

P. Tacchi Venturi, S. J. *Storia della compagnia di Gesù in Italia narrata col sussidio di fonti inedite. T. I. La vita religiosa in Italia durante la prima età dell' ordine. con appendice di documenti inediti.* Rome, Albrighi, Segati et Cie, 1909, in-8°, XL-720 p.

Jeron. *The Capuchins in America.* (HISTORICAL RECORDS AND STUDIES, t. V, 1909, p. 274-347.)

P. Manuel Trigo, O. F. M. *Missiones Franciscanas de Tierra santa en el Tauro (Armenia)* Barcelone, calle del Pino, 1906, in-8°, 367 p.

Gröteken, O. F. M. *Die Franziskanermissionen Chinas im Mittelalter.* (PASTOR BONUS, t. XXI, 1908, p. 100-110.)

Gröteken, O. F. M. *Die Franziskanermissionen Chinas von 16 bis 20 jahrnhundert* = PASTOR BONUS, t. XXI, 1908, p. 456-468.

Gröteken, O. F. M. Ein Bild aus dem Werken der Katholischen Orden auf den Philippinen (HOSTORISCH-POLITISCHE BLATTER FUR DAS KATOLISCHE DEUTSCHLAND.)

L. Marquiset. *L'abbaye Saint-Paul de Besançon 650-1775.* Besançon, Bossanne, 1909, in-8°, 304 p.

J. Flete. *The histog of Westminster abbey.* Cambridge, University Press, 1909, in-8, 151 p. (THE SCOTTISH HISTORICAL REVIEUW, t. VI, 1909, p. 418.)

Gresswell. *Chapters on the early history of Glastonburg abbey.* Londres, Barnicott et Pearce, 1909, in-8°, 166 p.

Schmitz-Kallenberg. Monasticon Westfaliae, Verzeichnis der im Gebiet der Provinz Westfalen bis zum Jahre 1815 gegründeten Stifter, Klöster und sonstige Ordensniederlassungen. Munster, Universitäts-Buchhandlung, Coppenrath, 1909, n° 64-66.

Henri Moretus, S. J. *Les Saintes Eulalies.* (REVUE DES QUEST. HISTOR. 1911.)

ANJOU HISTORIQUE, (1909) **Uzureau.** *Etablissement des Filles de la Charité à l'hôpital Saint-Jean d'Angers (1640)* (REV. DES QUEST. HIST. t. XLIII, p. 245.)

ANNALES SALÉSIENNES (nov. 1908) **Pernin.** *Une lettre inédits de Sainte Jeanne de Chantal et une page intéressante de sa vie.* (REV. DES QUEST. HIST. p. 248.)

REVUE DE GASCOGNE (nov. 1908) **Coste.** *Ordination et première messe de Saint Vincent de Paul.* (REV. DES QUEST HIST. p. 248.)

Jahrbuch des Stiftes Klosterneuburg. Wien, Kirsch, 1908, in-8°, pp. VI-252 (ANAL. BOLL. 1909, 308-309.)

DIE KATHOLISCHE MISSIONEN (oct. 1910, p. 1 ss.) Die koptisch-schismatischen Klöster Aegyptens.

SUMMA SUPPLEMENTORUM ET QUAESITORUM VARIORUM

I. Supplementa

Pagina

SUPPLEMENTUM QUARTUM DECIMUM. De unitate Confessarii ordinarii apud moniales et sorores. Occasio et ratio scribendi . . . . . (1)
I. Disciplinae origo. . . . . (1)
II. Cur vigeat apud Moniales disciplina ista de unico Confessario ordinario . . . . . (5)
III. Legis limites . . . . . (8)
IV. Justae exceptionis causae, seu de confessariis extraordinariis . . . . . (10)
SUPPLEMENTUM QUINTUM DECIMUM. De Regularium privilegiis eorumque traductione ad instituta votorum simplicium . . . . . (33)
I. Observationes generales . . . . . (33)
II. Elenchus facultatum
Facultates exercendae erga saeculares . . . . (35)
Facultates exercendae erga suos . . . . . (37)
Facultates speciatim superioribus concessae . . . (40)
SUPPLEMENTUM SEXTUM DECIMUM. Brevis Modernismi expositio . . . . . (45)

II. Quaesita varia

I. De Sacramento Paenitentiae
1. De confessario ordinario iuniorum religiosorum . . (12)
2. De confessione in itinere Sinensi . . . . . (13)
II. De bannis ante ordinationem sacram requisitis . . . (14)
III. De ordinatione alumni Ordinis regularis ante emissam sollemnem professionem . . . . . (15)
IV. De indulgentiis quae in oratoriis religiosorum obtineri possunt . . . . . (16)
V. De professione in mortis articulo . . . . . (16)
VI. De vacatione beneficiorum propter simplicem professionem (17)
VII. De ordinatione alumni regularis ante sollemnem professionem, vel alumni votorum simplicium ante tres annos a prima votorum nuncupatione . . . . . (18)
VIII. De parvo Monialium a Visitatione officio . . . . (19)
IX. De communi monasterii possessione . . . . . (20)
X. De noviciatu Fratrum vel Sororum
1. De noviciatus necessitate. . . . . (23)
2. De noviciatus regimine . . . . . (23)
XI. De studiis requisitis ante sacras religiosorum ordinationes
Principia generalia. . . . . (25)
Varii casus . . . . . (26)

349. A. Erectio Vicariatus « Basutoland » in Australia (18 feb. 1909). 58
395. A. Insignia capellanorum Lapurdensium (5 iul. 1909). . . . 129
349. D. De sodalicio Bethleemitico ab infante Iesu (6 iul. 1909) . . 59
349. B. De generali directore Sodalicii Imm. Concept. a S. numismate (8 iul. 1909) 58
349. E. De Nuscana Confrat. Imm. Conc. et Defunctorum (31 iul. 1909) 59
349. F. De instituto ancillarum Mariae (11 aug. 1909). 59
349. C. De assisiensi sacello Rosarum (12 aug. 1909) 58
395. B. Archisodalicium Virginis de Sion pro Iudaeorum conversione (24 aug. 1909) 129
349. G. De praefectura apostolica quae a Delta Nili appellatur (17 sept. 1909) 59

Litterae Apostolicae summatim relatae.

473. A. Translatio in dominicam ante 28 oct. festi patronorum oppidi « Seifersdorf » (13 oct. 1909) 287
426. A. Indulgentia concessa visitationibus ecclesiam Sublacensem a Sacro Specu (27 oct. 1909) 180
446. Litterae 1 nov. 1909, Breve 15 aug. et Motu proprio 8 sept. 1910, De Ordine Fratrum Minorum.
A. Litterae *Paucis ante diebus*, 1 nov. 1909, De Ordinis concordia et unitate 216
395. C. Indulgentiae coronae pretiosissimi Sanguinis (9 dec. 1909). 129
395. D. Indulgentiae altaris B. M. V. a Francesco, in Veronensi (5 ian. 1910) 129
395. E. Indulgentiae sodalicii Mariae Reginae Cordium (1 feb. 1910) 130
F. Novus Vicariatus Sinensis (14 feb. 1910). 130
G. Hortationes episcoporum Mexicanorum (23 feb. 1910) . . 130
H. Dioecesis Akcrensis ab Amadiensi Chaldaeorum iterum disiungitur (24 feb. 1910) 130
I. Indulgentia partialis perpetua orationi annexa, pro fidelibus insularum Philippinarum (4 mart. 1910). 130
K. Consociatio precum pro Scandinavorum conversione in abbatia S. Mauritii Claravallensis (8 mart. 1910) 130
426. D. Piae mulierum Fuldensi Unioni, a missionibus nuncupatae, indulgentiae confirmantur, conceduntur et facultas fit aggregandi novas uniones (24 mart. 1910). 180
395. L. Approbatio Constitutionum Congr. Steyl (5 apr. 1910). . 130
M. Archisodalicium Missae Reparatricis (6 apr. 1910) . . . 131
N. Indulgentiae consociationis sacerdotum in honorem SS. Cordis Iesu (9 apr. 1910) 131
O. Consociatio S. Cordis Iesu ad Scholam Piam (10 april. 1910) 131
P. Ecclesia « Bon Secours » in basilicam minorem erigitur (13 april. 1910) 131
395. Q. De administratione dioeceseum suburbicariarum (15 april. 1910) 131
426. C. Societas B. M. V. auxilii christianorum et reginae pacis loci « Beauchêne » in dioecesi Sagiensi (Séez) in archiconfraternitatem erigitur (20 april. 1910) 180
395. R. Centenaria festa Card. Ioannis Bona (25 april. 1910). . . 131
426. E. Menstrua indulg. plen. quibusdam sodalitatibus Reparationis sacerdotalis conceditur (28 april. 1910) 181

SUMMA SUPPLEMENTORUM ET QUAESITORUM VARIORUM

I. Supplementa

Pagina

SUPPLEMENTUM QUARTUM DECIMUM. De unitate Confessarii ordinarii apud moniales et sorores. Occasio et ratio scribendi . . . . . (1)
I. Disciplinae origo. . . . . (1)
II. Cur vigeat apud Moniales disciplina ista de unico Confessario ordinario . . . . . (5)
III. Legis limites . . . . . (8)
IV. Justae exceptionis causae, seu de confessariis extraordinariis . . . . . (10)
SUPPLEMENTUM QUINTUM DECIMUM. De Regularium privilegiis eorumque traductione ad instituta votorum simplicium . . . . . (33)
I. Observationes generales . . . . . (33)
II. Elenchus facultatum
Facultates exercendae erga saeculares . . . . (35)
Facultates exercendae erga suos . . . . . (37)
Facultates speciatim superioribus concessae . . . (40)
SUPPLEMENTUM SEXTUM DECIMUM. Brevis Modernismi expositio . . . . . (45)

II. Quaesita varia

I. De Sacramento Paenitentiae
1. De confessario ordinario iuniorum religiosorum . . (12)
2. De confessione in itinere Sinensi . . . . . (13)
II. De bannis ante ordinationem sacram requisitis . . . (14)
III. De ordinatione alumni Ordinis regularis ante emissam sollemnem professionem . . . . . (15)
IV. De indulgentiis quae in oratoriis religiosorum obtineri possunt . . . . . (16)
V. De professione in mortis articulo . . . . . (16)
VI. De vacatione beneficiorum propter simplicem professionem (17)
VII. De ordinatione alumni regularis ante sollemnem professionem, vel alumni votorum simplicium ante tres annos a prima votorum nuncupatione . . . . . (18)
VIII. De parvo Monialium a Visitatione officio . . . . (19)
IX. De communi monasterii possessione . . . . . (20)
X. De noviciatu Fratrum vel Sororum
1. De noviciatus necessitate. . . . . (23)
2. De noviciatus regimine . . . . . (23)
XI. De studiis requisitis ante sacras religiosorum ordinationes
Principia generalia. . . . . (25)
Varii casus . . . . . (26)

349. A. Erectio Vicariatus « Basutoland » in Australia (18 feb. 1909). 58
395. A. Insignia capellanorum Lapurdensium (5 iul. 1909). . . . 129
349. D. De sodalicio Bethleemitico ab infante Iesu (6 iul. 1909) . . 59
349. B. De generali directore Sodalicii Imm. Concept. a S. numismate (8 iul. 1909) 58
349. E. De Nuscana Confrat. Imm. Conc. et Defunctorum (31 iul. 1909) 59
349. F. De instituto ancillarum Mariae (11 aug. 1909). 59
349. C. De assisiensi sacello Rosarum (12 aug. 1909) 58
395. B. Archisodalicium Virginis de Sion pro Iudaeorum conversione (24 aug. 1909) 129
349. G. De praefectura apostolica quae a Delta Nili appellatur (17 sept. 1909) 59

Litterae Apostolicae summatim relatae.

473. A. Translatio in dominicam ante 28 oct. festi patronorum oppidi « Seifersdorf » (13 oct. 1909) 287
426. A. Indulgentia concessa visitationibus ecclesiam Sublacensem a Sacro Specu (27 oct. 1909) 180
446. Litterae 1 nov. 1909, Breve 15 aug. et Motu proprio 8 sept. 1910, De Ordine Fratrum Minorum.
A. Litterae *Paucis ante diebus*, 1 nov. 1909, De Ordinis concordia et unitate 216
395. C. Indulgentiae coronae pretiosissimi Sanguinis (9 dec. 1909). 129
395. D. Indulgentiae altaris B. M. V. a Francesco, in Veronensi (5 ian. 1910). 129
395. E. Indulgentiae sodalicii Mariae Reginae Cordium (1 feb. 1910) 130
F. Novus Vicariatus Sinensis (14 feb. 1910). 130
G. Hortationes episcoporum Mexicanorum (23 feb. 1910) . . 130
H. Dioecesis Akcrensis ab Amadiensi Chaldaeorum iterum disiungitur (24 feb. 1910) 130
I. Indulgentia partialis perpetua orationi annexa, pro fidelibus insularum Philippinarum (4 mart. 1910). 130
K. Consociatio precum pro Scandinavorum conversione in abbatia S. Mauritii Claravallensis (8 mart. 1910) 130
426. D. Piae mulierum Fuldensi Unioni, a missionibus nuncupatae, indulgentiae confirmantur, conceduntur et facultas fit aggregandi novas uniones (24 mart. 1910). 180
395. L. Approbatio Constitutionum Congr. Steyl (5 apr. 1910). . 130
M. Archisodalicium Missae Reparatricis (6 apr. 1910) . . . 131
N. Indulgentiae consociationis sacerdotum in honorem SS. Cordis Iesu (9 apr. 1910) 131
O. Consociatio S. Cordis Iesu ad Scholam Piam (10 april. 1910) 131
P. Ecclesia « Bon Secours » in basilicam minorem erigitur (13 april. 1910) 131
395. Q. De administratione dioeceseum suburbicariarum (15 april. 1910) 131
426. C. Societas B. M. V. auxilii christianorum et reginae pacis loci « Beauchêne » in dioecesi Sagiensi (Séez) in archiconfraternitatem erigitur (20 april. 1910) 180
395. R. Centenaria festa Card. Ioannis Bona (25 april. 1910). . . 131
426. E. Menstrua indulg. plen. quibusdam sodalitatibus Reparationis sacerdotalis conceditur (28 april. 1910) 181

426. F. Societas sacerdotalis Reparationis moderatorem obtinet eique annectenda dicuntur similia sodalicia (2 maii 1910). . 181
Annotatio 181
395. S. Collegium Iosephianum in civitate Manila, Societati Iesu restituitur (3 maii 1910) 132
426. G. Institutio Vicarii castrensis in reipublicae Cilenae exercitu (3 maii 1910). 181
448. A. Titulus Praelati domestici Superiori pro tempore Sanctuarii de Poupsis, in perpetuum concessus (4 maii 1910) . . 233
426. H. Communicatio indulgent. inter tertium Ordinem saecularem S. Francisci et duos priores Ordines (5 maii 1910). . . 182
Annotatio 182
426. L. Erectio Vicariatus Apostolici Ce-Kiam Occident. (10 maii 1910) 183
426. I. Indulg. et Privileg. conceduntur sanctuario B. M. V. perdolentis, dioecesis Veronensis (25 maii 1910) 182
426. B. Reformatio Urbanae piae unionis S. Pauli Apostoli (26 maii 1910) 180
426. M. Indulgentiae operi piae unionis Lugdunensis ad suffragandum pauperibus defunctis concessae (28 maii 1910) . . 183
426. K. Laudatur societas pro diffusione catholicae fidei in Foederatis Stat. Amer. Septem. (9 iunii 1910) 182
426. N. Laudatur associatio Canadensis pro diffusione Ecclesiae catholicae (9 iunii 1910) 183
473. B. Novum Fr. Praedicatorum Institutum commendatur et privilegium SSum Sacramentum asservandi munitur (14 iun. 1910) 287
Annotationes 287
426. O. Indulgentiae per occasionem saecularium sollemnium reipublicae Mexicanae concessae (16 iun. 1910) 183
426. P. Erectio in basilicas minores ecclesiae metropol. Leopoliensis Latinorum et eccles. cathed. Plocensis (21 iun. 1910; 1 iul. 1910) 183
426. Q. Indultum privilegiati alteris pro sociis mediolanensis consortii sacerdotum (21 iun. 1910) 184
426. R. Instituitur in Gallia piacularis perpetua missa, addita plen. indulg. (6 iul. 1910) 184
448. B. Translatio cum feriatione patronae « Armillas » (18 iul. 1910) 233
448. C. Confraternitas Imm. Conc. in civitate Aquavivensi titulo archiconfraternitatis honoris causa decoratur (19 iul. 1910). 233
473. C. Erectio in Sinis novi Vicariatus Apostolici Kientchang (12 aug. 1910) 287
446. B. Breve *Seraphici Patriarchae*, 15 aug. 1910, De praecedentia inter Fratres Minores. 223
448. D. Improbatur praesens animus, actio atque forma magnae consociationis dictae a « Sillon » (25 aug. 1910). 233
473. D. Ex confraternitate Manilensi B. M. V. Lapurdensis, fit archiconfraternitas (27 aug. 1910). 288
448. E. Vota Pontificis de proxime habendo conventu Fuldensi (2 sept. 1910). 233
446. C. Motu proprio *Ob singularem*, 8 sept. 1910, de litaniis Laurentanis apud Franciscales Familias 226
Annotationes 228
473. E. Erectio novae archidioecesis Simlensis in Indiis Orientalibus (13 sept. 1910). 288

460. Litterae E^mi Secretarii, 20 oct. 1910, ad archiep. Strigoniensem (Esztergem) primatum Hungariae. De usu diariorum et commentariorum in Seminariis 249
Annotationes 250
461. Declarationes 25 oct. 1910, Circa iusiurandum motu proprio « sacrorum antistitum » praescriptum. 252
Annotationes 253
475. C. Mutatio tituli dioecesis, 15 nov. 1910 (summatim) 291
465. Decretum 18 nov. 1910, De vetita clericis temporali administratione. 261
Annotationes 261
475. D. In Brasilia erectio novae dioecesis et archidioecesis 5 dec. 1910 (summatim). 291
469. Declarationes 17 dec. 1910, De iuramento quod Motu-Proprio « sacrorum antitistum » praescribitur. 271
Annotationes 272

S. Congregationis Episcoporum et Regularium.

444. Decretum 31 iul. 1894, De sacra praedicatione 202
397. A. Responsa 9 dec. 1909, de decretis vigentibus quae clericos respiciunt dioecesim mutantes (summatim). 132
397. B. De regimine insulae S. Honorati, 22 feb. 1910 (summatim). 132
C. De silentio servando in proponendis vel nominandis episcopis Americae Septemtr. (summatim) 132
D. Decr. 9 april. 1910, quo fines dioec. Canadensium mutantur (summatim) 133

S. Congregationis Indicis.

399. Opera proscripta decreto 7-9 mart. 1910 (summatim) 134
476. Opera proscripta decreto 2-3 ian. 1911, vel tunc in catalogum relata (summatim) 292

S. Congregationis S. Officii.

326. Decretum ex aud. SS^mi 18 mart. 1909. Generalis facultas benedicendi Pueri Iesu numismata 1
333. Decretum 1 april. 1909. Benedictio in articulo mortis pro religiosis mulieribus 17
327. Decretum 21 april. 1909, de titulo et facultatibus missionarii apostolici 1
Annotatio 3
345. Decretum 6 sept. 1909, de dispensatione ab occulta irregularitate in foro conscientiae, urgente necessitate 52
Annotationes 52
381. Indultum ex aud. SS^mi 9 dec. 1909, de benedictione Tertiariorum et Confratrum Ord. Redemptionis B. M. V. de mercede Redemptionis captivorum (summatim) 102
(Sectio de indulgentiis).
429. Visitatio oratorii proprii pro visitatione ecclesiae conventualis, 25 ian. 1910 (summatim) 186
396. Indulgentiae concessae 17 feb. 1910, orationi ad S. Raphaëlem pro migrantibus (summatim) 132
439. Decretum 23 mart. 1910, Supra doctrina renovationis quam vocant eschatologicae. 193
457. Declarationes 2-4 dec. 1908 et 20-21 april. 1910, De sanatione in radice matrimonii mixti.

426. F. Societas sacerdotalis Reparationis moderatorem obtinet eique annectenda dicuntur similia sodalicia (2 maii 1910). . 181
Annotatio 181
395. S. Collegium Iosephianum in civitate Manila, Societati Iesu restituitur (3 maii 1910) 132
426. G. Institutio Vicarii castrensis in reipublicae Cilenae exercitu (3 maii 1910). 181
448. A. Titulus Praelati domestici Superiori pro tempore Sanctuarii de Poupsis, in perpetuum concessus (4 maii 1910) . . 233
426. H. Communicatio indulgent. inter tertium Ordinem saecularem S. Francisci et duos priores Ordines (5 maii 1910). . . 182
Annotatio 182
426. L. Erectio Vicariatus Apostolici Ce-Kiam Occident. (10 maii 1910) 183
426. I. Indulg. et Privileg. conceduntur sanctuario B. M. V. perdolentis, dioecesis Veronensis (25 maii 1910) 182
426. B. Reformatio Urbanae piae unionis S. Pauli Apostoli (26 maii 1910) 180
426. M. Indulgentiae operi piae unionis Lugdunensis ad suffragandum pauperibus defunctis concessae (28 maii 1910) . . 183
426. K. Laudatur societas pro diffusione catholicae fidei in Foederatis Stat. Amer. Septem. (9 iunii 1910) 182
426. N. Laudatur associatio Canadensis pro diffusione Ecclesiae catholicae (9 iunii 1910) 183
473. B. Novum Fr. Praedicatorum Institutum commendatur et privilegium SSum Sacramentum asservandi munitur (14 iun. 1910) 287
Annotationes 287
426. O. Indulgentiae per occasionem saecularium sollemnium reipublicae Mexicanae concessae (16 iun. 1910) 183
426. P. Erectio in basilicas minores ecclesiae metropol. Leopoliensis Latinorum et eccles. cathed. Plocensis (21 iun. 1910; 1 iul. 1910) 183
426. Q. Indultum privilegiati alteris pro sociis mediolanensis consortii sacerdotum (21 iun. 1910) 184
426. R. Instituitur in Gallia piacularis perpetua missa, addita plen. indulg. (6 iul. 1910) 184
448. B. Translatio cum feriatione patronae « Armillas » (18 iul. 1910) 233
448. C. Confraternitas Imm. Conc. in civitate Aquavivensi titulo archiconfraternitatis honoris causa decoratur (19 iul. 1910). 233
473. C. Erectio in Sinis novi Vicariatus Apostolici Kientchang (12 aug. 1910) 287
446. B. Breve *Seraphici Patriarchae*, 15 aug. 1910, De praecedentia inter Fratres Minores. 223
448. D. Improbatur praesens animus, actio atque forma magnae consociationis dictae a « Sillon » (25 aug. 1910). 233
473. D. Ex confraternitate Manilensi B. M. V. Lapurdensis, fit archiconfraternitas (27 aug. 1910). 288
448. E. Vota Pontificis de proxime habendo conventu Fuldensi (2 sept. 1910). 233
446. C. Motu proprio *Ob singularem*, 8 sept. 1910, de litaniis Laurentanis apud Franciscales Familias 226
Annotationes 228
473. E. Erectio novae archidioecesis Simlensis in Indiis Orientalibus (13 sept. 1910). 288

460. Litterae E^mi Secretarii, 20 oct. 1910, ad archiep. Strigoniensem (Esztergem) primatum Hungariae. De usu diariorum et commentariorum in Seminariis 249
Annotationes 250
461. Declarationes 25 oct. 1910, Circa iusiurandum motu proprio « sacrorum antistitum » praescriptum. 252
Annotationes 253
475. C. Mutatio tituli dioecesis, 15 nov. 1910 (summatim) 291
465. Decretum 18 nov. 1910, De vetita clericis temporali administratione. 261
Annotationes 261
475. D. In Brasilia erectio novae dioecesis et archidioecesis 5 dec. 1910 (summatim). 291
469. Declarationes 17 dec. 1910, De iuramento quod Motu-Proprio « sacrorum antitistum » praescribitur. 271
Annotationes 272

S. Congregationis Episcoporum et Regularium.

444. Decretum 31 iul. 1894, De sacra praedicatione 202
397. A. Responsa 9 dec. 1909, de decretis vigentibus quae clericos respiciunt dioecesim mutantes (summatim). 132
397. B. De regimine insulae S. Honorati, 22 feb. 1910 (summatim). 132
C. De silentio servando in proponendis vel nominandis episcopis Americae Septemtr. (summatim) 132
D. Decr. 9 april. 1910, quo fines dioec. Canadensium mutantur (summatim) 133

S. Congregationis Indicis.

399. Opera proscripta decreto 7-9 mart. 1910 (summatim) 134
476. Opera proscripta decreto 2-3 ian. 1911, vel tunc in catalogum relata (summatim) 292

S. Congregationis S. Officii.

326. Decretum ex aud. SS^mi 18 mart. 1909. Generalis facultas benedicendi Pueri Iesu numismata 1
333. Decretum 1 april. 1909. Benedictio in articulo mortis pro religiosis mulieribus 17
327. Decretum 21 april. 1909, de titulo et facultatibus missionarii apostolici 1
Annotatio 3
345. Decretum 6 sept. 1909, de dispensatione ab occulta irregularitate in foro conscientiae, urgente necessitate 52
Annotationes 52
381. Indultum ex aud. SS^mi 9 dec. 1909, de benedictione Tertiariorum et Confratrum Ord. Redemptionis B. M. V. de mercede Redemptionis captivorum (summatim) 102
(Sectio de indulgentiis).
429. Visitatio oratorii proprii pro visitatione ecclesiae conventualis, 25 ian. 1910 (summatim) 186
396. Indulgentiae concessae 17 feb. 1910, orationi ad S. Raphaëlem pro migrantibus (summatim) 132
439. Decretum 23 mart. 1910, Supra doctrina renovationis quam vocant eschatologicae. 193
457. Declarationes 2-4 dec. 1908 et 20-21 april. 1910, De sanatione in radice matrimonii mixti.

A. Declaratio 2-4 dec. 1908. 245
B. Declaratio 20-21 april. 1910 245
Annotationes 247
424. Declarationes 17 iun. et 13 iul. 1910 de motu proprio « *Cum per apostolicas* », 7 april. 1910.
A. Decl. 17 iun. 1910 162
B. Decl. 13 iul. 1910 163
Annotationes. I. De declaratione 17 iun. 1910. II. De declaratione 13 iul. 1910 164
Notandum de numismatibus quae pro scapularibus gestentur 187
450. Damnantur commentaria et opera, 7-8 sept. 1910 (summatim). 238
Annotationes 238
Notandum de numismatibus quae pro scapularibus gestentur 239
467. Decretum 15 dec. 1910, De generali Tertiariorum absolutione. 266
468. A. Decretum 16 dec. 1910, De metallico numismate pro lubitu Fidelium Sacris Scapularibus ex panno sufficiendo. . . . 267
B. Declarationes 16 dec. 1910 istius decreti. 268
Annotationes 268

S. Paenitentiariae Romanae.

369. Declaratio, ex aud. SSi 20 aug. 1909. De lege promiscuos cibos vetante diebus ieiunii 85

S. Congregationis Propagandae Fidei.

343. Litterae 5 nov. 1908, in decretum *Recenti*, de missarum stipendiis: quinam sint Orientales 48
Annotatio 49
368. Litterae Emi Card. Praefecti, 20 mart. 1909. De temporalibus missionum bonis 83
Annotatio 85
351. Decretum 6 aug. 1909 quo approbantur (a S. C. pro ritu Orientali), constitutiones Melchistaristarum (summatim) . 59
347. Litterae 30 aug. 1909. Facultas pro confessionibus in itinere ad Sinas. 56
Annotationes 56
430. A. Missio a vicariatu Kimberliensi dismembratur, 4 maii 1910 (summatim) 186
B. Limites mutantur Praefecturae Uellensis et Vicariatus Africae centralis, 16 iunii 1910 (summatim). 186
451. Erectio novae Praefecturae Apostolicae de Katanga in Congo belgico (5 aug. 1910). 238

S. Congregationis de Religiosis.

367. Decretum 2 febr. 1909. Specialis congregatio ex religiosis Missionariis « Mariannhill » instituitur 81
341. Decretum 15 iun. 1909. Clausulae indultis saecularizationis deinceps tacite contentae 41
Annotationes 42
330. Responsa 30 iul. 1909, de sollemni monialium professione quae nulla sit ob omissa vota simplicia 10
Annotationes 10
331. Instructio 30 iul. 1909, circa debita et obligationes oeconomicas a religiosis familiis suscipienda. 11
Annotationes 14

342. Declarationes **In articulo**, 7 sept. 1909, circa art. sextum decreti **Auctis admodum**, editi die 4 nov. 1893. 44
Annotationes 46
346. Decretum **Ecclesia Christi**, ex aud. SSmi, 7 sept. 1909, de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis. 53
Annotationes 54
350. Monitum 4 oct. 1909, quo Institutum Taurinense abdicatur (summatim) 59
452. Declaratio de eleemosynis in subsidium « Terrae Sanctae » colligendis, 1 nov. 1909 (summatim). 239
374. Declaratio 17 dec 1909. De studiis quae a religiosis peragenda sint. 92
Annotationes 93
375. Indultum 29 dec. 1909. De religiosis qui militare coguntur. . 94
376. Responsa 29 dec. 1909. De clausura 96
377. Responsa 4 ian. 1910. Dubia circa professionem religiosorum. 97
Annotationes 98
378. Declaratio extensiva 4 ian. 1910, quo decr. 7 sept. 1909 ad mulieres traducitur. 98
Annotationes 99
415. Decretum ex audientia SSmi 19 febr. 1910. Approbatio apostolica Fratrum Instruct. christianae a sancto Gabriële. . . 149
Annotationes 149
392. Declarationes ex aud. SSmi 5 april. 1910, De postulantibus non admittendis ex decr. *Ecclesia Christi*, 7 sept. 1910 . . . 123
Annotationes 124
393. Decretum, ex audientia SSmi 5 april. 1910, Declaratio et extensio decreti *Cum minoris*, 15 iun. 1909 125
Annotationes 126
418. Declaratio 31 maii 1910, decreti « *In articulo* », 7 sept. 1909, de studiis requisitis decr. *Auctis* 4 nov. 1893 155
Annotationes 155
420. Responsum 3-4 iun. 1910. De abbatissis et aliis praefectis perpetuis extra Italiam 158
Annotatio 158
423. Decretum 3 iul. 1910, evulgationem commendans decretorum de religiosis 161
Annotationes 162
442. Decretum « **Ad explorandum** », 27 aug. 1910, De aliqua in noviciatu studiis opera danda. 195
Annotationes 197
443. Decretum 27 aug. 1910 de sacerdotibus comitantibus praesidem capituli in electione Priorissae 197
458. Rescriptum 12 aug. 1910, Dispensatio a decreto Delegati Apostolici 248
459. Rescriptum 20 aug. 1910, De canonica sede Tertiariorum in Gallia. 249
471. Decretum 1 ian. 1911, De laicis ordinum praesertim qui sollemniter vota profitebuntur 274
Annotationes 280
472. Decretum 1 ianuarii 1911, De religiosis, servitio militari astrictis 282
Annotationes 284

S. Congregationis de disciplina Sacramentorum.

386. Normae 7 febr. 1909. De oratorii privati concessione 109
Annotatio 111

387. Responsum 2 april. 1909. De impedimento impotentiae . . . 111
Annotationes 111
339. Responsa 14 maii et 16 aug. 1909, de dispensatione impedimentorum matrimonii, imminente mortis periculo 37
A. Responsum 14 maii 1909 38
B. Responsum 16 aug. 1909 38
Annotationes 38
338. B. Responsa 18 iun. 1909, Romana et aliarum, de decreto **Ne temere**, de sponsalibus et matrimonio 36
Annotationes 37
332. Responsum 13-15 aug. 1909, de facultatibus Episcopi ordinantis alienos subditos. 16
Annotationes 17
389. Decretum 7 mart. 1910 De dispensationibus impedimentorum matrimonialium quae regibus et regiae stirpis principibus concedendae sint 113
Annotatio 114
390. Declarationes 12-13 mart. 1910. Decreti « *Ne temere* », de sponsalibus et matrimonio. 115
Annotationes 117
400. In comitiis 12 mart. 1910 rogatur provisio generalis pro matrimoniis eorum qui in clade Messanensi et Rheginensi videntur coniuge orbati esse (summatim). 134
419. Declaratio 2 iunii 1910 decreti « *Ne temere* » de sponsalibus et matrimonio. Goana et aliorum 156
Erratum de dioecesi Rosensi 157
425. Responsum 29 aprilis 1910 et Decretum **Quam singulari**, 8 aug. 1910, de aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam.
A. Responsum 29 april. 1910. 165
Annotatio 165
B. Decretum 8 aug. 1910 166
Annotationes I. Considerationes generales. II. Brevis istius decreti expositio. III. Quaestiones quaedam canonicae. IV. De modo supplendi commoda hodiernae caerimoniae « primae communionis » 170
440. Responsum 29 iul. 1910, De dispensatione impedimentorum matrimonialium, imminente mortis periculo 193
477. Permittitur ob praesumptam coniugis mortem transitus ad novas nuptias (summatim) 293

S. Secretaria Status.

384. Decretum speciali SSi mandato datum 5 ian. 1910. De Commentario Officiali (summatim) 104
401. A. Varia documenta ad usum Americae latinae et insularum Philippinarum: privilegia, suppressio bullae cruciatae, etc. ex aud. SS. 1 ian. 1910; et epist. 1 mart. 1910 (summatim) . 134
B. Decretum ex aud. SSi 11 mart. 1910, de modo quo clerici exteri possint officia curiae obtinere (summatim) 136

S. Rituum Congregationis.

352. Rescriptum 15 sept. 1900, de usu bireti. Ordinis S. Ioannis de Deo. 60

353. Rescriptum 26 april. 1901, de cantu inter elevationem, de pluvialistis, de sede episcopali, de altari SS. Sacramenti, Angelopolitana 61
Annotatio 61
354. Rescriptum 16 maii 1901. De calendario et de simplificando festo. Mexicana 62
Annotatio 62
355. Rescriptum 27 iun. 1901 De imaginibus servorum Dei Montis Albani 63
Annotatio 63
356. Rescriptum 10 ian. 1902, de restitutione festorum apud regulares 63
Annotatio 63
357. Rescriptum 12 febr. 1909, de benedictione nuptiali Belemen. de Para. 64
Annotationes 64
358. Decretum 24 mart. 1909, de cantibus edendis concinnandisque ad officia propria alicuius ecclesiae vel instituti . . . 64
359. Rescriptum 31 mart. 1909. Responsa varia. Buscodunen. . . 65
Annotationes 67
360. Rescriptum 23 april. 1909, de usu calendarii Urbis et de quibusdam festis 70
Annotatio 71
361. Decretum 12 maii 1909, de vaticana editione Officii defunctorum. 71
362. Rescriptum 14 maii 1909. De missa conventuali ac votiva . . 72
Annotationes 72
363. Rescriptum 16 iun 1909, de missis lectis in externa sollemnitate S. Aloysi et SS. Cordis Iesu 73
Annotatio 73
364. Rescriptum 25 iun. 1909, ad varia dubia. Atrebaten. 74
Annotatio 75
365. Rescriptum 12 nov. 1909. de calendario loci. Ordinis S. Benedicti, Congregationis Bavariae 75
Annotatio 75
366. Decreta summatim relata.
1. 14 iul. 1909, de rubrica addenda in missali 76
Annotatio 76
2. 14 iul. 1909, de officio dedicationis S. Mariae Angelorum in Portiuncula. 76
3. De festis S. Paulini ac SS. Martyrum Perpetuae et Felicitatis altiore ritu celebrandis 76
A. 18 sept. 1908 et 9 iun. 1909, de festo S. Paulini. 77
B. 25 aug. 1909, de festo SS. Martyrum Perpetuae et Felicitatis 77
Annotatio 77
4. Rescriptum 12 nov. 1909 de materia ex qua ecclesia confici possit 77
370. B. Formulae facultatis benedicendi numismata quae pro scapularibus gestari possunt 86
Annotationes 86
385. 1. De officio, missa et elogio B. Ioannae de Arc, virginis, pro Galliae dioecesibus 105
2. Additiones breviario et martyrologio inserendae 105
3. De postcommunione in missa ss. martyrum et communione in missa S. Agnetis secundo. 106
4. Beatificationes et Canonizationes 106

404. Responsum 11 dec. 1909, de symbolo cantato sub offertorio. Curien. 138
405. Responsa 16 dec. 1909, de quibusdam uisibus in officio, missa, aliisque sacris functionibus. Cephaluden 138
406. Responsa 11 feb. 1910, de calendario regularium. Canon. reg. Lateranensium, Cong. Austriacae 139
Annotationes 140
407. Responsa 16 feb. 1910, de missa votiva, de festo titularis et dedicat. eccl. cathedr. de lectionibus I Nocturni. Romana. 140
Annotationes 141
408. Decretum 9 mart. 1910, mutanda indicens in Breviario, Missali et Rituali 142
409. Responsa 16 mart. 1910, de quibusdam consuetudinibus in eccl. cathedr. asturicensi. Asturicen. 143
410. Responsa 9 april. 1910, de quibusdam consuetudinibus in Ordine Praedicatorum. Meliten. 143
411. Rescriptum 22 april. 1910, de usu calendarii pro regularibus qui paroeciam in dioecesi administrant. Secovien. . . . 144
412. Responsa 29 april. 1910, de sollemnitate externa in dominicam transferenda S. Christophori de Habana. 144
413. S. R. C. Decreta et Acta summatim relata.
1. De festo S. Coletae pro Belgio et Gallia, 25 aug. 1909 . . . 146
Annotationes 146
2. De ecclesiae et altarium consecratione, 14 ian. 1910. . . . 146
3. De festo SS. Martyrum Perpetuae et Felicitatis, 28 ian. 1910. 147
Annotatio 147
4. De benedictione partis tantum sacrorum oleorum, 28 ian. 1910 147
5. De machina *Grammofono* in sacris functionibus, 11 feb. 1910. 147
Annotatio 147
6. De rythmo cantus Gregoriani, 18 feb. 1910 147
7. Varia decreta de beatificatione et canonizatione, 15-23 feb. 1910 148
8. Indultum 9 mart. 1910, missae votivae de Assumptione . . 148
433. Rescriptum 13 maii 1910. De vetitis, in altari, coronis sive ligneis sive metallicis. 189
434. Decretum 8 iun. 1910. De missa seu collecta in anniversario electionis seu translationis Episcopi 189
435. Decretum 8 iul. 1910, quam diu recitanda sit collecta pro eligendo episcopo 189
436. Rescriptum de missa quae in festis suppressis est in ecclesiis parochialibus retinenda, 8 iul. 1910. 190
Annotatio 190
437. Varia decreta de canonizatione et beatificatione (summatim). 191
438. Concessio officii et missae B. Ioannae d'Arc, Fratribus Praedicatoribus Galliae et Americae Septemtrionalis 21 ian. et 9 feb. 1910 (summatim). 191
455. Rescriptum 30 iul. 1910, De variis consuetudinibus. 240
Annotationes 242
456. Tria decreta de beatificatione vel canonizatione. 242
480. Rescriptum 2 dec. 1910 de S. R. C. decreto 8 iun. 1910 (summatim). 296

Commissionis de re biblica.

402. Responsa a SS^mo 1 maii 1910 probata de auctoribus psalmorum et tempore quo conscripti sunt (summatim). 136
478. Argumentum examinum (summatim). 293

Sacrae Rotae Romanae.

N. B. *Omnia S. Rotae iudicia summatim tantum a nobis commemorata sunt.*

403. 1-5. Causae matrimoniales, 23 dec. 1909; 19 et 21 ian. 23 et 26 feb. 1910 137
6. De subiectiva ecclesiae unione. 10 ian. 1910 137
7. De iure patronatus. 10 ian. 1910 137
8. De divisione subsidii inter eccl. matricem et filialem, 22 ian. 1910 137
9. De nullitate concursus pro parochiis, 10 feb. 1910 137
432. 1. De iure canendi missas funeraticias, 5 mart. 1910 186
2. De privilegio fori ecclesiastici, 15 mart. 1910 187
3. De nullitatate matrimonii ob defectum testium, 22 mart. 1910. 187
4. De usu ecclesiae cathedralis a parocho, 2 april. 1910 . . . 187
5. De iure coadiutoris percipiendi supplementum congruae, 21 april. 1910 187
6. De nullitate matrimonii ob defectum consensus vel dispensationum, 30 iun. 1910 187
7. Citatio edictalis, 16 iul. 1910 187
454. 1. De nullitate matrimonii ob incompetentiam sacerdotis, 11 iun. 1910 239
2. Citatio edictalis 239
479. 1. Negatur illegitimam fuisse ob incompetentiam, sententiam Monasterien. quae, nixa S. Sedis mandato, Colonien. sententiam adversus parochum reformavit, 9 nov. 1910. . 293
2. Confirmatur remotio a decanatu, contra parochum recurrentem ad potestatem civilem, 27 iul. 1910 294
3. Sacram functionem et oblationes adiudicavit sodalicio potius quam parocho, 9 iul. 1910 294
4-5. Causae matrimoniales, 11 et 15 iul. et 21 iul. 1910. . . . 294
6. Regulae servandae in S. Rotae iudiciis, 4 aug. 1910 . . . 294
7-8-9-10. Causae matrimoniales, 6 aug. 1910; 11 aug. 1910; 27 aug. 1910 294
11. Citationes edictales 295

Signaturae apostolicae.

431. Recursus contra sententiam rotalem de coadiutoribus, 29 mart. 1910 (summatim) 186
452. 1. De privilegio deminutae rationis temporalis Episcopo reddendae, 16 iun. 1910 (summatim) 239
2. Reicitur recursus remoti parochi, 16 iun. 1910 (summatim). 239

Errata.

De numismate quod est pro scapulari . . . . . 106 et 296
De ritibus. 106
De dioecesi Rosensi 157
Verba omissa in decreto n. **434** 296

Notandum.

414. De variis facultatibus
1. De benedictione numismatum quae pro scapularibus gestari possunt 148. 187. 294
2. De hora qua Matutinum Officium cum Laudibus pridie recitari permittitur 148

Bibliographia.

Bibliographia 78; 107; 192; 243; 297

MONUMENTORUM

INDEX CHRONOLOGICUS

I. Monumenta plene exscripta

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1894	31 iul.	Decretum	S. C. Episc. et Reg.	202	**444**
1900	15 sept.	Rescriptum	S. C. Rituum	60	**352**
1901	26 april	Rescriptum	" "	61	**353**
»	16 maii	Rescriptum	" "	62	**354**
»	27 iun.	Rescriptum	" "	63	**355**
1902	10 ian.	Rescriptum	" "	63	**356**
1905	14 nov.	Decretum	S. C. Concilii	40	**340**
1908	8 iul.	Responsum	" "	36	**338A**
1908	5 nov.	Litterae	S. C. de Prop. Fide	48	**343**
»	2-4 dec.	Declarationes	S. C. S. Officii	245	**457A**
1909	2 feb.	Decretum	S. C. de Religiosis	81	**367**
»	7 »	Normae	S. C. de Sacramentis	109	**386**
»	12 »	Responsum	S. C. Rituum	64	**357**
»	18 mart.	Decretum	S. C. S. Officii	1	**326**
»	20 »	Litterae	S. C. de Prop. Fide	83	**368**
»	24 »	Decretum	S. C. Rituum	64	**358**
»	31 »	Responsa	" "	65	**359**
»	1 april	Decretum	S. C. S. Officii	17	**333**
»	2 »	Responsum	S. C. de Sacramentis	111	**387**
»	3 »	Responsum	S. C. Concilii	18	**334**
»	11 »	Breve	SS. D. N. Pius Pp. X	19	**335**
»	21 »	Decretum	S. C. S. Officii	1	**327**
»	23 »	Responsum	S. C. Rituum	70	**360**
»	7 maii	Breve	SS. D. N. Pius Pp. X	4	**328**
»	12 »	Decretum	S. C. Rituum	71	**361**
»	14 »	Responsum	S. C. de Sacramentis	38	**339**
»	14 »	Responsum	S. C. Rituum	72	**362**
»	3-11 iun.	Decretum	S. C. Consistorialis	8	**329A**
»	8-9 »	Decretum	" "	9	**329B**
»	9 »	Responsum	S. C. Concilii	57	**348**
»	15 »	Decretum	S. C. de Religiosis	41	**341**
»	16 »	Responsum	S. C. Rituum	73	**363**
»	18 »	Responsum	S. C. de Sacramentis	36	**338B**
»	25 »	Responsum	S. C. Rituum	74	**364**
»	30 »	Responsum	S. C. de Religiosis	10	**330**
»	30 »	Instructio	" "	11	**331**
»	6 aug.	Approbatio	S. C. de Prop. Fide	59	**351**
»	7-9 »	Responsa	S. C. Concilii	49	**344**
»	13-15 »	Responsa	S. C. de Sacramentis	16	**332**
»	16 »	Responsa	" "	38	**339B**
»	20 »	Declaratio	S. Paenitentiariae	85	**369**

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1909	30 aug.	Litterae	S. C. de Prop. Fide	56	347
»	6 sept.	Decretum	S. C. S. Officii	52	345
»	7 »	Decretum	S. C. Concilii	40	340
»	7 »	Declarationes	S. C. de Religiosis	44	342
»	7 »	Decretum	" "	53	346
»	8 »	Breve	SS. D. N. Pius Pp. X	25	336
»	4 oct.	Breve	" "	27	337
»	4 »	Monitum	S. C. de Religiosis	59	350
»	1 nov.	Decretum	" "	239	452
»	12 »	Responsum	S. C. Rituum	75	365
»	12 »	Rescriptum	" "	77	366
»	7 dec.	Indultum	SS. D. N. Pius Pp. X	86	370
»	9-10 »	Responsum	S. C. Consistorialis	88-89	371
»	11 »	Responsum	S. C. Rituum	138	404
»	15 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	90	372
»	15 »	Motu-proprio	" "	91	373
»	16 »	Responsa	S. C. Rituum	138	405
»	17 »	Declaratio	S. C. de Religiosis	92	374
»	29 »	Indultum	" "	94	375
»	29 »	Responsa	" "	96	376
	sine die	Responsum	S. C. Consistorialis	100	379
1910	1 ian.	Documenta	E Secretaria Status	136	401A
»	4 »	Responsa	S. C. de Religiosis	97	377
»	4 »	Declaratio	" "	98	378
»	21 »	Responsum	S. C. Consistorialis	101	380
»	22 »	Declaratio	S. C. Concilii	133	398a
»	11 feb.	Responsa	S. C. Rituum	139	406
»	16 »	Responsa	" "	140	407
»	19 »	Decretum	S. C. de Religiosis	149	415
»	26 »	Responsum	S. C. Concilii	112	388
»	7 mart.	Decretum	S. C. de Sacramentis	113	389
»	7-9 »	Decreta	S. C. de Indicis	134	399
»	9 »	Decretum	S. C. Rituum	142	408
»	12-13 »	Declarationes	S. C. de Sacramentis	115	390
»	12 »	Declaratio	" "	134	400
»	14-15 »	Responsa	S. C. Consistorialis	122	391
»	16 »	Responsum	S. C. Rituum	143	409
»	18 »	Indultum	SS. D. N. Pius Pp. X	150	416
»	23 »	Decretum	S. C. S. Officii	193	439
»	29 »	Recursus	Signaturae Apostolica	186	431
»	5 april	Declaratio	S. C. de Religiosis	123	392
»	5 »	Decretum	" "	125	393
»	7 »	Motu-Proprio	SS. D. N. Pius Pp. X	126	394
»	9 »	Responsum	S. C. Concilii	133	397D
»	9 »	Responsa	S. C. Rituum	143	410
»	20-21 »	Declarationes	S. C. S. Officii	245	457B
»	22 »	Rescriptum	S. C. Rituum	144	411
»	29 »	Responsa	" "	144	412
»	29 »	Responsum	S. C. de Sacramentis	165	425a
»	13 maii	Rescriptum	S. C. Rituum	189	433
»	26 »	Litterae Encycl.	SS. D. N. Pius Pp. X	151	417
»	31 »	Declaratio	S. C. de Religiosis	155	418
»	2 ian.	Declaratio	S. C. de Sacramentis	156	419
»	3-4 »	Responsa	S. C. de Religiosis	158	420

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1910	8 iun.	Dubium et Responsum	S. C. Rituum	296	**480**
»	17 iun.	Declaratio	S. C. S. Officii	162	**424A**
»	29 »	Motu Proprio	SS. D. N. Pius Pp. X	160	**422**
»	1 iul.	Litterae	" "	160	**422**
»	3 »	Decretum	S. C. de Religiosis	161	**423**
»	8 »	Decretum	S. C. Rituum	189	**435**
»	13 »	Decretum	S. C. Officii	163	**424B**
»	18 »	Declaratio	S. C. Consistorialis	185	**428**
»	29 »	Responsum	S. C. de Sacramentis	193	**440**
»	30 »	Rescriptum	S. C. Rituum	242	**455**
»	5 aug.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	238	**451**
»	8 »	Decretum	S. C. de Sacramentis	166	**425B**
»	12 »	Decretum	S. C. de Religiosis	248	**458**
»	15 »	Breve	SS. D. N. Pius Pp. X	223	**446B**
»	16 »	Responsum	S. C. Consistorialis	194	**441**
»	20 »	Rescriptum	S. C. de Religiosis	249	**459**
»	20 »	Declarationes	S. C. Consistorialis	290	**475**
»	27 »	Decretum	S. C. de Religiosis	195	**444**
»	27 »	Decretum	" "	197	**443**
»	1 sept.	Motu Proprio	SS. D. N. Pius Pp. X	197	**444**
»	7 »	Breve	" "	254	**462**
»	8 »	Motu Proprio	" "	226	**446C**
»	15 »	Litterae	" "	211	**445**
»	25 »	Declarationes	S. C. Consistorialis	229	**447**
»	20 oct.	Litterae	" "	249	**460**
»	25 »	Declarationes	" "	252	**461**
»	1 nov.	Declaratio	S. C. de Religiosis	239	**452**
»	10 »	Sermo	SS. D. N. Pius Pp. X	288	**463**
»	11 »	Breve	" "	259	**464**
»	18 »	Decretum	S. C. Consistorialis	261	**465**
»	30 »	Decretum	S. C. Concilii	264	**466**
»	15 dec.	Decretum	S. C. Officii	266	**467**
»	16 »	Decretum et Declarationes	" "	267-268	**468**
»	17 »	Declarationes	S. C. Consistorialis	271	**469**
1911	1 ian.	Decretum	S. C. de Religiosis	274	**471**
»	1 »	Decretum	" "	282	**472**
»	2-3 »	Decreta	S. C. Indicis	292	**476**

II. Monumenta summatim relata

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1908	18 sept.	Breve	SS. D. N. Pius Pp. X	76	**366**
1909	18 feb.	Litterae	" "	38	**349A**
»	9 iun.	Decretum	S. C. Rituum	76	**366A**
»	5 iul.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	129	**395A**
»	6 »	Litterae	" "	59	**349D**
»	8 »	Litterae	" "	58	**349B**
»	14 »	Decretum	S. C. Rituum	76	**366I**
»	14 »	Decretum	" "	76	**366J**
»	31 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	59	**349E**
»	11 aug.	Litterae	" "	59	**349F**
»	12 »	Litterae	" "	58	**349C**
»	24 »	Litterae	" "	129	**395B**

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1909	25 aug.	Decretum	S. C. Rituum	77	**366**B
»	25 »	Decretum	» »	105	**385**[1]
»	25 »	Decretum	» »	146	**413**
»	17 sept.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	59	**349**G
»	13 oct.	Decretum	» »	287	**473**A
»	27 »	Litterae	» »	180	**426**A
»	1 nov.	Litterae	» »	216	**446**A
»	3 dec.	Decretum	S. C. Rituum	106	**385**[3]
»	9 »	Indultum	S. C. Officii (indulgentiis)	102	**381**
»	9 »	Decretum	S. C. Rituum	106	**385**[4]
»	9 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	129	**395**C
»	9 »	Responsum	S. C. Consistorialis	132	**397**A
»	11 »	Responsum	S. C. Concilii	104	**383**
»	23 »	Declaratio	Tr. Rotae	137	**403**[1]
»	31 »	Decretum	S. C. Consistorialis	102	**382**A
1910	5 ian.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	129	**395**D
»	5 »	Decretum	E Secretaria Status	104	**384**
»	10 »	Declaratio	Tr. Rotae	137	**403**[6]
»	10 »	Declaratio	» »	137	**403**[7]
»	14 »	Decretum	S. C. Rituum	146	**413**[2]
»	19 »	Declaratio	Tr. Rotae	137	**403**[2]
»	21 »	Declaratio	» »	137	**403**[3]
»	21 »	Decretum	S. C. Rituum	191	**438**
»	22 »	Declaratio	Tr. Rotae	137	**403**
»	28 »	Decretum	S. C. Rituum	147	**413**[3]
»	28 »	Decretum	» »	147	**413**[4]
»	1 feb.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	130	**395**E
»	10 »	Declaratio	Tr. Rotae	137	**403**[9]
»	11 »	Decretum	S. C. Rituum	147	**413**[5]
»	14 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	130	**395**F
»	15-23 »	Decreta	S. C. Rituum	148	**413**[7]
»	17 »	Decretum (Indulgentiae)	S. C. S. Officii	132	**396**
»	18 »	Decretum	S. C. Rituum	147	**413**[6]
»	22 »	Responsa	S. C. Consistorialis	132	**397**
»	23 »	Declaratio	Tr. Rotae	137	**403**[4]
»	23 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	130	**395**G
»	24 »	Litterae	» »	130	**395**H
»	26 »	Declaratio	Tr. Rotae	137	**403**[5]
»	1 mart.	Decretum	E Secretaria Status	134	**401**A
»	4 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	130	**395**[1]
»	5 »	Declaratio	Tr. Rotae	186	**432**[1]
»	8 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	130	**395**K
»	9 »	Indultum	S. C. Rituum	148	**413**[8]
»	11 »	Decretum	E Secret. Status in aud. SS^{mi}	136	**401**B
»	11 »	Declaratio	Tr. Rotae	295	**479**[10]
»	11 »	Declaratio	» »	187	**432**[2]
»	15 »	Declaratio	» »	295	**479**[10]
»	17 »	Declaratio	» »	187	**432**[3]
»	24 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	180	**426**D
»	2 april.	Declaratio	Tr. Rotae	187	**432**[5]
»	5 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	130	**395**[1]
»	6 »	Litterae	» »	131	**395**M
»	9 »	Declaratio	Tr. Rotae	295	**479**[10]
»	9 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	131	**395**N

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1910	10 april.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	131	395O
»	13 »	Litterae	» »	131	395P
»	13 »	Litterae	» »	131	395Q
»	20 »	Litterae	» »	180	426C
»	21 »	Declaratio	Tr. Rotae	187	432[6]
»	25 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	131	395R
»	27 »	Decreta	S. C. Rituum	191	437[3]
»	28 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	181	426E
»	1 mai	Responsa	Commis. de re Biblica	136	402
»	2 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	181	426F
»	2 »	Decretum	S. C. Consistorialis	133	397H
»	3 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	132	395S
»	3 »	Litterae	» »	181	426G
»	4 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	186	430A
»	4 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	233	448A
»	5 »	Litterae	» »	182	426H
»	10 »	Litterae	» »	182	426L
»	15 »	Responsum	S. C. Concilii	185	427D
»	19 »	Declaratio	Tr. Rotae	295	479[10]
»	20 »	Declaratio	» »	295	479[10]
»	23 »	Declaratio	» »	293	479[1]
»	25 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	182	426I
»	26 »	Litterae	» »	180	426B
»	28 »	Litterae	» »	183	426M
»	8 iun.	Decretum	S. C. Rituum	189	434
»	9 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	182	426K
»	9 »	Litterae	» »	183	426N
»	11 »	Responsum	S. C. Concilii	184	427B
»	11 »	Declaratio	Tr. Rotae	239	454[1]
»	12 »	Responsum	S. C. Concilii	184	427C
»	14 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	287	473B
»	16 »	Litterae	» »	183	426O
»	16 »	Declarationes	Signatura Apostolica	239	452
»	16 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	186	430B
»	16 »	Declaratio	Tr. Rotae	295	479[10]
»	18 »	Decretum	S. C. Consistorialis	185	428
»	19 »	Decretum	S. C. Rituum	191	437[3-4-5]
»	21 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	183	426P
»	21 »	Litterae	» »	184	426Q
»	30 »	Declaratio	Tr. Rotae	187	432[7]
»	2 iul.	Decretum	S. C. Consistorialis	234	449
»	3 »	Decretum	Tr. Rotae	294	479[6]
»	4 »	Responsum	S. C. Concilii	184	427A
»	4 »	Declaratio	» »	185	427E
»	4 »	Declaratio	Tr. Rotae	294	479[2]
»	5 »	Declaratio	» »	295	479[9]
»	6 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	183	426P
»	9 »	Declaratio	Tr. Rotae	294	479[3]
»	15 »	Declaratio	» »	294	479[4]
»	15 »	Declaratio	» »	295	479[10]
»	16 »	Citatio	» »	187	432G
»	18 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	233	448B
»	19 »	Litterae	» »	233	448C
»	21 »	Declaratio	Tr. Rotae	294	479[5]

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1910	26 iul.	Declaratio	Signatura Apostolica	239	**453**[2]
»	27 »	Declaratio	Tr. Rotae	294	**479**[2]
»	4 aug.	Communicatio	" "	294	**479**[6]
»	6 »	Confirmatio	" "	294	**479**[7]
»	11 »	Declaratio	" "	294	**479**[8]
»	12 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	287	**473**C
»	15 »	Decretum	S. C. Consistorialis	238	**449**C
»	20 »	Decretum	" "	234	**449**B
»	25 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	233	**448**
»	27 »	Declaratio	Tr. Rotae	295	**479**[9]
»	27 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	288	**473**D
»	2 sept.	Litterae	" "	233	**448**E
»	7-8 »	Decretum	S. C. S. Officii	238	**450**
»	9 nov.	Declaratio	Tr. Rotae	293	**479**[1]
»	10 »	Declaratio	" "	288	**474**F
»	10 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	288	**473**E
»	11 »	Breve	" "	289	**473**K
»	14 »	Litterae	" "	289	**473**L
»	19 »	Litterae	" "	288	**473**G
»	19-29 »	Breve	" "	289	**473**M
»	30 »	Declaratio	Tr. Rotae	295	**479**[10]
»	5 dec.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	288	**473**H
»	10 »	Decretum	" "	288	**473**I
»	10 »	Declaratio	Tr. Rotae	295	**479**[10]
1911	17 ian.	Citatio	" "	295	**479**[11]
»	10 feb.	Citatio	" "	295	**479**[11]

INDEX ONOMASTICUS

Numeri indicant seriem paginarum

Acta Apostolicae Sedis vulgant acta Instituti biblici, 77.

Action Populaire. Année sociale internationale, opus, 107.

S. Alphonsus, de confessione in Paschate, (2) ; de confessariis religiosarum, (6) ; de legis vacatione, (26), 10 ; de lege parum observata, 51.

Andreae Ioannes de loco decretalis, 2. De testibus in 6 (II, 10), (21).

Antoninus S. (O. Pr.), de prima communione, 174, 176; de confessario fidelium, (1).

Archivio (El.) hospitalario, de vacatione beneficiorum ob professionem simplicem, (17).

Arendt (S. I.). De dispensatione impedimentorum matrimonii in periculo mortis, 39. — Opus, 79.

Ausson (R. D.). Opus, 80.

Ballerini (S. I.), de excusatione a forma Trid., 118.

Bastien (O. S. B.), de « minoribus seminariis », (61). — Opus, 297.

Batiffol (R. D.). Opus damnatus, 292.

Battandier (R. D.), de unico Sororum confessario, (6), (8).

Benedictus XIII, de ecclesia S. Mariae Angelorum in Portiuncula, 33 ; de pace et caritate inter Fratres Minores, 34.

Benedictus XIV, de confessariis monialium, (4), (5), (6), (10), (11) ; de ritibus sinensibus, (13) ; de basilica assisiensi, 22, 33. Eius declaratio de matrimoniis mixtis, 36 ; de vacatione beneficiorum in Soc. Iesu, (17).

Benzinger (Ill. D.) op. Quilonensis, non est Orientalium regimini obnoxius, 48. 49.

Besson (S. I.), de dispensatione impedimentorum matrimonii in periculo mortis, 39 ; de incapacitate saecularizati professi, 42*. 43* ; de Orientalibus quod ad stipendia missarum, 49 ; de postulantibus dimissis, 125.

Beringer, S. I. Opus, 78.

Beyaert. Opus, 80.

Blondel G. Opus, 298.

Boriero (R. D.). Opus, 297.

Boudinhon (R. D.), de indulg. Francisc., 182 ; opus, 107, 297.

Bour, R. Opus, 244. 299.

Buonaiuti (R. D.). Op. damn., 292.

Calvinus, de persona morali, (21).

Camm, B. Opus, 299.

Castillon (S. I.). Opus, 107.

Choupin (S. I.), de matr. religioso quando sacerdos haberi nequit, 118.

Clemens V, ordinem laudat S. Franctsci, 29.

Clemens VIII, de confessario regularium, (3) ; Reformatos Fr. Minores declarat veros filios S. Francisci, 31.

Clemens XII. Fr. Capuccinos declarat esse veros S. Francisci filios, 31.

Clemens XIII, constitutiones approbat Mechistaristarum, 59, III.

Collationes Brugenses, de dispensatione ab impedimentis matrimonii in periculo mortis, 39 ; de matr. relig. in carentia sacerdotis, 118.

Coste. Opus, 244.

Cotel (S. I.). Opus, 192.

De Arquer (R. D.), de matr. reli-

gioso quando sacerdos haberi nequit, 118. — Opus, 243.
De Becker (R. D.), de potestate Episcoporum in matrimonia, 114.
Debuchy (S. I.). Opus, 293.
Degani E. (R. D.). Opus, 108.
Denis. Opus, 299.
De Smedt C. (S. I.). Opus, 243.
De Smet (R. D.). Opus, 78. 79. 297.
— de dispensatione impedimentorum matrimonii, in mortis periculo, 39. — de matr. religioso, quando sacerdos haberi nequit, 118.
Ecclesiastical review, de Orientalibus, quod ad stipendia missarum, 49.
Egidi P. Opus, 108.
Ferreres (S. I.). Opus, 79. 192. 243. 297 *vide Gury. Ferreres.*
— de dimissis e noviciatu propter causam inculpatam, 125.
Flete I. Opus, 300.
S. Francisci devotio erga ecc. S. Mariae Angel, in Portiuncula, 20.
Galeazzi (S. I.). Opus, 192.
Gambara (L.). Non nulla opera proscribuntur, 134.
Gatterer, M. (S. I.). Opus, 192.
Gellé, opus, 297.
Génicot (S. I.). Opus, 78.
Genier R. (O. Pr.). Opus, 108.
Gennari (Card.), de excusatione a forma Trid. 118. — Opus, 297.
Germena (G.). Opus, 108.
Gillet (O. Pr.). Opus, 80.
Godet (M.). Opus, 299.
Gregorius IX, de basilica assisiensis, 22, 33; de S. Francisci ordine, 28; de legatis piis, 50.
Gregorius XVI. Fratres Min. Capuccinos laudat, 25 ; aedem celebrat S. Mariae Angel. 29, 30.
Greswell. Opus, 300.
Gröteken. Opus, 300.
Guillaume (S. I.). Opus, 79.
Gury, Ferreres (S. I.). Opus, 78.
Heiner (R. D.), de excusatione a forma Trid. 118.
Honorius III, ordinem commendat S. Francisci, 28.
Innocentius IV, de persona morali, (20)-(23).
Iulius II. Const. *Etsi ad universos,* Const. *Inter ceteros,* (58).
Jeron. Opus, 299.
Kant. Modernismi parens, (50).
Koschek I. Opus, 108.
Krus P. (S. I.). Opus, 192.
Kunz Fr. Opus, 108.
Lahitton (R. D.). Opus, 79, 297.
Lasplasas. Op. damn. 292.
Lehmkuhl Aug., (S. I.), de matr. religioso quando sacerdos haberi nequit, 118.
Leo X. C. *Etsi a summo,* (58).
— ordinem commendat S. Francisci, 29, 34 ; laudat Fr. Minores Observantes et Reformatos, 31.
Leo XIII, biblicum Institutum erigere proponens, 4 ; de legibus ad tempora aptandis, 26 ; S. Franciscum laudat, eiusque ordinem, 30 ; declericis italis migrantibus in Americam, 40 ; de matr. christiano, 119.
Lintelo I. (S. I.). Opus, 192, 291.
Loslever. Opus, 298.
Lugo (Card.) **de,** de legatorum piorum exsecutione, 51, 52.
— de prima Commun. 174.
Oietti (S. I.), de matrim. religioso quando sacerdos haberi nequit, 118.
Madridius-Bock (S. I.). Opus, 78.
Maillet-Hanquet. Opus, 108.
Malou E. (S. I.). Opus, 243.
Manaresi (R. D.). Op. damn., 292.
Mari (R. D.). Op. damn. 292.
Marquiset L. Opus, 300.
Martroye. Opus, 108.
Michel (Miss. Alger.). De intentione baptismi suscipiendi, (63).
Molina (S. I.), de legatorum piorum exsecutione, 51, 52.
Monitore (II), de facultate dispensandi ab impedimentis matrimonii, in periculo mortis, 39 ; de vocatione beneficiorum in Iust. vot. simpl. (17).

Monte Rotondo (da). G. M. Opus, 108.
Moretus H. (S. I.). Opus, 300.
Mortier. Opus, 299.
Müller Alb. (S. I.). Opus, 80.
Nicolaus III, ordinem S. Francisci commendat, 28.
Noël Valois. Opus, 108.
Nouvelle Revue Théologique, de dispensatione ab impedimentis matrimonii in periculo mortis, 39 ; de incapacitate saecularizatorum, 42*, 43* ; de Orientalibus, quod ad stipendia missarum, 49 ; decretum de missis pro defunctis, 68* ; commendatur, 80 ; de festo S. Coletae, 146 ; de impotentia, 111 ; de dimissis, 125.
Paulus V. De Constitutionibus Ursulinarum, (20).
— Fr. Minores Capuccinos declarat veros filios S. Francisci, 31.
Peeters P. (S. J.). Opus, 192.
Pellizarius (S. I.). De confessariis monialium, (6).
Perin, primum utitur voce *Modernismi*, (47).
Pernin. Opus, 244.
Piat (F. M. C.). De vi vocis Officii, 43*.
S. Pius V. De confessario regularium, (2).
Pius VI. Benedictinam declarationem de matrimoniis ad Poloniam extendem, 36.
Pius IX, privilegiis ditans eccl. S. Mariae Angel. in Portiuncula, 22.
SS. D. N. Pius Pp X, laudat Capuccinos, 26. (Vide *Indicem analyticum*).
Polzin I. Opus, 108.
Pulido Fernandez A. Opus proscribitus, 134.
Raymundus S. (O. Pr.). De confessario fidelium, (1), (5).
Razon y Fe, de dimissis, 125 ; de impotentia, 111.
Sanchez Th. (S. I.), de legatorum piorum exsecutione, 51, 52.
Santi-Leitner (RR. DD.), de notione officii, 43*.
Sauvé C. (R. D.). Opus, 107.
Schäfer. Opus, 108.
Schmitz-Kallenberg Opus, 300.
Schnürer B. Opus, 244.
Siret H. Opus, 243.
Spillebout L. (S. I.), opus, 243.
Stoz, I. (S. I.) De Conc. Trid., (5).
Tacchi Venturi, P. (S. I.). Opus, 299.
Tarducci, T. Opus, 244, 299.
Ten Hompel. Op. damn., 292.
Theiner (Cler. Theat.), de concil. Trid., (5).
Thesaurus Resolutionum S. C. C. 1833. De vacatione beneficiorum in Inst. vot. simpl. (17).
Thomas, S. (O. Pr.), de aetate primae communionis, 174.
Thomas a Celano, de mutua caritate Fr. Minorum, 34.
Tibbaut, E. Opus, 243.
Trigo Manuel, opus, 300.
Turmel, I. (R. D.). Proscribuntur non nulla opera, 134, 292.
Unghvary A. De facultate regularium dispensandi in votis, (57)-(60).
Urbanus VIII, de Fr. Min. Capuccinis, 26.
— de confessario regularium, (3). Fr. M. Capuccinos declarat veros filios S. Francisci, 31.
Uzureau, Opus, 244.
Valls Tarrazo P. (R. D.), opus, 107.
van Kempen (O. S. B.). Opus, 107. 192.
Vasquez (S. I.). De obligatione communicandi, 171.
Vermeulen (S. I.), Opus, 244.
Warichez, J. Opus, 244. 299.
Waxweiler. Opus, 80.
Wenzel, P. Opus, 244. 299.
Wernz (S. I.), de legis vacatione, 10. 11.
Wieland Franz, op. damn., 292.
Xystus V, ordinem commendat S. Francisci, 29.
Zaragueta (R. D.), opus, 298.

MONUMENTORUM & RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri paginarum

Asteriscus annotationes significat

Lineola interducta (—) = vocabulum in principio positum

Abbates, Eorum potestas ordinandi, (62).

Abbatissae munus perpetuum an temporale, 158.

Abortus censura, irregularitas, 52. 53.

Absolutio a censuris, 52. 53. — a reservatis, (3), (14). 53. — generalis Tertiariorum, 266.

Abstinentia a carnibus an transfertur, 57; quibus diebus suppressa, 18. — **ae** indulta, 134. 135; eorumque interpretatio, 104. 185. 289. v. *Ieiunium*.

Administratio temporalis clericis vetita, 261-264.

Adorationis Nocturnae Archisodalicii privilegia, 289.

Aegypti festa, 18.

Aes alienum a religiosis contrahendum, 11-14.

Africae Centralis Vicariatus limites, 186.

S. Agnetis, in altero eius festo, Postcommunio, 106.

Akcrensis dioecesis disiungitur ab Amadiensi, 130.

Alienatio « capitalis », (30).

S. Aloysii externa sollemnitas, 73. — officium, 141.

Altare ubi SS. Euch. servari possit, 61. — quomodo consecrandum, 146. — quo lumine ornandum, 240-242.

— privilegiatum, 3. 184.

America. Clerici migrantes in — **m**, 40. 41. — **ae** *Status foederati.* Decreta quae ibi vigent, 132; episcoporum cooptatio, 132; potestas sanandi matrimonia, 245-247.

Aniciensis dioecesis abstinentiae et ieiunia, 18.

Anniversarium Episc. Collecta, 189.

Annuntiationis (festi) translatio, 57. Quid tunc de abstinentia a carnibus in perviligio, 57.

S. Antonii officium, 141.

Apostolica benedictio, 3. 17.

Apostolica Signatura restituit in integrum, 8; causae ad ipsam delatae, 186. 239.

Apostolicum beneplacitum ad contrahenda debita, 12. 13.

Aquavivensis confraternitas Imm. Conc. 233.

Armillas. Festum patronae, 233.

Assisiensia sacella. Privilegium missae votivae, 58, c.

Auctis admodum, Dec. S. C. Episc. et Regul. 4 nov. 1892, de ordinatione religiosorum, (15). (16). Declaratio art. 6, de studiis ante ordinationem, (26)-(28); 44-48; 92. 93; 155.

Auspicato, C. Leonis XIII, 17 sept. 1882, de S. Francisci tertio ordine, 30.

Auspicato Motu proprio SS. D. N. Pii Pp. X, 15 dec. 1909, quo ex Inst. Filiorum S. Fam. instauratur Congr. Theatinorus, 91.

Banna ante ordinationem, (14). (15).
Baptismus. De intentione casus, (63).
Basilica assisiensis S. Francisci, 22. 33. 35. — S. Mariae Angel. in Portiuncula, 21-25. 29. 30. 33. 35. — Bon Secours, 131. — Leopoliensis et Placensis, 183.
Basutoland, vicariatus erigitur in Africa, 58, A.
Beatificationis vel **canonizationis.** Causae, 106, 189, 242.
« **Beauchêne** ». Societas B. M. V. erigitur in Archiconfraternitatem, 180.
Belgium dispensatur ab abstinentia et ieiunio, ante sollemn. SS. Petri et Pauli, 18. 19.
S. Benedicti numisma iubilare, (16).
Benedictio SS. 240-242. — coronarum, etc., 3; crucigerorum, 3; crucium missionum, 3. 151; numismat. pueri Jesu, 1; in hora mortis, 3. 17. — papalis, 3. 151. — **nes** concessae cum indulgentiis, recognoscendae a S. Officio, 126-128; 162-165. — Tertiariorum B. M. V. de Mercede, 102.
— **nuptialis** non omittenda, 64.
Beneficii notio, 43. — adeundi incapacitas, 43; vacatio propter simpl. professionem, (17). Quid in Soc. Iesu? (17).
Bethleemiticum sodalicium ab infante Iesu, 59.
Biblici Instituti erectio, leges, 4-8; acta ubi vulgentur, 77 notandum.
Bireti usus in Ordine S. Ioannis de Deo, 60.
Bona *Religiosorum* usurpata acquiri permittuntur a S. Congr. Concilii, 9, 122. — *temporalia* missionum, 83-85; mission. vel relig. (29). (30). — quod ad debita, 11-16. — Bonorum *dispositio* non est a Superiore regenda, (30).
Bononiensis dioecesis festa, 18.
Bon-Secours ecclesia erigitur in basilicam minorem, 131.
Breviarium vide *Officium divinum.*
Bulla *Cruciatae*, 133-135. — novas formulas obtinet, 288.
Calendarium ecclesiae Regularibus concreditae, 139. 140. 144; — oratorii, 62. 75; — quomodo ordinandum pro diebus festorum, 70. 71. 77.
S. Caloceri Seminarium pro exteris missionibus dependens a S. Congr. de Prop. Fide, 89.
Canadensium dioecesium fines commutantur, 133.
Cancellariae regula de Constitutionibus apostolicis, 133.
Candelae in altari, 240. 242.
Canonici pluvialistae, 61.
Canonici Lateranenses C. Austr. 139. 140.
Canonizationis vel **beatif.** causae 106. 189. 242.
Cantus sub elevatione, 61; officiorum propriorum, 64. 65; sub missa privata, 67. 69; exposito SS. Sacramento, 67. 69. — **Gregoriani** rythmus, 147. — sacri editor, 64-65.
Capituli decretorum vis (43).
S. Carolus Borromaeus extollitur, 152.
Castratio feminea, 111.
Castrensis vicarius in republica Chilena, 181.
Ce-Kiam vicariatus, 183.
Censurarum absolutio, 52. 53.
Chorus in Urbe, 264-266.
Church Extension Society laudatur, 182-183
Cisterciensis Congr. **Marianhill,** 81.
Clausura. Apud Eremitas Montis Coronae, 96. 97.
Clerici proficiscentes in Americam vel insulas Philippinas, 40. 41. — et administratio temporalis, 261-264.
" **Clericos peregrinos** „ decr. S. C. Concilii, 14 nov. 1903, de clericis Italis migrantibus in Americam, 40.
Coadiutorum curatorum causa reicitur, 186.
S. Coletae festum, 146.
Collegium, quid, (21); — ecclesiasticum, *laicum*, quid, (61), 54.
— *Iosephianum* in civitate Manila restituitur Societati Iesu, 132.
— *Iosephinum* (Columbus) Relatio S. Sedi ab alumni non iam exhibenda, 101.

Commemorationes, 65. 66. 67. -- pro defunctis, 66. 67.
Commentarium Officiale. Regimen, 104.
Communicatio devotionum, indulgentiarum, laudum, privilegiorum inter tres familias Fratrum Minorum, 35. 182.
— indulgentiarum et privilegiorum inter utramque basilicam assisiensem, 35.
Communio prima. De aetate admittendorum, 165-179. 273.
Compositio de bonis religiosorum conceditur a S. C. Concilii, 9, 122; conceditur ob finem spiritualem, non temporalem, 9.
Concilium *Tridentinum*, de confessariis monialium, (4); de bannis ante ordinationes, (14); de legatis piis, 50.
Concursus in curia Romana, 136.
Confessarius a censuris absolvens et irregularitate dispensans, 52. 53.
— episcoporum et exemptorum Praelatorum, (2); fidelium (1); iuniorum religiosorum, (12); noviciorum, (3); regularium, (2). (3); religiosorum (3); sororum et monialium, (1)-(12) *Vide* Supplem. XIV. extraordinarius, (2); ordinarius unicus, (1)-(12); supplementarius, (10)-(12).
Confessio monialium et religiosarum extra conventum, (8). (11).
— in Sinensi itinere, 56. 57.
Confraternitas, quod ad inscriptionem (53). — dependens a religiosis obnoxia tamen est S. C. Concilii, 88. 89.
— *Bethleemitica ab Infante Iesu*, 59; — *Immaculatae Conc. a S. Numismate*, 58B (dispensatur ab inscriptione, 58B); — *Mariae Reginae cordium*, 130; — *Nuscana Imm. Conc. et defunctorum*, 59E; — *Sacerdotum in honorem SS. Cordis*, 131; — *Virginis de Sion*, 129.
Congregatio (*religiosa*) habens tantum promissionem perseverantiae et Decr. *Auctis*, 155;
— *ancillarum Mariae* indulgentias obtinet, 59F; — *Eudistarum*, 155; — *Filiorum Sae Familiae*, 91; — *Fratrum a scholis christianis* et sodalicium bethleemiticum ab infante Iesu, 59; — *Fratrum a S. Gabriele*, 149; — *Mechistaristarum* (Armenorum) approbatas obtinet Constitutiones, 59, III; — Missionariorum a Steyl approbatur, 130; — *Missionis* sodalicium Imm. Conc. a s. numismate dirigit, 58B; — *Oblatorum Mariae Immaculatae* Basutoland evangelizat, 58A; novis Constitutionibus munitur, 254. 255; — *Piae Societatis Missionum*. Officium divinum, 70. 71.
Congregatio S. *(romana) Concilii.* Eius competentia in compositionibus concedendis, 9, 122; in confraternitates etiam religiosorum, 88. 89; in Status Foederatos Americae, 132; in approbandis taxis curiarum episc. 133; *Vide Indicem analyticum*, de hac et de ceteris congregationibus romanis.
— *pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis*. Instructio 1844, de matrimoniis mixtis in Russia, 36.
— *S. Officii* competentia in matrimonio mixta, 100; in recognoscendis indulgentiis, 126-128, decreta de confessario, ne sit Superior domus, (3). (12).
— *Propagandae Fidei*. De confessione in itinere Sinensi, (13). (14). 56. 57. Competentiam amittit in Status Foederatos Americae, 132; servat in Societates Missionariorum Europae, 88, et in Societatem Missionariorum Africae, 122. Facultates ab ipsa concessae vigere pergunt, (56).
— *de disciplina Sacramentorum* concedit missas in nocte Nativitatis Dni, 122; missas votivas, 194.
Consecratio *altaris*, 146; — *ecclesiae* ex caemento armato, 77.
Consilium abeundi, estne dimissio, 55, 123-125.
— religiosorum de administratione temporali, 11-16.
— **vigilantiae,** 229, 230; — in missionibus, (68).
Consociatio *precum pro Scandinavorum conversione*, 130.
— reparationis sacerdotalis, 181.

— *sacerdotum in honorem SS. Cordis Iesu*, 131.
— *SS. Cordis Iesu ad Scholam Piam*, 131.
— *S. Pauli* reformatur, 180.
Constitutiones Apostolicae. Nova Regula Cancellariae de Const. Apost., 133E.
Consuetudo habendi plures confessarios pro Sororibus vel Monialibus (9).
Contionatores et abiuratio modernismi, 200. 210, — improbati, 229. 231.
Contiones *sacrae.* Regulae, 202-207.
Conventus, quid, (22).
SS. Cordis Iesu externa sollemnitas, 73. — consociatio, v. *Consociatio.*
Coronae in altari vetantur, 188.
Coronarum benedictio, 1. 3. — *crucigerorum* benedictio, 3. — *Pretiosissimi Sanguinis* indulgentiae, 129.
Crediti Causae variae tribunali Rotae propositae, 187.
Cruciatae Bulla explicatur, 133: partim aboletur, 134-135.
S. Crucis Reliquiae. Caerimoniae coram illis, 138.
Crucis missionis benedictio, 3. 151.
Cura animarum ab episcopo imposita, 290.
Debita pecuniaria religiosorum, 11-14.
Dedicatio cathedralis, festum primarium, 141.
Definitorium, vide **Consilium.**
Defunctis, missae pro —, 66. 67. 68. 69. Commemoratio pro — in missa votiva, 66. 67. 69. Officii pro — editio vaticana, 71.
Delegatio tacita ad matrimonium, 115, 121.
Delegatus apostolicus. Dispensatio ab eius Decreto, 248
Dimissio, expulsio e collegio vel Instituto ; quid, 54. 55. — **nis** effectus iuridici, 54-56. Quid, si propter morbum, 55.
Dioecesani Instituti moderator vel visitator esse nequit religiosus saecularizatus, 41 ; — regimen temporale, 16.
Dioecesium erectio, 238.
Dispensatio a decreto Delegati apostolici, 248 ; ab *impedimentis matrimonii*, in periculo mortis, 37-39 ; — regibus, 113 ; — ab *interstitiis*, 16. 17 ; — a *irregularitatibus* occultis, 52. 53 ; — *votorum* et consequens incapacitas, 54-56.
Dolorum VII B. M. V. festi lectio IX propria, 105.
Domicilii mutatio in eodem oppido, (44).
Domicilium professi in sacris, 41. 44.
Donationes factae a Superioribus, 14.
Dotis monialium conservatio, 14.
Ecclesia ex caemento armato, 77,4. — quod ad calendarium, 139. 140. 144.
« **Ecclesia Christi** » decr. S. C. Religiosorum, 7 sept. 1909, de quibusdam postulantibus non admittendis, 53-56.
Ecclesiae *Assisiensis* S. Francisci dignitas 22. 33. 35. *S. Mariae Angel.* in Portiuncula, dignitas et privilegia, 21-25. 29. 30. 33. 35. Communicatio indulgentiarum et privilegiorum inter utramque basilicam, 35.
Editor cantus sacri, 64. 65.
Electio *abbatissae* triennalis, 158 ; — *priorissae.* Quomodo se gerant comitantes Praesidem, 197.
Eleemosynae missarum. *Vide Missarum.*
Elevatio Missae. Cantus, 61.
Ephemerides non legendae in seminariis, 199, 208-209, 229, 230, 249-251.
Episcopi anniversarium commemorandum, 189. 294.
— confessarius, (2).
— discessoriales litterae pro clericis migrantibus in Americam vel insulas Philippinas, 40. 41.
— facultas dispensandi in interstitiis et temporibus ordinationum, 16. 17 ; permittendi ordinationem regularis, (15) ; ferendi pileolum violaceum, 133.
— ius de censura abortus, 53 ; de confessariis monialium et sororum, (4)-(12) ; regendi banna ante

ordinationem (14). (15); vigilandi in legata pia, 49.
— officium curandi praescripta de studiis ordinandorum religiosorum 44. 47; debellandi modernismum, 197-211; 229-232; 252-254; 271. 273.
— sedes, ubi collocanda, 61.
Eremitae Montis Coronae. Clausura et Visitationes apud ipsos permissae, 96. 97.
Eremitarum S. Augustini potissimae facultates, 150.
Error *substantialis* in matrimonio, (65).
SS. Eucharistiae asservatio, 61. 287; expositio XL horarum, 66, 67, 69; frequens usus, 153; primus usus, 165-179; 273. — cantus permissus in expositione, 67. 69.
Examina theologiae quomodo ordinanda, (28).
Exemptio plenissima basilicae S. Mariae Angelorum in Portiuncula, 24.
" **Exposcit debitum** „ Const. Greg. XIII num extenditur ultra Italiam, 158.
Expulsio, quid, 54. 55. — **nis** effectus iuridici, 54-56.
" **Ex quo** „ C. Ben. XIV, 5 iul. 1742 iuramentem praescribens de ritibus Sinensibus, (13).
" **Ex quo dilectus** „ C. Ben. XIV, 14 ian. 1747, de libertate ingrediendi religionem, (17).
Facultates *missionarii apostolici* a S. Officio designati, 3. — intellectae nomine privilegiorum regularium, (35) ss.
« **Felicitate quadam** », C. Leonis XIII, 4 oct. 1897, Fratribus Minoribus restituens unitatem, 31.
Festivi dies hierosolymitanae ecclesiae. 18. — quomodo ordinandi a religiosis qui Urbis officium habent, 70. 71; quomodo ponendi in calendario, 70. 71. 77. — suppressi, 18. 19.
Festum *Annuntiationis*, 57. — *S. Aloysii*, 73. — *Apparitionis S. Jacobi*, 62. — *SS. Cordis Iesu*, 73. — *Eccl. B. M. V. in Portiuncula*, 76, 77. — *S. Iuliani*, quod ad missam. 66, 68. — *S. Marci*, quod ad orationes, 65. 66. 67. — *S. Paulini*, 76, 77. — *SS. Martyrum Perpetuae et Felicitatis*, 76, 77. — *S. Thomae de Villanova*, 67. 70. — *titulare* vel *dedicationis Eccl. Cathedr.* habendum ut primarium etiam extra Cathedralem, 141.
Fidelium *confessarius*, (1).
Florestensis dioecesis erectio, 291.
Fluminis nigri praefecturae erectio, 291.
Formulae Bullarum deinceps usurpandae, 288.
Foroiuliensis dioecesis abstinentiae et ieiunia, 18; possessio insulae S. Honorati, 132.
S. Franciscus Xav. Additio in lect. VI, et Martyrologio, 105. 106. — Officium, 141.
S Francisci laudes, 29. 30; — Ordo, v. *Fratres Minores;* — sacella in in eccl. S. Mariae Angel. in Portiuncula, 24. 58.
Fratres a S. Gabriele, scholarum christianarum, etc. vide *Congregatio.*
Fratres laici Ordinum, 274-282.
Fratrum Minorum communicatio indulgentiarum et privilegiorum, 35. 182; indulgentiae pro missionibus in America, 259; laudes, 256-258; litaniae lauretanae, 227. 228; tres ministri generales 32. 33. 35; Nomen stylo curiae, et praecedentia, 90, 216-226; Officium sectandae caritatis et humilitatis, 34; Ordo, 27-35; prohibitio ne testamenta exsequantur, 50.
— *Capuccinorum* descriptio, 26; filiatio franciscana, 26. 31; laudes, 25. 26-31; novae constitutiones approbatae, 25-27.
— *Conventualium* legitima filiatio franciscana, 31.
— *Observantium et Reformatorum* laudes, 31.
— *Unionis Leonianae* iura, 32.
Fraus in legem celebrationis matrimonii, 115. 120.
Fuldensis *conventus episcoporum*, 233-234.
— *unio mulierum* favores impetrat, 180.

Fundatio domus, etc. qua lege permittatur, 13. 16.
Gallia. Bona usurpata religiosorum, pro compositione, 9. — Missa pia cularis, 184.
Germania, quod ad matrimonia mixta, 36.
Giblatariensis dioecesis erectio, 288.
« **Grammofono** » in sacris functionibus, 147.
Hierosolymitanae ecclesiae festa, 18.
Honorati S. insula remanet pars dioecesis Foroiuliensis, 132.
Hungaria, quod ad matrimonia mixta, 36.
Hypotheca contracta ad minuendas taxas, 15.
S. Iacobi Apparitionis festum, 62.
Ieiunii dies suppressi, 18. Decreti circa — in Lusitania interpretatio, 104. — leges in America et insulis Philippinis, 134. 135. — in Hispania, 185, 289. — lex quod ad cibos promiscuos, 85.
Imagines servorum Dei ecclesiis, 63.
Impedimenta matrimonii, a quonam solvantur in mortis periculo, 37-39, 193; — in causis regum, 113.
Impotentiae impedimentum, 111.
Incardinatio ex-religiosi, (31)
Indulgentiarum *communicatio* inter binas basilicas Assisienses, et inter tres familias Fratrum Minorum, 35; inter Ordines Franciscales, (182).
— concessio (16).
— recognitio a S Officio, 126-128; 162-165.
— indulta: Portiunculae Benedictinorum (16); pro ecclesia Sublacensi, 180; pro Fratribus Minoribus Americae, 259; pro numismate pueri Iesu, 1; pro numismate iubilari S. Benedicti, (16); pro oratione ad S. Raphaelem, 132; pro societate sacerdotum in honorem SS. Cordis Iesu, 131; pro societate reparationis sacerdotalis, 181; pro sodalicio Mariae Reginae Cordium, 130; pro sanctuario B. M. V. a Fraxino, 129; pro sanctuario Veronensi B. M. V., 182; pro unione ad suffragandum pauperibus defunctis, 183; pro visitantibus S. Mariam Angelorum in Portiuncula, 19-25, Sublacensem ecclesiam, 181.
Ingressus in *religionem* prudenter permittendus, 53.
Inscriptio in albo confraternitatis remittitur Sodalicio Imm. Conc. a S. Numismate, 58B; — religiosarum in Confraternitates (53). (54).
— matrimoniorum, 116. 121. 157.
Institutum *dioecesanum*, quod ad administrationem temporalem, 16.
— religiosorum virorum, quod ad cooptationem candidatorum, 54-56.
Intentio requisita in baptizando qui morbo laborat, (63).
Interstitia inter ordines a quonam dipensentur, 16. 17.
" **In universa opera** „ C. Clementis IX, 10 apr. 1669 de Ursulinis, (20).
B. Ioanna de Arc. Officium ac Missa, 105. 191. Reassumptio causae, 148.
Ioannis Bona Card. centenaria festa, 131.
Irregularitatum dispensatio, 52. 53.
Italiae *clerici* migrantes in Americam vel insulas Philippinas, 40. 41.
— *leges* de electione temporali abbatissarum, 158.
Iubilare *numisma* S. Benedicti, (16).
Iuliani (S), Missa, 66. 67. 69.
Iuramentum *Doctorum S. Script.* 160.
— *contra Modernismum*, 200-201, 210. 211, 229-232; (68), 252-254. 271. 273.
— *perseverantiae* an dimissum arceat muneribus conspicuis, 55, 125. 126.
— de *ritibus Sinensibus*, (13).
Katanga praefectura erigitur, 238.
Kientchang. Erectio Vicariatus, 287.
Kilima-Njaro vicariatus erectio, 288.
Kimberliensis vicariatus. Dismembratio, 186.
Lapurdensis Basilicae capellanis conceduntur insigna choralia, 129.
Laureae *theologiae* philosophica praeparatio, 229, 230.
Legata pia denuntianda episcopo 49-52. Quid legatum pium, 50-51.
Leopoliensis ecclesia erigitur in basilicam, 183.

Libri *damnati*, 134. 238. 292. — *liturgici*, 71.
S. Limina Praescripta visitatio ad — 102.
Litaniae *Lauretanae* apud FF. Minores, 227. 228.
Litterae quatenus aperiendae a Superiore, (54)-(56).
Lusitania. Interpretatio decr. circa ieiunium, 104.
Luxemburgensis consuetudo circa missarum stipendia permittuntur, 112. 113.
Manilensis archiconfraternitas B. M. B., 288.
Mansionarii a capitulo dimissi, 185.
Mariannhill. Congr. Missionariorum, 81.
B. M. V. « a Fraxino » indulgentiae, 129.
B. M. V. de Mercede Tertiarii pro benedictione cum indulg. plenaria, 102.
« **Mariae Reginae Cordium** » sodalicii indulgentiae, 130.
Martyrologium. Additiones inserendae, 105. 106.
Matrimonium. Casus de valore inter infideles, (64)-(66). Causae variae propositae S. Rotae, 137. 187. 294. 295. Decretum *Ne temere*, 115-121 ; 156-158. Quid si lex civilis praesentiam sacerdotis impediat, 117-120. *Delegatio* tacita ad celebrandum matrimonium, 115. 121. — in articulo mortis, cui obstant impedimenta, 37-39. 194. — et probanda, ante novas nuptias, *mors coniugis*, 293. — *mixtum*, in Polonia et Russia, 36. Competentia S. Officii in —, 100. — sanatum in radice, 245.
Mechliniense privilegium de abstinentia et ieiunio in pervigilia sollemnitatis SS. Petri et Pauli, 18 ; statutum de bannis ante ordinationem ; statutum de confessionibus Sororum, (11).
Mendicantium privilegiorum origo, communicatio, (34).
Menstrua *commoratio* quod ad vagos, 115, 120 ; — in dioecesi, 121.
Mexicanae reipublicae episcopos hortatur Pontifex, 130 ; fideles ditat indulgentiis ob saecularia festa, 183.
Militia et professio religiosa, 94. 95. 282-286.
Ministri generales Fratrum Minorum. Pares sunt dignitate. Quis inter eos praecedat, 32. 33. 35.
« **Misericors Dei Filius** », C. Leonis XIII, 29 maii 1883, de tertio ordine S. Francisci, 30.
Missa audita in oratorio privato, 109.
— et *cantus* vernaculus, 67. 69. Quid sub elevatione, 61.
— conventualis : obligatio, hora, 72.
— in festis suppressis, 190.
— S. Iuliani, 66. 67.
— nocturna in Nativitate Domini, 122.
— piacularis in Gallia, 184.
— pro populo in paroeciis unitis, 133.
— *votiva* conceditur a S. C. de Sacramentis, 193.
— infra octavam, 72.
— votiva *defunctorum*, cum recitatur officium votivum, 66. 67. 69 ; praesente corpore in oratorio principali, 66. 67. 68.
— votiva de SS. apostolis, 140 ; de B. M. V. assumpta, 148 ; de Lapurdensi apparitione, 74. 75 ; in sacellis eccl. S. Mariae Angelorum in Portiuncula, 24. 58 ; rogationum, 65. 67; pro sponso et sponsa, 66. 67;
— **ae** orationes, 66. 67. 74 ; in concursu Doctorum, 74.
Missae reparatricis *archisodalicium*, 131.
Missarum stipendia gravari nequeunt, 14. — quomodo ad Orientales transmittenda ; quinam sint Orientales, 48. 49. — Consuetudo quaedam, 112.
Missalis rubricae novae, 76. 77. 142.
Missionarii *apostolici.* Titulus et facultates extra regiones Prop. Fid. 1-3. — *Cistercienses*, 81. — *Sinenses*, pro facultate confessionum, (13).
Missionis *crucis* benedictio, 3.
Missionum bona temporalia, 83-85. (29). (30). — rectorum relatio cum Vic. apost. 84.
Moderator instituti religiosi, etiam dioecesani, esse nequit saecularizatus, 41.

Moderna humaniora studia pro ingressu in institutum religiosum, (26).
Modernismus, 153; — quid sit, (47)-(52); — quomodo debellandus, 197-211; 229-232, (68), 252-254, 271-273.
— *litterarius*, 211-216.
Monacensis et Frisingensis dioecesis festa, 18.
Monasterii possessio communis, (20).
Monialium admissio in noviciatum, et professio impedita, 99. — confessarius, (1)-(12). — dos conservanda, 14. — professio simplex sollemni praeponenda, 10. 11. — in articulo mortis benedictio, 17. — vota sollemnia post mutatam sedem, (31). (32).
— *a Visitatione* obligatio officii, (19); Monasteria votorum sollemn. in America, (19)*.
Montesclarensis dioecesis erectio, 288.
Morbus, ob quem quis dimittatur, efficitne inhabilem, 55. 125. — et studia ante ordinationem requisita, (28).
Mortis *articulus* vel *periculum*. Benedictio in hora, 3, 17.— Dispensatio ab impedimentis matrimonii in periculo, 37-39. — pro religiosa professione, 16.
Munera, quibus arcentur religiosi saecularizati, 41. 42, 125. 126.
Nativitas Dni. Missas nocturnas concedit S. C. de Sacramentis, 122.
Negotiatio interdicta clericis, (29). (67).
« **Ne Temere** », Decreti S. C. Conc. 2 aug. 1907, vis in Russia et Polonia, 36. — Dispensatio a forma —, 38. 39. — Declarationes 12-13 martii 1910, 115-121. — Adeptio muneris parochialis, 184.
Nominis (SS.) **Mariae** festi lectio IX propria, 105.
Noviciarum magistra (23). — oboedientia quibusnam praestanda, (23).
Noviciatus impedimentum, (24). — quando dispensandum, (24). — necessitas, (23). — regimen, (23).
Novicii, prudenter cooptandi, quinam admitti nequeant, 53-56. 123. 124; — etiam apud mulieres religiosas, 99; — informationes, (52). (53); — casus, (60). (61); — quod ad confessarium, (3); — *studiis* addicendi, 195.
Numismata *pueri Iesu* ab omnibus, benedici possunt qui indulg. apostol. coronis, etc. annectere possunt, 1.
— *iubilaria S. Benedicti*, (16).
— quae sunt *pro scapulari* 86; Effigies, 106; formulae, 87; Varia, 127. 148. 187, 239, 267-271. 296.
— Sodalicium Imm. Conc. a sacro — **e**, 58, B.
Nuptiarum benedictio, 64.
Nuscana confraternitas Imm. Conc. et Defunctorum, 59 E.
Oblati et professi in articulo mortis, (16)
Octavam. Missa votiva infra —, 72.
Officii *divini* additiones vel mutationes, 76. 105. 141. 142; anticipatio ab h. 1 pomeridiana, 148; Urbis ritus pro religiosis extra Urbem, 70. 71; defunctorum editio vaticana, 71; responsoria 1 nocturni, 74.
— *ecclesiastici* notio, 43. Quibusnam officiis arceantur professi in sacris, saecularizati, 41-44.
— **parvi** B. M. V. obligatio (20).
S. Olea. Benedictio, 147.
" **Omnipotens ac misericors** ". Breve SS. D. N. Pii Pp. X, 11 april. 1909 privilegiis ornans eccl. S. Mariae Angel. in Portiuncula, 19-25. 33.
Oratorium, pro indulgentiis visitandum, (16), 186; — quod ad calendarium, 62. 75.
— *principale* Instituti, pro missis defunctorum, 66. 67. 68.
— *privatum*. Normae concessionis, 109.
Ordinatio sacra et banna, (14). (15).
— ante sollemnem professionem, (15). (16). (18).
— eius qui ingressus est subdiaconus, (15).
— extra tempus, 16. 17.
— non servatis interstitiis, 16. 17.
— quibusnam studiis praeparanda apud religiosos, (25)-(29), 44-48.
Ordo *Eremitarum S. Aug.* — Facultates, 150.
— *Fratrum Minorum*, sine addito,

quid significet, 32. 90. v. *Fratres Minores.*
— *S. Ioannis de Deo :* usus bireti, 60. Indultum de professione vocatorum ad militiam, 94. 95.
— *B. M. V. de Mercede*, Indultum benedict. pro Tertiariis et Confratribus, 102.
Orientalis sacerdos migrans in Americam, 40, stipendia missarum recipiens, 48. 49. Quinam sint Orientales, 48. 49.
Paenitentiae sacramentum non differendum, 167-170.
S. Paenitentiaria confessarium supplementarium sororibus concedit (10)*.
Parochus dispensans impedimenta matrimonii, in periculo mortis, 37. 39 ; 193. 194 ; non potest simul esse Superior religiosus, 248 ; quomodo oeconomice removeri possit, 234-237. 291.
" **Pastoralis curae** „ C. Benedicti XIV, 5 aug. 1748, confessariis monialium et sororum, (4). (10). (11).
S. Pauli pia unio reformatur, 180.
S. Paulini festum, 76. 77. 105.
Pecuniarum collocatio apud religiosos, 13, 14. Quid si pro missis acceptae, 14.
Periodica in seminariis non legenda, 199, 208. 209, 229, 230, 249-251.
SS. Perpetuae et Felicitatis festum, 76. 77. 106. 146. 147.
Persona moralis, (20)-(23).
SS. Petri et Pauli sollemnitas et lex ieiunii et abstinentiae, 18. 19.
SS. Petri et Pauli Seminarium ad exteras missiones dependet a S. Congr. de Prop. Fide, 89.
Philippinae insulae. Clerici migrantes in Philippinas insulas, 40. 41. Ieiunium et abstinentia ibi vigentes, 134. Fruuntur C^e « *Trans Oceanum* », 135.
« **Pia Mater** ». C. Benedicti XIV, 5 apr. 1747 de benedictione in hora mortis, 3.
Pileolum violaceum conceditur episcopis, 133.
Plocensis ecclesia erigitur in basilicam, 183
Pluvialistae canonici, 61.
Poenae contra Superiores violantes praescripta de debitis, donationibus, etc. 14.
Polonia. Matrimonia mixta in —, 36.
Portiuncula Benedictinorum (16). — hoc anno latius concessa, 159. — — mexicana, 183.
— Ecclesiae S. Mariae Angel. in — dignitas ac privilegia, 19.
Possessionis communis subiectum, (20)-(23).
Postulantes qui admitti nequeunt, 53-56 ; 123-124 ; (60). (61). Condicio eius qui dimittitur « in postulatu », 125. Regimen postulantium apud moniales, (24). — *laici*. Biennium, 274-281.
Poupsis. Huius Sanctuarii Superior est praelatus domesticus, 233.
Praecedentia in domo noviciatus (24).
Praedicationis normae, 202-207.
Praefecturae apostolicae Basutoland et Delta Nili in Vicariatum eriguntur, 59,G. — Katanga, 238.
Praelati exempti confessarius, (2).
Praescriptio quinque annorum non exstinguit actionem contra vota simplicia, (44).
Prima Communio. De aetate admittendorum, 165-179.
Privilegia ecc^ae. Assisiensis, 22 ; S. Mariae Angelorum in Portiuncula, 19-25. — missionariorum apostolicorum extra loca subiecta Prop. Fid. 3. — communicantur inter inter ambas basilicas Assisienses, 35 ; inter tres Fratrum Minorum familias, 35. 182 ; — quomodo Instituta votorum simplicium participent privilegia Regularium, (33)-(42) ; quomodo Mendicantium privilegia communicentur, (34).
Processio SS. Corporis Christi, 185.
Professi *saecularizati* in sacris, condicio et minora iura, 41-44. 125. 126.
Professio invalida, 10. 11. 54. 97. 99. 123-125 ; religiosa dispensata : effectus, 54-56 ; temporaria, quid efficiat in discedente vel dimisso, 55. 125. 126.
— *simplex* et ordinatio, (15). (18). (62);

et praescriptio actionis contra eam (44'); et vacatio beneficiorum, (17);
— fratrum laicorum, 273-281; vocatorum ad militiam, 282-286; nulla ut sollemnis non valet qua simplex, 11.
— *sollemnis* in *articulo mortis*, (16).
— *laicorum* in Ordinibus, 274-282.
— *monialium*, (31). (32), 10. 11.
— postulat informationes, (52). (53); quatenus ante ordinationes requiratur, (15); quibus novis causis impediatur, 97. 99. 123-125.

Proprietas in editiones vel scriptiones cantuum sacrorum, quo pacto maneat possessoribus, 65.

Protonotarius *ad instar*, celebrans, 74.

Psalmorum auctores. Resp. commissionis de re biblica, 136.

Quadraginta Horarum expositio, 66. 67. 69.

" **Quemadmodum** „, Decr. S. C. Episc. et Regul. 17 dec. 1890, de confessario religiosarum, (4'). (11).

" **Recenti** „, decr. S. C. C. 22 maii 1907, interpretatio pro Orientalibus, 48. 49.

" **Redemptoris** „, litt. Innocentii XII, 18 aug. 1585, indulgentiis ditans eccl. S. Mariae Angel. in Portiuncula, 21.

Regio, quomodo audiatur art. VIII decr. *Ne temere*, 115-117.

Regularium confessarius, (2). (3); festa expuncta, an restitui possint, 63; officium exsequendi legata pia, 50.
— ecclesiae, an territorium parochi quod ad matr. 116, 121.
— Calendarium in ecclesiis concreditis, 139. 140. 144.
— potestas in vota saecularium, (57)-(60).
— privilegia, quomodo communicentur, (33)-(42).

Relatio dioecesana. Normae, 102-103.

Religiosi quomodo in confraternitates inscribendi (53). (54).

Religiosorum usurpata bona a S. C. Concilii permittuntur acquiri, 122; — calendarium, 70. 71; — confessarius, (3). (12); — debita et obligationes oeconomicae, 11-16; — decreta evulganda, 161; — relatio S. Sedi facienda, 103; — studia ante ordines sacros, 44-48. 92. 93; (26)-(28); 155.

" **Renovatio eschatologica** „ improbatur, 193

Reparationis sacerdotalis indulgentia, regimen, 181.

Responsoria 1 Nocturni, 74.

Restitutio in integrum conceditur ab Apostolica Signatura, 8.

Rituale. Mutationes, 142.

Ritus non nulli expenduntur, 138. 139; 143.
— *Sinenses.* Iuramentum, (13').

" **Romani Pontificis** „, C. S. Pii V, 21 iul. 1571, de confessario regularium, (2).

" **Romanos Pontifices** „. C. Leonis XIII, 8 maii 1881 de mutuis iuribus episc. et regular. 83. 85. (30). — extenditur ad insulas Philippinas, 135.

S. Rotae Romanae advocati, 8; competentia, 8. 9; sententiae, 137, 186. 187, 239. 294. 295.

Russia. Matrimonia mixta in —, 36.

Saecularizati professi condicio et restricta habilitas, 41-44, 125. 126.

Sanatio in radice matr. mixti, 245.

« **Sanctissimus Dnus** », Decr. Clem. VIII, 26 maii 1593, de confessariis regularium, (3).

Sanguinis Pretiosissimi *Coronae.* Indulgentiae, 129; *festi* lectio IX, 105.

« **Sapienti consilio** ». C. SS. D. N. Pii Pp. X, 29 iun. 1908, qua curia romana reformatur, 8.

Scapularia-*Numismata*, 86. Effigies, 106. Formulae indulti, 87. — Varia, 127. 148. 187. 239. 267-271, 296.

Scholae num libere erigi possint ab Institutis votorum simplicium, (44').

Scripturae S. doctorum iusiurandum, 160.

Secretum servandum in episcopis cooptandis, 132, 234.

S. Sedis mens in cooptatione religiosorum, 53.

Seifersdorf, translatio festi, 287.

Seminarium *minus*, quid sit, 55.
« **Septimo** », breve SS. D. N. Pii Pp. X, 4 oct. 1909, de primo Ordine S. Francisci, 27-35.
Sigilli sacramentalis minus stricta olim lex, (5).
Simlensis archidioecesis erectio, 288.
Signaturae Apost. sententiae, 186, 239.
« **Sillon** » improbatur, 233.
Sinense iter. Privilegium de confessionibus (13), 56, 57.
Sion. Confraternitas Virginis de — obtinet privilegia, 129.
Societas Iesu et exsecutio legatorum piorum, 50. — et vacatio beneficiorum, (17).
Societas *Lugdunensis* missionum ad Afros Vicariatum apostolicum obtinet Delta Nili, 59,G. — dependet a S. Congr. de Prop. Fide, 88. — *Missionariorum Africae* (*Pères Blancs*) subest S. C. de Prop. Fide, 122.
— *Parisiensis* pro missionibus ad exteras gentes dependet a S. Congr. de Prop. Fide, 88.
Sodalicia *externorum* in ecclesia Instituti votorum simplicium, (44).
Sollemnitas *festorum* in Dominicam transferenda, 144-145. — *Votorum* Monialium quae sedem mutarunt, (31). (32).
Sororum confessarius, (1)-(12) ; benedictio in articulo mortis, 17.
Sponsalium ius in Hispania, 116, 121.
Status Foed. Americae, vide *America*.
Steyl. Congr. Missionar. a — constitutiones approbantur, 130.
Stipendia missarium. *Vide Missarum*.
Studia ante ordines sacros religiosorum, 44-48 ; 92. 93 ; (26)-(28) ; 155. — in noviciatu, 195.
Sublacensem ecclesiam visitantibus indulgentia, 181.
Suburbicariae dioeceses quomodo administrandae, 131.
Superior *Congr. Missionis* est generalis director sodalicii Imm. Conc. a sacro Numismate, 58,B.
Superiores *regulares*, quod ad confessiones suorum, (2). (3) ; quod ad debita contrahenda donationes, et temporal. admin., 11-16 ; quod ad donationes, 14. — canonice visitare non possunt basilicam S. Mariae Angel. in Portiuncula, 24. — quod ad dimissionem et receptionem, 54-56 ; quod ad *litteras* aperiendas, (54)-(56) ; quod ad studia suorum, ante ordinationes, 44-48. — quod ad munus parochi, 248. — quod ad dispositionem bonorum religiosorum suorum, (30).
— *religiosorum*, quod ad confessiones subditorum, (3). (4). (12). — quod ad debita contrahenda, donationes et temporalem administrationem, 11-16. — quod ad ordinationes et studia, 44-48. — quod ad dimissionem et receptionem, 54-56.
Superiorissa, confessarium admittens supplementarium, (11) ; quod ad temporalem administrationem, 11-16.
Sustentatio religiosi in ipsa patria, fratribus exsulantibus, (43).
Symbolum sub offertorio missae cantatum, 138.
Taurinense Institutum negatur esse approbatum, 59,II.
Taxae curarium episcopalium approbantur a S. Congr. Concilii, 133.
Temporalis administratio religiosorum, 11-16.
Terrae Novae episcopatus quomodo provideantur, 185.
Terra Sancta. Quaestuatio, 239.
Tertius Ordo *S. Francisci*, sic sine addito dicendus est, 33. In eum idem possunt tres Ministri generales, 33. — Communicatio indulg. 182. — Sedes canon. in Gallia, 249. — Absolutio generalis, Delegatio, 266.
— *Redempt. B. M. V. de Mercede.* Indultum benedictionis, 102.
Testator dispensans a monitione episcopo facienda de legatis piis, 51 ; secreto legans ad piam causam, 51.
Testis matrimonii qualis sit oporteat, 115, 120.
Theatinorum Congregatio, 91.
Theses lectionum exhibendae praefecto Studiorum 200, 209, 229.
S. Thomae a Villanova festum, 67.

Titulus ordinationis pro regularibus, vel religiosis, (15).
— sacerdoti indigno auferri potest, 184.
Toletana dioecesis in Stat. Foed. Amer. erigitur, 133.
Tolonensis dioecesis abstinentiae et ieiunia, 18.
" **Trans Oceanum** „ C. Leonis XIII, 18 ap. 1897 extenditur ad Insulas Philippinas, 135.
Uellensis praefecturae limites, 186.
Unio, v. *Consociatio*, *Sodalicium*.
Urbis *Officium* quomodo extra Urbem recitandum a religiosis, 70. 71.
Ursulinae. Obligatio parvi officii, (20).
Vacatio legis, 10, 11.
Vagi, qui sint in iure matrim. 120.
Varsaviensis provinciae abstinentiae relaxantur, 18. 19.
Viaticum pueris non negandum, 167. 170.
Vicariatus apostolici erectio, 58, A. 59, G.
Vicariatuum limites, 186.
Vicarii Apostolici administratio temporalis, 84.
" **Vicarium** „ Breve SS. D. N. Pii Pp. X, 8 sept. 1909, constitutiones confirmans Fr. Min. Capuccinorum, 25-27.
Visitatio SS. Liminum. Normae, 102. 103.
Visitator domus religiosae, etiam dioecesanae, nequit esse saecularizatus, 41.
Vocatio religiosa bene exploranda ante ingressum, 53.
Vota v. *Professio*, *sollemnitas*; — *saecularium* dispensantur a Confessariis regularibus, (57)-60).
Votiva missa et commemoratio defunctorum, 66. 67. 69.
Votum *castitatis* post prof. nullam, 11.

NOTANDUM

In fasciculo 15 febr. 1911, A. A. S. p. 92 suppleverunt verba quae in quaestione Mohilovien. excidisse suspicabamur. (Cfr. PERIODICA, t. 5, n. **477**, p. 293.) Itaque in A. A. S. t. 3, p. 27, l. 2, post verba « qui dein a Iaponensibus », addenda sunt haec : « nulla habita cura nominum occisorum, turbatim sepeliebantur. »

v.5

CBPac

v.5

10224

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 6973